



Pict. 4° 88.

24

D. IOACHIMI LANGII,

S. THEOL. IN ACAD. FRID. PROF. ORD.

COMMENTATIO

HISTORICO-HERMENEVTICA

DE

VITA ET EPISTOLIS

APOSTOLI PAULI,

ITA ADORNATA, UT ISAGOGEN GENERALEM ET
SPECIALEM HISTORICO-EXEGETICAM PRÆBEAT

IN ACTA APOSTOLORUM ET PAULI EPISTOLAS,

NEC NON IN IPSAM

HERMENEVTICAM SACRAM.

ACCEDIT APPENDIX APOLOGETICO-ELENCTICA,
SIC DICTO TIMOTHEO VERINO OPPOSITA.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
IMPENSIS IO. FRIDR. ZEITLERI,
M DCC XVIII.

D. N. JOHANNES WILHELMUS
 S. THEOS. IN ACAD. FRID. PAUL. ORD.
 COMMENTARIUS
 HISTORICO-HERMENEUTICA
 DE
 VITA ET EPISTOLA
 IN APOSTOLI PAULI
 ITA AGGREGATA UT ISAGOGEN GNERALEM ET
 SPECIALEM HISTORICO-ERITICAM PRÆBEAT
 IN NOTA APOSTOLICORUM ET
 PAULI EPISTOLAS
 HÆRMENEUTICAM SACRAM
 ACCEDIT APPENDIX APOLOGETICO-ERITICA
 SIC DICTO TERTIO NUNQ. OPPOSITA



HALLÆ MAGEBURGICÆ
 IMPRINSIS JO. FRID. ZETTLER
 M DC C XVIII

VIRIS

MAXIME REVERENDIS ET DOCTISSIMIS,

JOACHIMO RAVIO,

ECCLESIAE WERBENSIS PASTORI EJUSDEMQUE DIOE
CESEOS INSPECTORI VIGILANTISSIMO,

SOCERO MEO VENERANDO,

nec non filio ejusdem,

JOANNI RAVIO,

ECCLESIAE BEROLINENSIS AD AEDEM PRIMARIAM
ARCHIDIACONO MERITISSIMO, AC SOCIETATIS SCIEN-
TIARUM REGIAE COLLEGAE,


AFFINI MEO CONJUNCTISSIMO,

HUNC LIBRUM

eo, quo equum est, affectu studioque

DICO AUCTOR.

*Viri admodum reverendi, socer atque
affinis colendi ac dilectissimi,*

 Quod si in librorum dedicationibus
etiam necessitudinis, qua fautores
ac amici juncti sunt, nec non ob-
servantiæ & amoris, ratio haben-
da est haud postrema; jam noveritis, cur no-
vus hic foetus meus nominibus vestris inscri-
ptus in lucem exeat publicam. Vestram e-
nim & filiam & sororem, olim familiæ ve-
stræ ac meæ decus ac cimelium insigne,
annis septendecim in matrimonio habui.
Quod quo fuit felicius, eo majora erga vos
desideria studiaque reliquit. Suscipite ergo
hoc, quod vobis jam dudum debetur, since-
rum affectus mei deditissimi mnemosynon,
eodem, tanquam calcari amicissimo mutuo-
que symbolo, in decurrendo muneris sacri sta-
dio,

dio, mecum ufuri. Id quidem TU, vene-
rande focer, octogenario proximus, ita jam
emenfus es, ut per ætatem quoque in ipfa
quafi meta capeffendoque brabeo jam tum
verferis, laborum tuorum finem fructumque
beatum mox vifurus. De quo felicitatis ge-
nere ut ex animo TIBI gratulor; fic non mi-
nus precor, ut fit quam cumulatifimum, &
in dies fingulos horasque, quotquot ad fu-
preum vitæ, adhuc fatis vegetæ quidem,
terminum fuperfunt, acceffionem capiat am-
pliffimam. TE vero, affinis ac frater in
DOMINO conjunctiffime, in medio qua-
fi curfu mecum conftitutum video. At
quid medio? Fortaffe exactus is jam eft u-
trique, aut alterutri, pro arbitrio ejus, cujus
fumus, & cui vivimus; utpote qui fervorum
militumque fuorum alios aliis citius, aut fe-
rius, a ftatione & fpecula fua avocat. Qua-
re id agemus, ut parati fimus ad vocantis nu-
tum. Eo autem erimus paratiores, quo fi-
delius egregium & incomparabile PAULLI
exemplar, quod hæc COMMENTATIO mea
exhibet, etiam poft hac imitabimur. Et ea
a 3 dignis-

dignissima fuerit imitatio, per quam, servata
bonæ conscientiae regula, nostrum fidei cer-
tamen nunquam non erit victrix, nostraque
ipforum salus, aliorum quam plurimorum sa-
lute in sacro nostro munere procurata, in
Christo æternum efflorescet. Ad quem sco-
pum, Dei gratia succincti, tessera hac publi-
ce data, singuli citato quasi gradu contende-
mus, de beato exitu certissimi. Valete, viri
venerandi, in DOMINO!


*Vestrorum admodum reverendorum
nominum,*

Halæ Magdeburgicæ ipsis Cal, Septemb,
anni M DCC XVIII.

cultor & amator sincerus

Joachimus Lange, D.

Leſto-



Lectōri salutem plurimam a & in
Christo, salutis fonte!



IN præfatione, *Historia Ecclesiastica* veteris testamenti præmissa, *Commentarium* promissi exegeticum in epistolas Pauli pastorales, ad Timotheum & Titum scriptas, proxime edendum. Et hunc laborem jam eram aggressus, in eoque aliquo usque progressus, cum, quam necessaria Pauli epistolis interpretandis esset historica totius vitæ ejus cognitio, curatius perpenderem. Occasionem de ea cogitandi novam (nec enim hæc prima fuit in re jam dudum sæpius considerata) mihi præbebat isagoge historica de loco & tempore scriptionis, nec non de aliis epistolæ momentis, ipsi exegesi præmittenda. Et vix enarrationem inceperam, cum statim in fronte epistolæ v. 3. memoratum *iter Pauli Macedonicum* multum negotii inquirenti mihi facefferet. Non enim illi convenire videbam istum temporis articulum, quem ei interpretes ex Actis Lucae vulgo adsignant. Nec deerant alia textus sacri momenta, quæ lucem historicam, quam vitæ Pauli series interpreti affundit, requirebant. Et hoc ipsum est, quod epistolas Pauli jam a viginti annis in Gymnasio & in Academia viva voce interpretanti mihi ipsa praxi diu multumque est exploratum; scilicet historicam vitæ Pauli

PRÆFATIO.

notitiam, per diversas periodos suas curate deductam, in lectione & explicatione epistolarum tam esse necessariam, quam quod maxime. Sine hac enim ea, quæ historia reddit quam planissima, non solum permultum habent obscuritatis ac difficultatis, sed non raro perperam quoque exponuntur, pro luce, si rem ad vivum excutias, novis tenebris epistolico sermone illatis. Etenim in permultis locis non sufficit, ex epistolis recurrere ad Acta, & ex iis unum atque alterum historiæ momentum seorsum investigare; sed serie opus est catenata, non tantum ex Actis Lucæ, sed ex ipsis etiam epistolis, constructa.

Vix enim credas, quantum historiæ adparatum conficiant omnia ejus momenta, e singulis epistolis studiose collecta & in unum corpus redacta, maxime autem cum narratione Lucæ ita collata compactaque, ut justum inde historiæ syntagma concinnetur. Certe hac ratione epistolæ Acta, & hæc epistolas mirifice illustrant, permultaque subministrant, quæ nec ex epistolis, neque ex Actis seorsum consideratis unquam cognoscas. Quid? quod Lucæ historia definat ante liberationem Pauli Romanam, ante itinera ipsius ultima, & ante scriptas epistolas ad Philemonem, ad Colossenses, ad Philippenses, item ad Hebræos, nec non eas ad Ephesios, ad Titum & Timotheum; atque ita etiam ante vincula ejus ultima ipsamque mortem. Quæ omnia ex epistolis supplenda sunt, suppleta vero historiam exhibent septem ultimorum Pauli annorum.

Quæ cum ita sint, seposito, quem in epistolas ad Timotheum susceperam, labore exegetico, ad historicum me accinxi, hac ratione viam mihi in exegesi non solum per has epistolas, sed per reliquas etiam, expeditiorem facturum. Quod si enim DEUS mihi vitam prorogaverit cœptoque annuerit, constitutum mihi est in omnes ac singulas *Pauli epistolas* commentari, & ea quidem methodo, qua in epistolarum Petri ac Joannis exegesi, jam ante aliquot annos evulgata, usus sum: quandoquidem deprehendi, labores istos viris doctis piisque adeo non displicere, ut ad eos continuandos sæpiuscule & per litteras & coram tenuitatem ac imbecillitatem meam sint cohortati. Nec ipse ullo in labore ma-
jori

PRÆFATIO.

jori cum delectatione versor, quam in exegetico, tanquam in pabulo, quod animum retinet pascitque, & recreante potius meditatione, quam defatigante librorum evolutione ac lectione, absolvi-
tur. Istum vero non parum juvabit opera hæc de vita Pauli *παράστασις*, tanquam perpetuæ isagoges, quod spero, vicem præstitura. Nec eam animæ meæ leni infrugiferam. Nam vita Pauli ipsa elaboratione quasi e simulacro aliquo vitam induit, seu vivam imaginem; utpote ad dignam admirationem imitationemque multo vividius mihi impressa, seu repræsentata, quam e sola lectione vel Actorum, vel Epistolarum, fieri poterat.

Nec arbitror, displicituram esse lectoribus æquis hanc meam, quantulacunque est, opellam. Jam inde ab antiquissimorum temporum memoria id habent vitarum scriptores præ aliis, ut non libenti minus animo, quam diligenti studio, legantur ac relegantur. Cum enim omnis fere historia delectet, ea delectationis habet plurimum, quæ in celebrium virorum vitis enarrandis occupata est: siquidem in iis tanta est rerum copia, tanta casuum haud expectatorum vicissitudo, tantaque eventuum varietas, ut torpentes etiam ac somnolenti hic inveniant, quo excitentur, & quo attentionem suam alant, immo acuant & subinde magis accendant; inprimis si scriptoris stilus nec perspicuitate careat, nec nitore nativo. Quis unquam Alexandri magni vitam in CURTIO, aut res gestas principum Græciæ ac Italiæ in PLUTARCHO, CORNELIO NEPOTE, LIVIO, aliisque scriptoribus, legit cum tædio, aut sine attentione? Ut nihil nunc dicam de insequentium & maxime recentiorum temporum biographis, quorum vix numerus iniri potest. Sed hic est heros Alexandro magno multo major: dux quovis Græcorum Miltiade, aut Latinorum Scipione Pompejoque, ac Pœnorum Hannibale, fortior: censor quovis Catone gravior: philosophus quovis Platone ac Seneca sapientior. PAULUS hic est, Apostolus JESU CHRISTI, supremi totius orbis Domini legatus, regni ipsius in hominum animis erigendi præco: PAULUS tot gentium domitor *ἀναρχος*, quotquot inde ab orientis Euphrate usque ad occidentis Tiberim, immo ad Iberum Tagumque extre-

b

mæ

PRÆFATIO.

mæ Hispaniæ longe lateque dissitæ habitant: Paulus ipsius satanæ ac tenebrarum victor; qui quot animas Christo lucrificet, tot imperio ipsius regna adjecit: Paulus miles duratus, militumque dux potens, prudens, fortis, nec minus adverforum patiens, ideoque felicissimus, adeo ut, ad Romanos scribens, longæ malorum ac certaminum seriei subjungere posset hoc epiphonema: *ἐν ταῖς πάντιν ὑπερ-
αἰῶμεν, in hisce omnibus ita vincimus, ut major adhuc ad vincendum fa-
cultas supersit*, c. VIII, 37. Apostolus hic est, organum Dei electum sanctumque, non dominus, sed minister fidei, qui volente ac corroborante DEO plus laboravit, quam ullus alius e sacro duodecim virorum collegio; a quo epistolas habemus plures, quam ab ullo alio apostolo; cujus vitam prolixius descripsit Lucas, quam alius cujusquam; cujus exemplar, ipsius Christi exemplari *ἀνδρωπορετώς* conforme, perfectum prudentiæ, sinceritatis ac sanctimoniam christianæ exemplar nobis repræsentat, ut consideratu jucundum, ita etiam imitatione dignissimum. Certe, si ab ipsius Christi vita, æqualem habente nullam, discesseris, inde a primordiis ecclesiæ christianæ ad nostram usque ætatem, vita Pauli nulla ullius mortalis alia est illustrior, piaque lectione & applicatione dignior.

Utinam vero is ego scriptor essem, qui par esset vitæ Pauli ita describendæ, ut ejus dignitas requirit, & quemadmodum rerum divinarum, quibus illa referta est, sublimitas postulat. Quam facultatem cum mihi tribuere nec possim, nec velim; feci, quod potui, sperans non ingratum hunc laborem fore lectoribus æquis, nec inutilem & mihi & auditoribus meis academicis, quibus ille præcipue destinatus est. Mihi quidem ipsi maxime in commentationibus exegeticis, quas volente Deo in Pauli epistolas molior. Auditoribus vero meis quotidianis, in prælectionibus istis, quibus ipsis Pauli epistolas hic jam in decimum usque annum interpreto. Habeo enim nunc quorsum posthac, ipsos identidem possim remittere, & quod certis horis, pro re ex epistolis nata, viva voce queam declarare.

Ad tractationis mensuram quod attinet, brevitatis rationem habui, uti & utilitatis, abesse jussis iis omnibus, quæ aut supervacua
criticæ

PRÆFATIO.

criticæ curiositas, aut ostentatio litteraria, vitium doctorum *ισωρί-
στατον*, cum vano placendi studio subministrare solet. Et quamvis,
etiam a digressionibus alienior, ipsi rei solícite inhæserim ac post-
habuerim supervacua; paucioribus tamen chartæ plagulis augustis-
sima hæc materia pertractari haud potuit. Quid? quod pro scopo
meo hermeneutico non tantum quam plurima epistolarum loca fue-
rint conferenda, & e momentorum historicorum notatione illu-
stranda; sed universa quoque Lucæ Acta inde a capite eorundem
octavo sint explicata, ita ut non dubitem, historicam hanc tractatio-
nem commentarii loco in Actorum librum ab æquis scriptorum æ-
stimatoribus habitum iri. Ipsa scriptio in se quidem est extempo-
ralis, non anxie quæsitæ, aut affectata arte colorata; at multæ ta-
men meditationi superstructa.

Quos in consilium hic adhiberem, & quos sequerer, inter
veteres habui nullos. Etsi enim de vita Pauli exposuerunt mul-
ti; nemo tamen, quod sciam, eam ex instituto ita enarravit, ut fon-
tes, Acta & Epistolas, iusta serie sit secutus. Suffecit illis res Pauli
strictim attingere, seposito scopo in Acta & Epistolas hermeneutico.
Nonnullorum narrationes fabellis non carent. Nec a quoquam
historiæ ecclesiasticæ scriptore expectari potuit enarratio ejusmo-
di, chronologiæ ac simul hermeneutiæ accommodata, utpote ex-
tra historici operis, quod generalius est, circulum posita. E re-
centioribus præeuntes habui D. GEORGIUM MAJOREM,
LAMBERTUM DANAEUM, CASPARUM HER-
MANNUM SANDHAGENIUM, HERMANNUM
WITSIUM. Habent auctores hi singuli omnino, quod laudem
meretur. Ita tamen scripserunt, ut certus sim, me in ipsorum
messum falcem haud immisisse. GEORGIUS MAJOR, cujus
Vita Apostoli Pauli Wittenbergæ anno 1563. prodiit, tantum sex pla-
gulis formæ minoris sciagraphiam rerum Pauli chronologicam ex-
hibuit. LAMBERTI DANAEI opusculum, quod primum
Gallice, at deinceps in linguam Belgicam a JO. de DECKER
translatum in lucem exivit Amstelodami anno 1662. multo quidem
est fufius, nimirum constans plagulis duodeviginti; at ordine caret,

PRÆFATIO.

omni partium capitumque ac paragraphorum distinctione destitutum, & ita comparatum, ut, quod ex eo, cum syntagmate meo post elaborationem collato, meum facerem, fere non invenirem. SANDHAGENIUS in libello exiguæ molis, at magni pretii, seu insignis præstantiæ, inscripto *kurze Einleitung in die Geschichte JESU Christi und der heiligen Apostel* tantum brevissimam quidem isagogen exhibet in Pauli vitam, sine ulla rerum gestarum enarratione; at quæ ordine & *angewissen* se commendat.

Quam uti secutus sum in ordinandis vitæ Pauli periodis, sic tamen deserui nonnunquam, immo modeste emendavi, ubi a filo historico recedere mihi visa est. WITSIUS in *Meletematis Leidensibus de Vita Pauli* proxime quidem accessit ad institutum meum, & luculentum pro more suo servavit ordinem, mihi que in multis facem prætulit: at a scopo tamen meo hermeneutico passim recessit longius; immo permulta ipsius historiæ momenta, quæ mihi magni visa sunt ponderis, plane prætermisit, aut tantum levius attigit, e contrario in aliis minus necessariis minusque obscuris non raro aliquanto copiosior. Nec in serie temporum & epistolarum ordinanda is mihi ubique sequendus fuit. Quid? quod in vinculis Pauli prioribus desinat, abrupto historiæ filo, quod ex epistolis erat pertexendum. Absit tamen, ut præclarum celeberrimi viri laborem ullius hominis manibus excussum eam. Poterit is cum meo non inutiliter conjungi. Immo æquisimo feram animo, si meo multis modis præferatur. Ceterum in chronologia præcipue secutus sum PEARSONIUM in Annalibus Paulinis, uti & USSERIUM in Opere Annalium.

Hæc hæc hactenus de ratione instituti mei, sed ejus ex una parte tantum, ea nimirum, quæ de vita Pauli strictius sic dicta agit. Restat, ut de altera etiam, quod res est, paucis dicam. Est illa epistolica, seu *isagogen* præbet in singulas Pauli epistolas, & quidem *historico-hermeneuticam*. Quam tractationem eo minus, credo, visum iri incommodam, quo magis cum Pauli vita conjuncta est, & quo directius pertinet ad scopum meum hermeneuticum, non tam eum futurarum commentationum, quam prælectionum academicarum, quas

PRÆFATIO.

quas quovis semestri statis horis in epistolam aliquam Pauli habere soleo.

Ordinem in isagoge hac epistolica servavi eum, quem pars hujus libri prior in vita Pauli commonstrat. Et hunc ipsum data opera hic retinui, ut lector seriem epistolarum chronologicam eo firmitus memoriæ possit imprimere; quandoquidem illa e tractatione prioris partis historica non sine cura inquisitionis eruitur. Et quo memoria etiam hic subsidium aliquod haberet, tres epistolarum ordines constitui; quarum primus agit de epistolis prioribus ante vincula Romana scriptis: secundus de mediis in captivitate priore: tertius de epistolis ultimis, quas Paulus post priora vincula extra & intra Italiam exaravit.

In historicis epistolarum momentis curatius investigavi circumstantias loci ac temporis, nec non occasionis variæ ad scribendum datæ, subjuncto, quod inde sponte sua resultat, cujusvis epistolæ scopo & argumento, & lectore simul ad partem hujus Commentationis priorem, seu historicam, ubi momenta ista in sedibus suis propriis fusius tractata sunt, identidem remisso.

Et cum propositum mihi sit imperitoribus inservire, recenseo *præcipuas materiæ sedes*, quæ in quavis epistola occurrunt, Et his subjungo loca *ἰσχυρότερα*, nec non *difficiliora*, ut lectores sciant, ad quæ in lectione maxime sit attendendum, & præcipue ut auditores mei ad eo majorem in prælectionibus attentionem excitentur. Emphases vero ipsas eruere, & loca, quæ præ aliis aliquid difficultatis habent, aut obscuritatis, hic enodare & explanare, nunc non fuit instituti mei. Nec moles hujus libri minor hanc cepisset tractationem, utpote majori, immo vix uni, volumini parem. Non vero existimandum est, emphaticum non esse, quod prætermisi. Selectu enim opus fuit in tanta copia. Immo æqualitas non raro ipsam electionem reddidit difficilem. Et in difficilioribus partim respexi ad rem ipsam, partim ad captum, immo interdum etiam ad præjudicia multorum lectorum. Usu enim venire solet, ut multi, quod per se difficultatem habet nullam, sed scirpi enodis instar est, per receptæ hypotheseos præjudicium pro nodo habeant difficulter

PRÆFATIO.

extricabili. Quod si nonnullis multa, quæ difficillima ipsis videntur, prætermisisse videor, noverint, non e sua cognitionis mensura judicandum esse de locorum difficultate, aut obscuritate.

Cum vero pleræque epistolæ vulgo videantur tantum ad gentiles conversos scriptæ esse (quod quidem falsum esse, ecclesiarum plantatio a Lucâ in Actis descripta abunde testatur) seorsum notavi illa loca, quæ ad Judæos, ad Christum conversos, speciatim referenda sunt. Quæ notatio tanti momenti res visa est Theologo Batavo clarissimi nominis, IOANNI BRAUNIO, ut in *Selectis Sacris* peculiarem, eamque haud exiguam, tractationem institueret. Quare non inconsultum esse arbitratus sum, idem argumentum hic in plerisque epistolis, ubi locum habet, carptim tantum attingere. Recte enim cognitum lucem affundit eximiam permultis locis. Ea vero quæ in hac observationum classe non notantur, pertinere ad utrosque, olim Judæos & gentiles, aut ad hos speciatim, res ipsa ostendit.

Hiscæ denique omnibus subjungitur *sciagraphia* singularum epistolarum *analytica*, in *orthotomia* earum *logica* & *hermeneutica* non inutiliter, quod spero, occupata. Conteceram olim in ætate academica mihi ipsi ejusmodi analyses, non capitum ordini, qui sæpe cohærentes materias discerpit, sed ipsis materiis accommodatas, tanquam lectionis duces & memoriæ famulas. Et has nunc ita recognovi, ut plane novæ factæ sint. Absit vero, ut cuiquam persuadere velim, Paulum scripsisse ex arte analytica, aut ipsum in mente habuisse eas, quas constituere soleo, materiarum partes, ac partium membra. Hoc enim a simplicitate apostolica, uti & a communi scribentium consuetudine, abhorret. Interea tamen non peccaverimus in mentem Apostoli, si memoriæ nostræ imbecillitati consulamus, & subsidio ejusmodi analytico ipsum quoque judicium imperitorum parumper instruamus. Spero enim, deprehensuros hic esse lectores, quod non memoriam tantum juvet, sed intellectum quoque in sensus litteralis investigatione non raro dirigat & connectendi studio inserviat. Epistolis Pauli hac methodo illustratis subjungitur isagoge in epistolas reliquas novi testamenti, &
in

PRÆFATIO.

in Petrinas quidem & Joanneas ea, quæ jam tum in Commentario meo data, & huc relata est in gratiam eorum, qui volumine isto destituuntur, aut completum Analyfium corpus amant.

Sed hæc hæcenus recensita priorem tantum partis posterioris sectionem absolvunt. Posterior sectio exhibet Hermenevticam sacram axiomaticam, post duos aphorismos generales viginti quatuor aphorismis, seu axiomatis, specialibus constantem: quorum dodecas prior, priori capite comprehensa, agit de *sensu litterali* eruendo, posterior posterioris capitis de *investiganda sensus litteralis emphasi*. Ad duo enim hæc capita generalia existimo referri posse omnia in exegesi, ad sensum litteralem & ad ejus emphasin. Isagogen hermenevticam ad utrumque exhibiturus solam experientiam & meditationem adhibui in consilium. Nullum enim canonem hic exhibeo, quem in ipsa praxi exegetica auditoribus meis, occasione exemplorum, non identidem inculcaverim. Nec affectavi numerum axiomatum utriusque generis æqualem, sed adoptavi e meditatione sponte sua natum oblatumque. Singulos aphorismos illustravi exemplis aliquot Paulinis, ita ut videri possim quandam quasi Paulinam Hermenevticam adornasse. Quod si quis hic desideret multa, præcipue in exemplis, noverit, me ipsum adhuc multo plura desiderare.

Exhibeo enim tantum *specimen aliquod hermenevticum*, quod, Deo volente, aliquando justiore formam, amabilioremque faciem, accipere potest, additis non solum exemplis ex aliis libris sacris, sed subjunctis etiam observationibus, quibus hæc axiomata etiam ad stilum propheticum applicentur. Nec enim arbitror multis aliis opus fore canonibus, si horum sensus extensionem suam haud coactam acceperit. Sed nihil in hoc scribendi genere promitto, incertæ spei eventum Deo ac tempori relinquens. In isto autem specimine auditores mei habebunt, quod, novis in praxi exemplis illustratum, viva voce subinde reficere & ipsis in memoriam revocare possim. Appendicula Hermenevticæ subjuncta agit de *principis sermonis Paulini characteribus*: quæ tractatio ad integritatem Commentationis hujus universæ mihi pertinere visa est. Selegi hic itidem ea, quæ
sola

PRÆFATIO.

sola lectio crebrior jam a plurimis annis ipso usu mihi suppeditavit, nihil nunc sollicitus de eo, quid alii de stilo Pauli scripserint. Aphorismis duodecim hic itidem rem omnem sum complexus: qui bene considerati sermonem Pauli non parum condient, seu, tanquam plurimo gratiæ sale conditum, spirituali gustu exhibebunt, non spernenda etiam in hermeneuticam Paulinam luce illata.

Hanc Commentationem, & quidem priorem ejus partem, primum decreveram Commentario in epistolas Pauli pastorales præmittere. Quia vero dissertationis mensuram, quam illi destinaveram, excrevit, nunc seorsum editur una cum Isagoge in Pauli & reliquorum apostolorum epistolas. Qua ratione etiam magis erit idonea usibus prælectionum mearum, ut in iis auditores librum portatilem & minori pretio venalem in certis horis, quibus isagoge præbetur in hanc vel istam epistolam, & quibus aphorismi hermeneutici ac characteres stili Paulini explicantur, possint ad manus habere. Hæc est œconomia totius opusculi. E qua etsi de serie tractationis jam constare potest, exhibebo tamen in paucis paginis generalem & specialem ejus conspectum, tanquam indicem ejusdem generalem, speciali locorum explicatorum aut illustratorum ad finem relato. Et generalem istum excipit *Index scriptorum meorum*, sine ulla ostentatione datus, in gratiam eorum, qui eum per litteras expetiverunt, & qui non ignorant, in eo etiam aliquod notitiæ litterariæ subsidium esse, si catalogum habeas scriptorum, quos ecclesiæ doctores ediderunt, eumque cum aliquo rei litterariæ dispendio de plurimis desiderari. De appendice hujus libri Germanica, sic dicto *T. imotheo Verino* opposita, videatur infra ejusdem præfatio. Vale, benevole lector, in Domino, & hac de vita Pauli commentatione ita utere, ut eandem per omnem vitam tuam imiteris, & vitam ejusdem imaginem ipsa praxi repræsentes. Halæ Magdeburgicæ, mense Septembri anno Christi M DCC XIX.

CON-



CONSPECTUS

TOTIUS LIBRI
PARS PRIOR

DE

VITA PAULI

SECTIO I.

De

*Vita & rebus Pauli a juventute usque ad legationem
ejus Antiochenam ad gentes.*

- Cap. I. De Vita Pauli ante ejus conversionem & vocationem ad munus apostolicum
pag. 1--14
- II. de Pauli conversione & vocatione ad munus apostolicum p. 14--24
- III. de ipso munere apostolico & ejus characteribus diacriticis p. 24--30
- IV. de rebus Pauli ab ejus conversione usque ad ejusdem legationem Antioche-
nam, seu Antiochia factam p. 40--47

SECTIO II.

De

*Rebus Pauli a legatione ad gentes Antiochena usque ad
vincula Hierosolymitana & Casarensia.*

- Cap. I. de rebus Pauli a legat. Antioch. usque ad concilium Hierosolymitanum Act.
XIII. XIV. p. 47-57
- II. de concilio Hierosolymitano Act. XV. p. 57--67
- III. de expeditione Pauli, quam cum Sila per Asiam & Græciam fecit, usque ad
reditum ad Antiochiam, scriptis epistolis ad Thessalonicenses. Act.
XVI. XVII. XVIII, 1.-23. p. 67--102
- Inscri-

c

CONSPECTUS TOTIUS LIBRI.

- Inferitur Disquisitio Braunii de epistolis Pauli* p. 102--111
Cap. IV. de expeditione Pauli per Asiam & Græciam iterata, usque ad vincula Hierosolymitana & Cesarensia: & de epistolis, priore ad Corinthios, ea ad Galatas, posteriore ad Corinthios, ea ad Romanos p. 112--129

SECTIO III.

De

Rebus Pauli posterioribus a vinculis Cesarensibus usque ad ejusdem mortem.

- Cap. I. de vinculis Pauli Hierosolymitanis & Cesarensibus & de ejusdem apologiis* p. 130--140
II. de itinere Pauli Romano p. 141--148
III. de vinculis Pauli prioribus & de scriptis in iis quatuor epistolis ad Philem. ad Coloss. Philipp. & ad Hebræos p. 149--160
IV. de Pauli expeditione ultima, seu itineribus inter vincula priora & posteriora mediis: & de epistola ad Timotheum priore & ea ad Titum p. 161--171
V. de vinculis Pauli posterioribus & de ipsa morte: & de scripta epistola ad Ephesios & de posteriore ad Timotheum p. 172--180
Tabula chronologica vite Pauli p. 181--188

PARS POSTERIOR

DE

PAULI EPISTOLIS

SECTIO I.

De

Circumstantiis seu momentis epistolarum historicis ac hermenenticis.

- Cap. I. de prioribus Pauli epistolis, ante vincula Romana scriptis.*
Membrum 1. de epistola priore ad Thessalonicenses p. 189--193
2. de epistola posteriore ad Thessalonicenses p. 193--196
3. de epistola priore ad Corinthios p. 196--208
4. de epistola ad Galatas p. 208--215
Mem-

CONSPECTUS TOTIUS LIBRI.

Membrum 5. de epistola posteriore ad Corinthios	p. 216--224
6. de epistola ad Romanos	p. 224-240
Cap. II. de epistolis Pauli mediis in captivitate priore & proxime post eam in Italia scriptis.	
Membrum 1. de epistola ad Philemonem	p. 240--241
2. de epistola ad Colossenses	p. 241--247
3. de epistola ad Philippenses	p. 248-252
4. de epistola ad Hebræos	p. 252-262
Cap. III. de epistolis Pauli ultimis, post priora vincula extra & intra Italiam scriptis	
Membrum 1. de epistola priore ad Timotheum	p. 262--269
2. de epistola ad Titum	p. 269--271
3. de epistola ad Ephesios	p. 271-279
4. de epistola ad Timotheum posteriore	p. 279-283
Sectionis I. Appendix de epistolis Petri, Jacobi, Judæ & Joannis	p. 283--315

SECTIO II.

De

Hexagoge Hermeneutica.

Aphorismi duo generales de boni interpretis habilitate & practico ejusdem officio	p. 315--317
Cap. I. continens duodecim aphorismos de sensu litterali eruendo	p. 318--234
II. totidem aphorismos de emphasiologia, seu emphasi eruenda	p. 334--344
Sectionis II. Appendix de characteribus sermonis Paulini, qui duodecim aphorismis proponuntur.	p. 344--355
Accedit Analysis evangelistarum, Matthæi, & Joannis, nec non Act. Apost.	p. 355--fin.



Errata typographica.

pag.	lin.	lege.	pag.	lin.	lege.
2	13. a fin.	eadem	107	2	populos.
7	9	ἡρώων	117	4. a fin.	Apollo.
--	12	opificiis	123	3	cæsus.
8	ult.	deprecantis.	127	15. a fin.	discessurus.
9	2	synagogis.	135	6	sceleri.
13	11. a fine	argumentatio		13 a fin.	obstrinxerant.
	5. a fine	cælibatu.	137	22	hac
18	14. a fine	magnam.	139	13 a fin.	XXVI.
23	2	ablue.	145	10	Deo
39	22	alias.	171	3	membrana
42	15. a fine	detrectavit.	174	4	commorari
49	6. a fine	efferretur.	175	8	se <i>deleatur</i>
53	12	profapia.	176	10. a fin.	quæ.
68	9	analogia.	177	10	indicat.
70	4	libertatis.	214	5	indignitas..
75	14. a fin.	nos.		ult.	inculcatur.
76	13	probabile est.	326	8	morte fascitavit.
83	8. a fin.	Paulinis.	339	13	metaphoricarum.
84	20	Thessalonicenses.	342	2. a fin.	morum.
104	10	Asiam	343	1	ipso.

NB. in *historia eccles. V. T.* p. 296. lin. 15. deleantur verba: *jod penultimo demto & ejus loco: & p. 319. lin. 8. a fin. lege certi. ibid. lin. 6. a fine facta. p. 332. lin. 30. Conspiciam.* Reliqua a mendorum collectore in utroque libro non observata lectoris æquitas τῆ ἀβλαψίας correctoris, aut typographæ aberrationi, condonabit.

INDEX

INDEX SCRIPTORUM.

SCRIPTA BEROLINENSIA.

PHILOLOGICA ET PHILOSOPHICA.

Institutiones Stili Latini, quibus non solum de natura, adjunctis, diversitate, variisque stili generibus ac regulis, presse agitur; sed etiam interpungendi modus ostenditur; nec non notabiliores barbarismi ac solæcismi, subjuncto judicio de Latinæ linguæ ætatibus ac auctoribus, strictim exhibentur. Accedit Schematismus de eloquentia scholastica, una cum tabula Rhetorica, nec non appendix de præcipuis Latini sermonis adagiis. 8. Berolini sumptibus J. C. Papenii. Editio quinta plag. XI.

Horæ Latini Sermonis tripartitus, continens *Institutiones stili*, nec non phrasium lectissimarum copiam, seu *Anthologiam*, atque *Flores*, e probatissimis auctoribus collectos: Libri tres, olim aliquoties seorsum, nunc conjunctim, editi, cum præfatione de meta curriculum studiorum scholastici. 8. Berolini, impensis J. C. Papenii: editio III. 1. alphab. 6. plag.

Verbesserte und erleichterte Lateinische Grammatica, in welcher durch hins länbliche Paradigmata, VII. richtige Syntactische Grund-Regeln/ und nöthigen Vorrath an Vocabulis, nebst der Poësie/ eine deutliche/ kurze und doch völlige Anweisung zur Lateinischen Sprache gegeben wird: nebst einer Vorrede von Verbesserung des Schul Wesens/ und mit einem Anhang eines nützlichen Paradigmatischen und Dialogischen Tirocinii: also eingerichtet/ daß ein Knabe/ mit Ersparung der Kosten/ Zeit und Mühe/ hievon sofort auf die Auctores geföhret werden könne. 8. Halle in Verlegung des Waisen-Hauses/ Edit. VIII. 1. alphab. 9. plag.

Colloquia Latina, una cum Tirocinio paradigmatico, in usum tironum linguæ separatim edita. Hal. Sax. litteris & impensis orphanotroph. edit. II.

Clavis Hebrai Codicis, qua secundum seriem librorum, capitum ac commatum, vocum Hebræarum Latina translatio ac analysi, una cum radicibus exhibentur: in gratiam eorum, qui citra difficultatem ac moram, vel suo Marte feliciter, vel sub viva institutione feliciter, in ipsius sacri codicis lectione ac repetitione progredi volunt. Accedit *triplex memoria subsidium*, una cum *Nucleo Grammaticæ Hebrææ*. 8. Hal. Sax. Typis ac impensis orphanotrophei. Anno 1707 edit. II.

Medicina Mentis, qua, præmissa philosophica, seu medica, sapientia historia, ostensaque ac rejecta philomoria, secundum vera philosophia principia agræ mentis sanatio, ac sanatae usus in veri rectique investigatione ac communicatione, in gratiam traditur eorum, qui per solidam eruditionem ad veram sapien-

INDEX SCRIPTORUM

sapientiam contendunt. Accedit appendix Logicæ & Metaphysicæ vulgaris. 8. Berolini impensis offic. libr. Orphanotroph. Hall. edit. IV.

Physicæ Comenianæ, ad lumen divinum reformatæ, *Theses*, quibus secundum vera scientiæ naturalis principia, e primo Geneseos capite deducta, mundani systematis ortus, distinctio, & exornatio exhibentur. 8. Berol. in officina Orphanotroph. Hall. clo 1000 II.

THEOLOGICA.

Grundlegung Christlicher Lehre und des darauf erbaueten wahren Christenthums. 12. Berlin 1696. edit. IV. pl. 1.

Geminum judicium de athei conversione, e Consiliis B. Speneri Germanicis Latine versum. 4. Halæ Saxon. impensis orphanotrophei 1703. plag. 6.

Sciagraphia Sacra, quæ in memoriæ subsidium librorum utriusque testamenti historicorum structuram & analysin succincte exhibet. 8. Hal. 1712. imp. Orphan. edit. II. plag. 6.

Aufrichtige Nachrichten von der Unrichtigkeit der sogenannten unschuldigen Nachrichten/ zur Unterscheidung der Orthodoxie und Pseudorthodoxie, nach der Wahrheit und Liebe ertheilet. 10. Theile. 8. Leipzig 1705. seqq. verlegt Joh. Heinrichs Wittwe. ohngefahr 5. Alphabet. edit. II.

Oratoria Sacra ab artis homileticæ vanitate repurgata, qua, præmissa dicentis habilitate ac fidelitate, præter methodum publice cum fructu docendi, etiam de usu verbi privato, nec non de præjudiciis concionatorum ex vero agitur. Accedit Specimen Commentarii Porismatici in pericopas evangelicas. 8. Hal. impens. Orphan. 1707. edit. II. I. Alph.

Idea ac Anatome pseudorthodoxiæ, præcipue Schelwigianæ. Lipsiæ anno 1707. 8. plag. 8.

Antibarbarus Orthodoxiæ dogmatico-hermeneuticus, seu Systema dogmatum evangelicorum solide demonstratorum, a pseudevangelicis autem temere impugnantorum, atque ita simul controversiarum, sub specie orthodoxiæ ex impietatis affectu adversus B. D. P. J. Spenerum aliosque γυναικας orthodoxos temere motarum: opus, quod Speneromastigum intemperiem, tricas atque errores, per multas exemplorum centurias denudat, ostensisque naturæ & gratiæ confiniis, Theologiam evangelicam a denuo inducta barbarie, inprimis a fermento pseudorthodoxiæ Neopelagiano, orthodoxe repurgat. 4. Berolini impensis J. G. Meyeri 1709. duæ part. priores. 3. Alphabet. 16. plag.

Antibarbari Orthod. Dogm. Herm. sive System. Dogm. evang. & recent. controv. partes posteriores, quibus inter alia affectatus Speneromastigum domi-

dominatus ac hæresiopoeia ex vero describitur, ac solide demonstratur, Pietismum non esse sectam, sed fabulam. 1711. alphab. 5.

SCRIPTA HALLENSIA.

DISPUTATIONES ACADEMICAE.

Experientia rerum divinarum spiritualis ex epist. ad Philipp. v. 9. 10. demonstrata, respondente Georgio Christiano Bohnsted Halberst. 1710.

Regeneratio ad spem vivam vitæ æternæ ex 1 Pet. I, 3. 4. 5. respondente Levino Bagel / Gard. March. 1710.

Mysterium λόγος ὑποστατικὸς ex Jo. I, 1. & 1 Jo. I, 1. respondente Frid. Christ. Schreiber / Magd. 1711.

Idea boni animarum pastoris ex 1 Petr. V, 1. 4. respondente Jo. Bog. Manitio, Berolinensi 1711.

Isagoge Exegetica generalis in primam sancti apostoli Joannis epistolam, generalia totius epistolæ momenta ejusdemque analyfin continens, respondente Christ. ab Angelbeck / Frisio. 1712.

Theologia Studiosus verbique divini minister aptus & fidelis ex 2 Tim. II, 15. delineatus, respondente Jo. Christ. Piper / Spandov. March. 1712.

Theodidascalia e Spiritus Sancti unctiōne proveniens & ministerii ecclesiastici osoribus ac fanaticis præcipue opposita, ex 1 Jo. II, 27. respondente Jo. Sigismundo Bando, Berolinensi. 1712.

Diversa domus Dei vasa ex 2 Tim. II, 20. 21. respondente Henr. Jacobo Krüger / Ascan. 1712.

Melchisedecus ἰσορῶμενος, seu historice ex Gen. XIV. & Psalm. CX. descriptus. 1713.

Melchisedecus ἀλληγορῶμενος, seu antitypice ex Hebr. VII. delineatus, respondente Gottlieb Schlitte / Magd. 1713.

Ortus animæ primæ a Deo, non per essentialē emanationem, sed per creationem. Petro Poireto opposita Dissertatio prior, respondente Andr. Herm. Teske, Berzoa Magd. 1713.

Ortus animæ primæ a Deo: eidem Poireto opposita Dissertatio posterior, respondente Andrea Gottfr. Uhde, Hattmersleb. Magd. 1713.

Epi-

INDEX SCRIPTORUM.

Epicrisis in Judicium Gamalielis, de caussa Christi & Apostolorum, Act. v. 38. 39. respondente Jordan Duve, Gardelegiensi Marchico. 1715.

Christus una cum Christianismo in atrio tabernaculi Mosaici, respondente Joanne Friderico Gebser, Rosla-Thuringo 1714.

Pæna talionis theologice considerata & præcipue exemplis biblicis illustrata, respondente Jo. Justo Böhme/ Kelbra-Thuring. 1715.

Disputatio secularis & simul inauguralis de indulgentiis, qua B. D. Martini Lutheri, Germanorum evangelistæ, Theses XCV. tanquam prima certaminum & totius negotii reformationis tuba, nundinationi veniarum cal. Nov. 1517. oppositæ, monitis isagogicis notisque illustrantur. 1718.

Genuina studii theologici, præcipue thetici, indoles ex 2 Tim. I. 13. 14. demonstrata, in programmate sub initium muneris academici 1709.

Programmata alia diversi generis & diversorum annorum decanalia, in tria majora festa.

SCRIPTA ALIA.

Epicrisis epistolica ad virum summe rev. D. Jo. Henricum Majum, de Dissertatione epistolica viri S. R. D. Mich. Foertschii de notitia rerum divinarum in non renatis. Accedit συγχεσίως Dissertatio elenctica D. Wernsdorffii tribus disputationibus de gratia docente opposita. 4. Halæ impensis Rengerianis. plag. 18. 1710.

Dialysis elenctica, quæ D. J. G. Neumanni Theologiam Aphoristicam, doctrinæ purioris corruptelis, nec non fallaciis sophisticis ac criminationibus, in B. D. Phil. Jac. Spenerum, aliosque innocentes pietismi scommate notatos, iniquis, scatementem, ut jam tum discussam, ad Antibarbarum remittit. Accedit, præter aliud dominatus Neumanniani specimen, aphoristica fabulæ pietisticæ recensio. 8. Hallæ impensis Jo. Frid. Zeitleri. A. 1711. plag. 12.

Reperita Solida Demonstratio doctrinæ Evangelicæ de vera illuminatione, seu spirituali Dei rerumque divinarum cognitione, solis regenitis propria: qua, oppositi erroris gravitate denuo manifestata, suam Epicrisin Epistolice adversus Commentationem Dn. D. Mich. Foertschii juste ac placide defendit, & quomodo hæc controversia, in salutem ecclesiæ, cum luculenta veritatis, adhuc frustra oppugnata, victoria componi possit, aut potius jam tum maxime ex parte composita sit, partim e statu controversiæ, a dissentientibus temere deserto, partim ex eorum concessis, perspicue ac solide commonstrat Auctor. Accedit appendix bipartita, D. Jo. Fechtii Disquisitioni,
nec

INDEX SCRIPTORUM.

nec non Frider. Christ. Bucheri Theologiae Anti-Fanaticae, opposita. 4. Halae impensis Rengerianis A. C. clō lccc xi. alphab. 1. & 13. plag.

Iusta Apologia, qua D. Wernsdorfii, Theologi Wittenbergensis, maledicas *Φλυαγίας*, in B. D. Phil. Jac. Spenerum, aliosque innocentes Theologos, injurias, discutit, suamque ipsius innocentiam denuo in apricum profert J. L. 4. Halae, impensis Rengerianis clō lccc xii. plag. 9.

Modesta ac placida, eaque apologetica, Commentatio in sic dictam *Brevem Deductionem* Dn. D. Förtschii: qui tractatus majoris perspicuitatis gratia hic integre insertus est. Hal. 1712. plag. 12.

Exegesis epistolarum Apostoli Petri, qua, supervacuis omisissis, praeter ostensam singulorum membrorum *συνάφειαν* & analysin, cujuslibet loci, vocisque ac locutionis, genuinus sensus, nec non emphasis ac parallelismus, secundum fontem Graecum solide ac perspicue eruuntur, omniaque ad christianismi praxin, cum uberiori sapientiae ac prudentiae studio conjungendam, sincere applicantur, cum indice rerum ac verborum emphasiologico. 4. Hal. impensis Orphan. alphab. 5. 1712.

Exegesis epistolarum Joannis, eadem methoda concinnata. Hal. Sax. 1712. alphab. 5.

Die richtige Mittel: Strafe zwischen den Abwegen der Absonderung von der äusserlichen Gemeinschaft der Kirchen / auch anderer Lehr- und Lebens Irrungen / wie auch der Päpstlichen Keckermacherey / und der damit verknüpften falschen Lehre / einiger unruhigen und widriggesinneten Theologorum; nebst gründlichem Erweis der Kinder-Taufse / und einer Gewissens-Rüge an Herrn D. Johann Secht / eines unlängst ausgefertigten Responsi wegen. 4. Halle verlegt in Rengerischer Buchhandlung / 1712. 1. Alph. 17. Bogen.

Der richtigen Mittel: Strafe zwischen den Irrthümern und Abwegen anderer Theil / in der Lehre von der Erleuchtung / oder von der Kraft des göttlichen Worts / von der Erkenntniß Gottes und geistlichen Erfahrung / im gleichen vom öffentlichen Lehr- Arate und Amts- Gaben der Gottlosen / nebst einem Anhang / darinnen das Geheimniß der Bosheit / so in Christi Kreuz- Reiche sonderlich an unbekehrten Lehrern jederzeit sich geäußert hat / aufrichtig entdecket / und zuletzt eine neue Wittenbergische Laster-Schrift kürzlich abgewiesen wird. Halle / 1712.

Der richtigen Mittel: Strafe dritter Theil / in der Lehre / Christus für uns / da die Evangelische Wahrheit von der Genugthuung Christi und von der Rechtfertigung in ihrer Lauterkeit / Kraft und richtigen Hells-Ordnung /

nung / auf der einen Seiten gegen des Democriti Christiani sogenannten apostolischen Wegweiser / auf der andern wider die zur fleischlichen Sicherheit führende Abweichungen einiger unruhigen Theologorum in der evangelischen Kirchen / auf Gottes Wort erbaulich vorgetragen und gründlich bevestiget wird. Halle 1713. 2. Alphab.

Der richtigen Mittel. Strafe vierter und letzter Theil in der Lehre: Christus in uns zur Heiligung: Da die evangelische Wahrheit von der Verleugnung alles ungöttlichen Wesens und von der Ausübung wahrer Gottseligkeit / auf der einen Seite gegen den mit Vernichtung aller wahren Pietät verknüpften und von einigen unruhigen Theologis vertheidigten fleischlichen *Indifferentismum*; mit einer abgenöthigten Beantwortung dessen / was Herr D. V. E. Löscher in den letztern Theilen seiner sogenannten Unschuldigen Nachrichten zur Schmückung seiner censorischen und keuzermacherischen Unbefugnissen aufs neue vorgebracht; auf der andern Seiten die Abweichungen derer / so das Werk der Erneuerung zwar ernstlich / aber in Unrichtigkeit treiben; in ihrer Lauterkeit / Kraft und rechten Heils- Ordnung deutlich vorgetragen und bevestiget wird. Mit einem dreyfachen General-Register über alle 4. Theile. 2. Alphabet 7. Bogen.

Anhang zu der richtigen Mittel. Strafe / oder Prüfung des Geistes in den sogenannten Theosophischen Send. Schreiben / in welcher des Auctoris Lehren vom Melchisedechischen Priesterthum / und der mit der himmlischen Sophia / zum Nachtheil des von Gott verordneten Ehestandes / zuführenden paradisischen Ehe der Gläubigen u. s. w. nach der heiligen Schrift gründlich untersucht wird. Halle 1715. 1. Alphab. 12. Bogen.

Die Gestalt des Creutzreichs Christi in seiner Unschuld / mitten unter den falschen Beschuldigungen und Lasterungen / sonderlich unbekehrter und fleischlich gesinnter Lehrer / erstlich insgemein vorgestellt / und hernach mit dem Exempel Herrn D. Val. E. Löschers in seinem sogenannten Timotheo Verino, nebst einem Anhange von der Sünde wider den Heil. Geist / ausführlich erwiesen und erleutert. 8. Halle 1713. in Verlegung des Waisenhauses. 1. Alphabet 14. Bogen.

Nöthiger Unterricht von unmittelbaren Offenbarungen / und zwar erstlich insgemein; und dann insonderheit / von den ganz sonderbaren *agitationibus*, *inspirationibus* & *effatis*, Leibes. Bewegungen / auch vermeinten prophetischen Ein- und Aussprachen / welche anfangs in Cevennes, einer Landschaft in Franckreich / entstanden / und hernach durch etliche Cevenneser in Engel- und Schottland / auch Holt- und Teutschland / fortgesetzt worden: zur heilsa

heilsamen Prüfung und Warnung/ nebst der Beantwortung eines gewissen dis-
falls edirten Send-Schreibens/ auf Gutbefinden der sämtlichen Theologischen
Facultät auf der Königlich Preussischen Friedrichs-Universität aufgefertiget. 4.
Halle/ verlegt in Nengerischer Buchhandlung. 1715. 1. Alphabet. 21. Bogen.

בצלח h. e. *Mysterium Christi & Christianismi* in fasciis typicis anti-
quitatum biblicarum V. T. quo ritus Hebræorum ecclesiastici circa loca,
personas, tempora & actiones, ita explicantur, ut, præter usum hermeneu-
ticum inde redundantem, *nucleus evangelicus*, seu *veritas*, quæ in Christo est,
ac in christianismi praxi vigere debet, evoluta commendetur. 4. Hal. im-
pensis Orphanotroph. 1716. alphabeta 3.

Historia ecclesiastica V. T. a mundo condito per septem periodos usque
ad Christum natum deducta & memoriæ accommodata, cum *Isagoge exege-
tica* in libros sacros, præcipue historicos. Accedunt synchronismi historiæ
exoticæ, civilis & litterariæ, speciatim philosophicæ. 4. Hal. Saxon. 1717.
alphabeta 6.

Wohlverdientes Ehren-Gedächtniß des theuren Mannes Gottes/
D. Martini Lutheri, und der Evangelischen Reformation/ in Wiederho-
lung der von demselben gereinigten und fleißigst getriebenen apostolischen Lehre
vom Glauben und guten Wercken: nebst einem ausführlichen Vorbericht
von dem vor hundert Jahren gehaltenen ersten Jubel-Fest/ und den damals
deshalb inn- und außserhalb der evangelischen Universitäten edirten vielen
Schriften: als eine Vorbereitung zu dem instehenden andern *Jubileo*, auß schul-
diger Danckbarkeit gegen Gott für die unschätzbare Wohlthat der Reforma-
tion/ und zur gemeinen Erbauung/ sonderlich der studirenden Jugend auf der
Königl. Preuß. Fridrichs- Univ. gestiftet. Halle in Nengerischer Buchhandlung.
1717. 4. 20. Bogen.

Not. Tituli librorum eum in finem pluribus verbis hic expressi sunt,
ut lectoribus, qui eos nondum in manibus habent, de ipsorum argumen-
to eo plenius constare possit.

Vorreden

Zu des sel. Johann Arnds wahrem Christenthum/ Berlinischer und
Hallischer Edition in grössern Format: Von dem ungemeynen Seegen und
Nutzen/ auch Freunden und Feinden/ wie auch von dem würbigen Gebrauch/
des Arndischen Christenthums. 1712.

Zu Herrn Past. Zeisens *Exegetischen Einleitung* in die apostolischen Brie-
fe/ von der Methode erbaulicher zu predigen. Halle 1712.

INDEX SCRIPTORUM.

Zu Herrn P. Zeisens Exegetischen Einleitung in die drey Evangelisten/Matthäum/Marcum und Lucam/von eben derselben Materie. 1713.

Zu Herrn P. Zeisens Exeg. Einleitung in den Evangel. Johannem und in die Apostel-Geschicht: Noch von der Methode erbaulicher zu predigen. 1715.

Zu des seel. Aegidii Hunnii von Herrn Past. Crasselio ins Deutsche übersetzten Tractat von der göttlichen *Auctorität* und Gewißheit der Heiligen Schrift: Welche Vorrede von der Vergleichung der Heil. Schrift mit der menschlichen Natur Christi handelt. Stendal 1715.

Zu des seel. D. Phil. Jac Speneri geistreicher Vorstellung des Ursprungs und der Beschaffenheit unterschiedlicher Päbstlichen Lehren; Vom dreyfachen Haupt-Charactere eines rechtschaffenen Evangel. Theologi, an Speneri Exempel gezeigt. 8. Halle in Verlegung des Waisenhauses. 1714.

Zu Herrn Past. Reinbeck's Unterricht von nöthiger Prüfung der Geister: Da in der Vorrede eine von einem Adharenten der sogenannten Inspirirten edirte Schmäh-Schrift abgefertiget wird: nebst einem Anhang wider einen vermeinten Apologeten des Timothei Verini, von H. J. J. R.

Scripta volente Deo proxime edenda.

Exegetis epistolarum Pauli Pastoralium ad Timotheum & Titum, eadem methodo, qua Commentarii epistolarum Petri ac Joannis cencinnati sunt, elaborata: cum uberiore appendice, eaque duplici, una didascalica, de ministerio ecclesiastico, altera apologetico-elenctica, D. Val. Ern. Læscheri sic dicto Timotheo Verino Completo opposita.

Das Reich Gottes in der Seelen zur Verklärung Christi/ in dem Genuß der durch Christum uns erworbenen und geschenkten Heils-Güter und Gnaden-Gaben angerichtet; und zur Erweckung des rechtschaffenen Wesens im evangelischen Christenthum vorgestellt. Mit einem gedoppelten Anhang; dem ersten von den hienit verbundenen Christenthums-Pflichten; dem andern von der Wahrheit und Fürtrefflichkeit der Christlichen Religion.



COM-



COMMENTATIONIS
HISTORICO-HERMENEVTICÆ
PARS PRIOR

De

VITA PAULI APOSTOLI,
SECTIO I.

De

VITA ET REBUS PAULI A JUVEN-
TUTE USQUE AD EJUS LEGATIONEM ANTIO-
CHENAM AD GENTES.

CAPUT I.

De

VITA PAULI ANTE EJUS CONVERSIONEM
ET VOCATIONEM AD MUNUS APOSTOLICUM.

SYNOPSIS.

Pauli patria Tarsus Cilicia. §. I.

Unde habuit jus civitatis Romanae §. II.

Ejusdem etas §. III. ac prosapia. §. IV.

- - Prosopographia. §. V.

- - Animi dotes. §. VI.

- - Litterarum studia. §. VII.

Studiis addidit opificium *συννοτωϊτας*.
§. VIII.

Studiorum vero sacrorum causa adiit Hie-
rosolymam. §. IX.

Sed quo etatis anno, incertum est, §. X.

In Judea sub Gamalielle se addixit sectæ
Phariseorum. §. XI.

A qua ad summam zeli intemperiem est
adductus. §. XII.

Ubi duo queruntur: primum, quomodo sub
moderati preceptoris, Gamalielis, insti-
tutione ad furorem usque profecerit?
§. XIII.

Deinde an eo in statu bonæ conscientie lo-
cus esse potuerit? §. XIV.

Subjungitur disquisitio de Pauli celibatu.
§. XV.

Ac demonstratur, Paulum fuisse ac man-
sisse calibem. §. XVI. - XX

A

§. I.

§. I.



Itam Pauli delineaturo primum occurrit ejus patria: quæ fuit *Tarsus*, cujus se civem natum vocat ipse Apostolus Act. XXI, 39. XXII, 3. Conf. c. IX, II, urbs Ciliciæ totius primaria, situ, antiquitate, amplitudine, incolarum frequentia, item philosophiæ ac litterarum studiis & mercaturæ laude florentissima, ideo STEPHANO ἐπισημοτάτη τῆς Κιλικίας dicta. Et a litterarum quidem cultura tantam eam laudem obtinuisse, ut ipsis etiam Athenis & Alexandriæ palmam fecerit dubiam, STRABO auctor est L. XIV. Non ergo sine causa Paulus eandem vocat ἡ ἀσημον, *haud obscuram seu ignobilem*. Act. XXI, 39. Nomen suum, uti vero est quam simillimum, habuit a conditore, *Tarsiso, Javanis*, Græcorum omnium patris, filio, & Japheti nepote Gen. X, 2. Tarsi vero Judæos habitasse multos, mirum non est illi, qui perpendit, quam varios casus, & quanta rerum discrimina, gens Judaica inde a dispersione Assyriaca & Babylonica subierit, præcipue sub imperio Græcorum, seu regnorum, ex imperio Alexandri Macedonico residuorum, maxime Syriaci. Et cum gentes reliquæ, per varios casus aliis permixtæ, adscitis illarum ritibus ac institutis, cum iisdem facile in idem civitatis ac societatis corpus coalescerent, solos Judæos sacrosancta legis ac rituum discrepantia ab aliis populis ubique locorum distinxit. Unde, cum reliquorum *παρισπιδήμων* numerus, exspirante discriminè, sensim decreveret, Judæorum frequentia eodem permanente subinde magis invaluit. Vide loca Act. II, 9, 10. Jac. I, 1. 1. Pet. I, 1. item Jo. VII, 35. ubi Judæorum, inter Romanos, Parthos & Persas, præcipue inter variarum regionum Græcos, disperforum, fit mentio.

§. II.

Non vero tantum *Tarsensis*, sed etiam *Romanus civis* noster fuit, jure hoc insigni, quod aliis multo ære redimendum erat, ab ipsis natalibus cepto. Act. XXII, 28. Quod quo sensu ibidem dicatur, non una omniam est sententia, aliis Tarsum pro Romanorum colonia aut municipio, & jus Romanæ civitatis pro communi habentibus, aliis id tanquam proprium, & singularibus in Romanos meritis partum, familiæ Pauli tribuentibus. Vid. GROTIUM ad l. c. ubi quidem recte negat, Tarsum fuisse Romanorum coloniam; at sine ullo historiæ fundamento peculiare privilegium modo dictæ familiæ adscribit, Mihi placet sententia illorum, qui statuunt

tuunt, universam urbem Tarsum ob sua in Romanos merita, tempore triumvirorum præstita, civitate donatam fuisse. Et hoc est, quod e veteribus affirmat DION CHRYSOSTOMUS in orat. Tarsica posteriore: *Vobis, inquit, viri Tarsenses obtigit, ut primi sitis in hac gente: non solum quod maximam omnium in Cilicia habitetis civitatem, & metropolin ab initio; sed etiam quod Casarem secundum habuistis optime vobis faventem & familiarem. Infortunium enim, quod civitati illius causa acciderat, merito eum vobis benevolam fecit, utque daret operam, quo majora in vos sua apparerent beneficia, quam calamitates propter eum accepta. Itaque omnia, quæ quis amicis & sociis, quique tantam exhibuere benevolentiam, præstare posset, & ille (Augustus) vobis contulit: agrum (liberum, ac immunem, secundum commentationem HEINSII) leges (quæ de libertate municipiis conferri solitæ) honorem (ipsum civitatis jus) potestatem fluvii marisque vicini. Ceterum conferri hic meretur Cl. CELLARIUS in peculiari dissertat. de Pauli Romana civitate, quæ est XIV. in fasciculo, Part. II.*

§. III.

Ætas Pauli certo definiri nequit; probabiliter tamen hunc in modum potest colligi. Tempore cruenti martyrii, a Stephano protomartyre editi, fuit *ισαβίας* juvenis, adultæ ac consistentis staturæ vir (quo sensu Hebræi suum *ינג* usurpare solent) *ein junger munterer Mann*/ triginta circiter annos natus, certe illis non multo minor; quemadmodum liquet e munere ejus virili & satis gravi, quod a synedrio & sacerdotum collegio collatum adversus christiani nominis confessores magna cum auctoritate gerebat Act. IX, 1. seqq. c. XXII, 4. seqq. XXVI, 9. seqq. nec non ex ejusdem conversione, quæ secundum USSERIUM anno Christi 35, post obitum Stephani secundo contigit, & mox publico præconio, quale jam maturæ ætatis virum decebat, comprobata est. Huc accedit, quod se ipsum in epistola ad Philemon. v. 9. eo tempore, quo Romæ erat in vinculis, *senem* appellat. Jam vero hanc epistolam secundum eundem USSERIUM scripsit anno Christi 64. Unde facilis est conjectura, ipsum Christo fere æqualem, certe non multo juniorem fuisse. Mortem ejus idem auctor refert ad finem imperii Neronis, & ad annum Christi 67. & diem 29. Junii, quo Romæ gladio cæsus fuit, anno 70. Hierosolymitano excidio subsequente. Vitam Pauli secundum annorum seriem digestam vide infra in tabula chronologica.

§. IV.

Prosapia Pauli generatim memoratur ab ipso Phil. III, 5. dicente: *e gente Israel, e tribu Benjamin, Hebraus ex Hebrais.* Generatim erat Israelita, speciatim Benjaminita ex illa tribu, in cujus solo templum erat situm

A 2

Deut.

Deut. XXXIII, 12. quæ, domui Davidis adhærescens, constantius vero cultui fuit dedita. Specialius vero Paulus familiam suam nusquam recensuit; tantum abest, ut ejusdem seriem pertexuerit genealogicam; nil sibi honori ducens, nisi generationem supernam, qua e lupo Christi ovis factus erat. Ab ambitione & curiositate genealogica quomodo Judæos alios, qui Christo nomen dederant, avocaverit, vide 1. Tim. I, 4. Tit. III, 9. Quod vero Phil. III. 5. se vocavit *Hebraum ex Hebrais*, se distinguere voluisse videtur partim a profelytis, partim ab illis Judæis, qui, etsi natione erant Hebræi, tamen aut nullam, aut exiguam, ipsius Hebrææ linguæ peritiam habebant, adeo ut in lectione sacri codicis cogentur versione Græca uti. Et hanc ipsam calluit quidem Paulus, utpote doctissimus; lubentius tamen in ipso Hebræo fonte versatus est. Immo ex illorum fuit numero, qui in synagogis sacra faciebant sermone patrio. Cum tamen non improbable sit, etiam illos Judæos, qui inter Græcos Græca lingua utebantur, hanc cum patrii sermonis cultura conjunxisse, & hoc tantum sacra sua peregrisse, non abnuero, si quis dicat, hæc verba: *Hebraus ex Hebrais*, solis profelytis Græcis esse opposita, & pertinere ad declarationem præcedentis asserti, quo se vocat Israelitam & Benjunitam. HIERONYMUS, THEODORETUS, LYRANUS, PELLICANUS, alique existimant, Psalm. LXVIII, 28. exstare prophetiam de Paulo: *Illic Benjamin parvus* &c. Vide istorum sententiam novis tibicinibus suffultam a JACOBO ALTINGIO in *Schilo* L. V. c. XX. uti & Comment. Oper. Tom. II. Part. III. Conf. HERMANN, WITSIUM *Meletem. Leidens. de Vita Pauli* p. 10, 11.

§. V.

Prosopographia Pauli ignoratur, & quidem eo tutius, quo minus illa momenti habet, & quo notior nobis idem est e præclaris dotibus suis. Arripi vero solet, tanquam aliquod ejus vestigium, locus 2 Cor. X, 10. ubi referuntur pseudapostolorum voculæ de litteris & de præsentia Pauli, dicentium, *litteras ejus esse graves & validas, præsentiam vero corporis infirmam*: sed infirmitas corporis hic rectius accipitur de defectu magnificentia & splendoris, quod Paulus nullo apparatu, sed viliori habitu, inceserit. Non tamen est improbable, ipsum minore fuisse statura, & hinc minus aspectabilem, ideoque ab iis, qui gravitatem & magnitudinem spiritus in ipso non curabant, contemptim habitum. Et hoc est, quod antiquissima habet traditio: quam NICEPHORUS CALLISTUS secutus L. II. c. XXXIII. *Paulus, inquit, corpore erat parvo & quasi incurvo atque paululum inflexo, facie candida, annosque plures præ se ferente, & capite calvo: Oculis multa inerat gratia, supercilia deorsum versus vergebant, nasus pulcre inflexus, idemque longior, barba densior & satis promissa: Eaque non minus, quam capitis coma, canis etiam respersa erat:*

erat:

erat. Hæc ille, sed incerto fundamento. Immo ne probabile quidem est, Paulum corpore fuisse parvo & simul incurvo. Ista enim forma adversa est decoro, ejus servantioem fuisse ipsum, passim ex epistolis liquet. Nec facile deprehendimus corpora parva & simul inflexa; nisi apud sellulariæ vitæ homines, qui gestum istum longiori consuetudine contraxerunt. Exercuit quidem ipse etiam Paulus artem suam, de qua mox; at sine ea perpetuitate, quæ aliquod corpori curvamen potuisset attrahere. Exigua tamen statura ipsum fuisse, facile largior, eamque existimo aliquid momenti attulisse ad eam nominis mutationem, qua pro Saulo, primæ litteræ permutatione, dictus fuit *Paulus* vocabulo Latino, parvitatē notionem habente. LUCIANUS in Philopat: Paulus est *Galilaus recalvaster, naso aquilino, qui in tertium usque cælum per aerem ingressus est.*

§. VI.

Certiora sunt, quæ de *animi dotibus* habemus. Sed de *naturalibus* tantum hic nunc sermo est. *Ingenio* fuit acri & felicissimo, in rerum quarumvis apprehensione & communicatione prompto: *judicio* acuto ac solido, quod obviarum rerum nexus ac latentiores recessus acie sua facile potuit introspicere ac penetrare, suoque robore curatius examinare & excutere. Et utrique huic facultati famulata esse videtur *memoria* tenax ac firma. Accessit flumen *eloquii*, exilis quidem pro imbecillitate laterum ac vocis, ideoque pseudapostolis ἐξυθενήμενος, abjecti 2 Cor. X, 10. at excitati tamen, animatique ac penetrantissimi. In *actionibus* fuit promptus, celer, expeditus, nec non fervens & assiduus, cautusque ac prudens; in *consuetudine* seu conversatione omnibus facilis ac svavis, ideoque gratisimus. Et hisce dotibus accommodata fuisse videtur constitutio corporis sanguinea, deinceps per gratiam sanctificata. Istis vero nostrum eluxisse, manifestum est partim ex eo, quod sub disciplina præceptorum alios suæ ætatis adolescentes ac juvenes profectibus superavit, uti ipse perhibet Gal. I, 14. partim e favore illo insigni, quem apud eosdem & proceres ecclesiæ Judaicæ sibi collegerat, adeo ut ipsi hæreticæ pravitatē (at falso creditæ) inquisitionem concrederent. Et hanc ipsam Saulus ita obiit, ut Judæis esset admirationi, christianis terrori, quemadmodum liquet ex Act. IX. XXII. & XXVI. Quæ Pauli dotes naturales etsi per se Apostolatui gerendo aptæ essent minime, nec sufficerent; ipsi tamen procul dubio a Deo eum in finem collatæ sunt, ut aliquando sanctificatæ regno Christi inservirent. Quandoquidem enim gratia naturam, donis ejusmodi per se bonis instructam, nequaquam destruit, sed tantum corrigit ac dirigit, immo dona ejusmodi requirit ac sanctificata in charismata convertit; Deus Paulum, quem ad extraordinarium evangelii ministerium destinaverat, jam inde ab utero matris iis instruxit

dotibus, quas scopo isti necessarias esse noverat. Et huc respicere Paulum, quando sui segregationem, seu destinationem, jam ab utero matris factam Gal. I, 15. memorat, quis dubitaret? Observent hic illi, quos Deus per naturam sagacioris ingenii ac judicii donis exornavit, suum omnino esse, ut ea finant e gratiæ principio sanctificari, & sic regno Christi famulari; etsi sine apostolatu.

§. VII.

Cum vero Paulus, iis pollens animi facultatibus, ad litterarum studia esset aptissimus, in iis, uti & in religione Judaica, ipsum enutritum fuisse, non est dubium. Ea enim hisce temporibus consuetudo, jam inde a declinante Græcorum imperio adscita, tenebat Judæos, ut gentes alias, inter quas dispersi vivebant, imitati, litteras, ac imprimis philosophiam, istarum gentium excolerent. Accedebat occasionis opportunitas data Tarfi, eo in loco, qui omnis litteraturæ laude non parum inclaruerat, cum ipsis Athenis & Alexandria certans, teste STRABONE supra allegato. Et huic occasioni non defuisse Paulum, ex eo etiam liquet, quod veterum poetarum ac philosophorum, *Arati*, Act. XVII, 28. *Menandri* 1. Cor. XV, 33. & *Epimenidis* Tit. I, 12. sententiis utitur, haud obscure testatus, se in istorum auctorum lectione versatum fuisse. Nec existimandum est, usum istorum flosculorum, e memoria defuntorum, *Θεοπνευσίας* dono obstare. Multa enim alia, cum ad scribendum, aut loquendum, accederet, præscivit noster; quæ tamen nec viva, nec scripta, voce expresit. *Θεοπνευσία* vero ea, quæ e cognitio illis scribenda, aut eloquenda erant, suggerebat, a reliquis, quæ præteriri debebant, satis evidenter distincta. Nec indignum fuit Spiritu Sancto, testimonia ejusmodi extranea adhibere κατ' ἀνδραγωγόν. Officium enim ejusdem inter alia est, ut mundum redarguat Jo. XVI, 8. Quod ut interdum, seu rarissime, argumentis faceret, quæ profanis gentibus erant domestica, ipsius prudentiæ fuit congruum & potestati integrum. Habent itaque hic liberalium artium ac philosophiæ studiosi, quod imitentur: habent non minus, quod caveant. Imitanda est ea Paulinæ methodi ratio, qua Apostolus studia sua, naturæ viribus comparata, gratiæ submisit, iis, tanquam veritatis vehiculis, non nisi parcissime & in solius Dei gratiam κατ' ἀνδραγωγόν usus. Cavenda est, tanquam pestis bonarum mentium, omnis vanitas, omnis ostentatio. A qua, speciatim ab affectatæ eloquentiæ arte, cujus procul dubio etiam callentissimus fuit Paulus, quantopere abhorruerit, e sequentibus locis, ubi inania ejusmodi præsidia gravissimis verbis improbat, satis superque liquet. Rom. XVI, 17. 18. 1 Cor. I, 17. II, 1, seqq. 13. 14. 2, Cor. II, 16. 17.

§. VIII.

§. VIII.

Litterarum vero studiis Paulus, pro laudabili Judaicæ gentis more, junxerat *opificium*, & quidem *σκηνοποιίας*, artis conficiendi tabernacula, seu *αυλα*, sive vela, tentoriis aliisque usibus apta. Qua de re videatur clarissimus locus Act. XVIII, 3. ubi dicitur Corinthi apud Aquilam & Priscillam, ipsis *ὁμοτέχνῳ* divertisse & *σκηνοποιίας* artem exercuisse. Bene WITSIUS ex DRUSIO, *Meletem. Leid. p. 12.* *Crediderunt Judæi ad parentum officia pertinere, ut filium circumcidant, redimant, legem & opificium doceant, eique de uxore prospiciant. Atque id de opificio tam esse necessarium arbitrabantur, ut Rabbi Juda dixisse memoretur: כל שאינו מלמד את בנו אומנור / כאלו מלמדו ליסטנות* quicunque filium suum non docet opificium, perinde est ac si eum doceret latrocinium. Hinc est, quod sapientes Hebræorum honori sibi duxerint ab officiis cognomen sumere R. Nabum & Meir dicti sunt librarii, R. Jochanan calcearius, R. Juda pistor, R. Jose coriarius aut pellium confector. Sed hoc vitæ Paulinæ momentum non dimittendum est sine duplici observatione: una de Judæis hodiernis, quam indigne multis in locis ab artibus secularibus abstineant plurimi, soli quæstui per factitata mercimonia dediti; unde, si qui christianam religionem amplectuntur, sibi ipsis & christianis fiunt oneri. Altera de Theologiæ cultoribus, qui e Pauli aliorumque Hebræorum veterum exemplo discere possunt, quam indignum sit, vitæ, hodie ab omni opificii operatione plane sejunctæ, partem haud exiguam otio aut curiosæ periergiæ, immo pravis sodalitiis dare, cum eam omnem sibi studia exoptulent, eaque ipsa in se satis habeant oblectamenti & recreationis. Paulum in ipso Apostolatus munere operibus manuum vacasse, deinceps suo loco videbimus,

§. IX.

Non sufficiebat Paulo in studiis profecisse sub magistris domesticis, seu Tarsensibus: sed pro more Græcorum, qui studiorum gratia etiam externos adire solebant, patriæ religionis ritus ac instituta curatius perscrutaturus Hierosolymam se conferebat, ubi eo tempore omnium nationum, Judaismo addictarum, & inter has etiam Cilicum, scholæ erant. Quia vero sectæ Phariseorum, insigni veri rectique specie, quam præ se ferebat, deceptus se se addixerat, Phariseorum, immo totius senatus, ista ætate principi, Gamalieli, qui Act. V, 34. *τίμιος* dicitur *πᾶντὶ τῷ λαῷ*, se in disciplinam tradidit: unde se *ad pedes ejus enutritum* vocat Act. XXII, 3. locutione ab illo orientalium, præcipue Hebræorum, more desumpta, quo discipuli in solo mattisve jacentes, & sic ad doctoris, in edito loco confidentis, pedes prostrati ab ejusdem ore pendebant. Vide eandem fere phrasin de Maria, Christum magistrum suum audiente: *adsidens ad pedes Iesu audiebat sermones*

vers

nem ejus: Luc. X, 39. Confer illud de populo, & *sedit populus circa ipsum*. Marc. III, 32. Gamalielē vero istum fuisse seniore, Hillelis senioris e Rabbane Simeone Justo nepotem, & patrem Simeonis istius, qui sub Tito Vespasiano in urbis ac templi excidio periit, communis fere doctorum est consensus.

§. X.

Quo autem tempore, seu quoto ætatis suæ anno, Saulus Hierosolymam adierit, definiri nequit. Unde etiam ignotum plane est, quam diu ante sui conversionem sub disciplina Gamalielis sui hæserit. Quod si consideres, ipsum in Christum & ejus membra, fideles confessores, peccasse ex ignorantia, 1 Tim. I, 13. videri posset ejus adventus vitæ Christi periodo paulo posterior, ita ut inciderit in tempus a resurrectione ejus proximum. Alias enim apud solertissimi animi hominem, & a Gamalielis latere hærentem, non videtur locum habitura fuisse ignorantia earum rerum, quarum magnitudo insolita etiam stupidiores excitatos in sui admirationem rapiēbat. Si dixeris, etiam hostes Christi alios hæsisse in evangelicæ veritatis ignoratione; nego, si intellexeris ignorationem rectiori convictioni oppositam, seu ejusdem expertem. Ista enim Christi adversarios non laborasse, certe in ea relictos non esse, indicat universa historię Christi series; & confirmat Nicodemi, uti & emissariorum, confessio. Jo. III, 2. *Magister, novimus, te a Deo venisse doctorem* &c. Matth. XXII, 16. *Doctor, scimus te veracem esse, & viam Dei in veritate docere* &c. Huc refer disputationes & apologias Christi & apostolorum cum Judæis habitas. Quæ omnia, ipsaque opera Christi, argumento sunt, non fuisse locum ignorantie simplici, in qua Paulus verfabatur, sed affectatæ, quæ rectiori convictioni opponebat callum, atque ita veræ illuminationi obstabat. Jam vero si supponas, Paulum venisse serius in Judæam, nova emergit difficultas. Quæritur enim hic non immerito: num probabile sit, Paulum tam brevi temporis spatio, quod inter Christi adscensionem & ipsius conversionem intercessit, in Judaismo præ multis æqualibus sui generis profecisse Gal. I, 14. & ordinis senatorii ac sacerdotalis proceres eidem, tanquam advenæ & novitio Cilici, arduum, quod gefit, primarii inquisitoris munus commissuros fuisse? Verum enim verore ad vivum excussa, nulla remanet difficultas, utrumcunque hic eligas. Si adventus ejus incidit in tempora ultimis Christi annis aut rebus priora, auctoritate præceptorum suorum, pharisaici ordinis hominum, haud difficulter potuit arceri ab exploratione obvix veritatis, ita ut ne audire quidem Christum & ejus Apostolos præ cæco zelo sustinuerit. Immo inter illos etiam, qui universo negotio interfuerunt, ignorantiam quandam habuisse locum, liquet e verbis Christi pro ipsis depræcantis Luc. XXIII, 34. & e verbis Petri

Petri

Petri Act. III, 17. Si vero serius accessit, per unum alterumque annum in Judaismo & fervore zeli eo potuit citius & facilius proficere, quo plus notitiæ & habilitatis Tarso jam attulit. Locus quidem Act. XXVI, 4. ubi provocat ad *juventutem suam Hierosolymis actam*, videri posset eidem adventum tribuere longe maturiorem; sed is cum illo c. VII, 58. ubi Saulus tempore lapidati Stephani νεανίας, juvenis ein Jüngling dicitur, id non evincit. Opponitur enim c. XXVI. ætas Apostoli provectior isti, qua erat circa tempora, a prima christianorum pentecoste proxima. Quod si vero SPANHEMII calculum sequaris, quo Pauli conversio ad annum Christi nati XXXIX. refertur, eo minus difficultatis de profectibus Pauli in Pharisaismo remanet.

§. XI.

Seçta Pharisaum fuisse Saulum, jam dictum est. Constat illud ex asserto ejus expresso, quod habetur Phil. III, 5. ubi se vocat *κατὰ νόμον Φαρισαῖον*, *Pharisaum secundum legem* h. e. secundum sectariam vitæ rationem; nisi vocem νόμος hic retinere velis in sensu proprio, ita ut significet peculiarem rationem legem Mosaicam explicandi & cum traditionum humanarum farragine conciliandi. Quod legis studium quam operosum, at simul corruptum, fuerit, notum est ex historia istorum temporum evangelica, uti & ex opere Talmudico. Ipse Paulus illud indicat, quando Act. XXII, 3. dicit, se esse *πεπορευμένον κατὰ ἀκριβειαν τῶν πατρῶν νόμων*, *institutum accurate in patria lege*. Conf. c. XXVI, 5. ubi affirmat, se *κατὰ ἀκριβείαν τῆν αἰρεσιν*, *secundum exquisitissimam sectam judaica religionis vixisse*. Istam vero ἀκριβειαν fuisse falso creditam, positam in ἐθελοπερισσοθησκεία, ut EPIPHANIUS ait, in cultu supervacaneo & affectato, nec non in rigore externæ disciplinæ, notum est. Quod præposterum justitiæ studium quantopere regno Christi obstiterit, animosque adversus viam gratiæ & justitiæ evangelicæ obfirmaverit, docet Sauli exemplum & testantur Christi effata, quibus adserit, ipsis etiam publicanis, & peccatoribus aliis enormibus, aditum ad regnum cælorum multo esse faciliorem, quam Pharisaïs. Matth. XXI, 31, 32.

§. XII.

Ad quantam Saulum intemperiem Pharisaismus adduxerit, horrendum est dictu. Adeo enim nomini Christiano fuit in festus, ut nil nisi atroces minas trucesque cædes adversus discipulos Domini spiraret Act. IX, 1. & potestate a Pontifice & synedrio Judaico impetrata, acerbissime persequeretur Christianos, in vincula & carceres eos conjiciens, curansque, ut flagris cæderentur in synogogis & nomen Domini conviciis proscinderent. Quo furore ad mortem usque faviente istos etiam extra Judæam,

B

spe-

speciatim in Syria Damascena, excruciatum ivit, ipse in Christum & evangelium blasphemus. Vide Act. IX, 1, 2, 3. c. XXII, 3. seqq. 20. XXVI, 9. seqq. 1. Cor. XV, 9. 1. Tim. I, 14. 15. 16. Atque ita verum fuit in Paulo illud Christi effatum: *Venit tempus, ut, quisquis interficiet vos, videatur cultum prestare Deo.* Ad crimen blasphemiae quod speciatim attinet, e MAIMO-NIDE viri docti jam dudum observarunt, tempore Gamalielis conceptam fuisse adversus sic dictos haereticos, h. e. Christianos, precandi formulam, Christianismo oppositam, nimirum hanc **למשומרים אלה** **תהי תקורה וכל המינים כרגע יבארו** *apostatis non sit spes & omnes in universum haeretici veluti momento disperdantur &c.* Quod si haec non fuit, certe non meliorem fuisse formulam Judaismi characteristicam, facile potest colligi ex hostium furore. De ea, quaecunque fuerit, HERMANNUS WITSIUS Meletem. Leid. p. 22. haec non inscite observat: *Credibile admodum est, Paulum, mandatis Gamalielis ac senatus instructum per synagogas obivisse, orationem istam cum iis communicasse, atque ad illius recitationem eos obligasse. Constat autem, eos, qui nomen Iesu profitebantur, synagogas etiam frequentasse, ut lectioni legis ac prophetarum & communibus precibus interessent. Hos necesse fuit vel contradicere isti formula, atque ita se Minaeos (haereticos) confiteri; quomodo mox discerni ab aliis, in custodiam rapi & poenis affici potuerunt; vel consentientes una blasphemare & novum dogma exsecrari. Utcunque caderet, voti se sui compotem factum esse Saulus sibi gratulabatur.*

§. XIII.

Duo autem hic quaeruntur non immerito: unum qui fieri potuerit, ut Saulus sub insignis moderationis praepatore, Gamalielle, eo furoris ac insaniae procederet, ut tam diris modis christiani nominis confessores divexaret? Alterum, quomodo bona, ad quam provocat, conscientia, eo ipso in statu locum invenire, aut retinere, potuerit? Gamaliellem de causa discipulorum Christi evangelica sensisse moderatius, ex ejus sententia, qua funestissima collegarum suorum odia reprimebat, abunde liquet Act. V, 38. 39. Quam quo animo protulerit, utrum aequitatis tantum naturalis amantiore, an vero e gratiae motibus in apostolorum favorem & patrocinium propendente, etsi non facile potest definiri, certum tamen est, Gamaliellem solum fuisse in Pharisaorum ac senatorum ordine, quem Pilatus in moderatione sui similem habuerit. Vide, quae de hoc argumento ex instituto habet Dissertatio sub praesidio meo ante aliquot annos habita, quae inscribitur *Epicripsis in judicium Gamalielis de causa Christi & Apostolorum.* Jam vero si indolem praepatoris cum indole discipuli conferas, hanc ab ista haud parum discrepare, manifestum est, Sed quid mirum est, docto-

docto-

doctorem interdum ab auditore superari, inprimis malignitate? Gamalielē repressisse videtur senilis prudentia, occultis conscientiae de causae innocentia stimulis excitata: Saulum vero inflammavit causa, quam pro pessima habebat, praedictum, fervorem juvenilem, jam tum per se impetuose bullientem, adhuc vehementius accendens. Quid? quod non immerito in Saulo distinguenda sit sectaria pharisaismi ἀκριβεια ab hostili orthodoxomania. Quemadmodum enim illam praecipue debuit institutioni Gamalielis; sic hanc a Pharisaeis reliquis, furore supra modum accensis, imbibisse videtur.

§. XIV.

Ad alteram quaestionem quod attinet, tria habemus loca, ubi ipse Paulus bonae suae conscientiae facit mentionem. Act. XXIII, 1. *Viri fratres, ego omni conscientia bona versatus sum coram Deo usque in hodiernum diem* c. XXIV, 16. *In hoc* (dum resurrectionem mortuorum credo & exspecto) *etiam ipse studeo semper sine offendiculo conscientiam habere erga Deum & erga homines.* Sed in hisce locis nullam fieri conscientiae bonae extensionem ad statum pharisaismi pristinum, quilibet videt. Nec quidquam decedere verborum ponderi, si de integro apostolici muneris cursu accipiantur, nemo non observat. Tertii vero loci 2. Tim. I, 5. alia videtur esse ratio. Hic enim Apostolus expresse affirmat, se Deo servire ἀπὸ προγόνων, inde a majoribus, ἐν καθάρᾳ συνειδήσει, cum pura conscientia. Sed his etiam verbis satisfacit, si dicamus, majores Pauli (quos vero summi numinis timore praeditos fuisse, ipse procul dubio novit) ipsumque Paulum in cultu Dei purioris conscientiae rationem habuisse. Quo tamen asserto non negatur, Paulum aliqua vitae suae periodo a conscientiae purae ac bonae tramite fuisse dimotum. Nec male ipsam conscientiae bonitatem puritatemque distingui-mus, nimirum eam, quae oeconomicae veteris testamenti conveniebat, ab ea, quam evangelium requirit. Illam Paulus, majores suos, uti Timotheus matrem & aviam suam, imitatus, cum iisdem excoluerat in statu Judaismi, ita vero, ut ad vehementiorem praeposteri zeli, seu errantis conscientiae, paroxysmum abriperetur: hanc in statu gratiae evangelico.

§. XV.

Ceterum hic restat disquisitio de *calibatu Pauli*, anne is certus sit, aut dubius. Fuerunt jam tum inter veteres nonnulli, qui existimarunt, Paulum habuisse conjugem, eosque quidam recentiorum interpretum secuti sunt, inprimis moti loco Phil. IV, 3. ubi Apostolus compellat personam, vocibus: σύζυγε γνήσιε, quas illi vertunt *conjug genuina*, voluntque, Paulum conjugem suam, ipsa consentiente, cognito utriusque dono continentiae, Philippis reliquisse, quo esset in negotio evangelii multorumque

itinerum tractu eo expeditior; quo referri posset locus 1. Cor. IX, 5. ubi Apostolus affirmat, se utique habuisse potestatem sororem, tanquam conjugem (quo sensu hic vox *γυνή* merito accipitur, cum sexus jam indicatus sit voce *ἀδελφή*, soror) circumducendi, sed ab ea se abstinuisse. Sic sentiunt IGNATIUS in Epistola ad Philadelph. CLEMENS ALEXANDRIN. L. III. Strom. EUSEBIUS H. E. L. III. c. 27. BULLINGE. RUS, MUSCULUS, HYPERIUS, FLACIUS; sed pluribus tam veterum, quam recentiorum dissentientibus.

§. XVI.

Et his ego subscribo pro cælibatu Pauli. Non me quidem movet argumentum, quod nonnulli a voce *γνήσιος* masculini generis desumunt. Etenim Atticis ejusmodi voces sæpe generis communis esse, docti non ignorant, & habemus exemplum in ipso Pauli stilo Tit. II, 11. ubi *χάρις* dicitur *σωτήριος*. Neque hæc generis ratio obstitit patribus, Græcæ linguæ peritissimis, qui istam vocem de conjugate Pauli acceperunt, aut, ceteris paribus accipi posse, non negarunt. Sequentia vero sunt, quæ Paulum fuisse cælibem, mihi persuadent. 1.) 1. Cor. VII, 7. se Apostolus in sermone de dono continentiae & abstinentiae, cum voto, ad præsens tempus & certum hominum genus relato, aliis in exemplum proponit. Immo v. 8. de cælibibus & viduis dicit, consultum ipsis fore, si, quemadmodum ipse, etiam illi in statu suo permanerint. Unde liquet, Paulum eo tempore saltem viduum fuisse, si non *ἀγαμον* simpliciter; quod tamen videtur esse probabilius, inprimis si consideres, Paulum se hic non annumerare *ταῖς χήραις*, viduis fæminini generis, sed *τοῖς ἀγάμοις*, qui hic a viduis distincti καὶ ἐξοχὴν sunt cælibes, simpliciter tales. Confer v. 25. ubi Apostolus, sententiam suam de virginitatis & cælibatus commodis diciturus, præmittit mentionem misericordiae a Domino ad fidelitatem acceptæ: quæ fidelitas uti generatim de administratione officii, sic non incommode speciatim de servando acceptæ continentiae dono, quod etiam virginibus & cælibibus necessarium erat, intelligitur.

§. XVII.

Idem 2. confirmatur e cap. IX, 5. Ubi Apostolus urget libertatem suam, quam non minus habeat, quam reliqui Apostoli, ad sororem, seu fæminam christianam, tanquam veram conjugem, in itineribus suis ecclesiarum sumtibus circumducendam, a cujus libertatis usu tamen evangelii causa abstinuerit. Per mulierem vero quo minus hic intelligere possimus piam aliquam ac divitem matronam, quales Christum non raro comitabantur, ipsique de facultatibus suis prospiciebant, aut quales ævo Cypriani & deinceps sic dictis clericis ministrabant, & nomine conjuges, at usu so-

rores

rores tantum erant, & συνείσακτοι, simul introductæ, seu contubernales ac cælibatus sociæ dicebantur; obstat respectu notionis prioris præmissa vox ἀδελφῆ, sexum notans; uti & reliquorum apostolorum, quorum plerosque uxori junctos fuisse constat, exemplum, ad quod Paulus in asserenda sibilibertate æquali provocat: posterioris vero notionis respectu obstat seculi apostolici simplicitas ac severitas, a laxiore isto & plane inconsulto, offensio- numque pleno, insequentium temporum more alienissima. Vide DOD- WELUM *Dissertat. Cyprianica* III.

§. XVIII.

Epistola hæc ad Corinthios quod 3. notandum est, scripta est ante eam, quæ ad Philippenses exstat, uti ex iis, quæ infra de epistolarum serie dicentur, constabit. Jam vero si Paulus, cum ad Corinthios scriberet, fuit ἀγαμῶ, probabile est neutiquam, ipsum postea uxorem duxisse. Etenim plurima ætatis & apostolatus pars jam erat exacta ad Corinthios scriben- ti. Præterea afflictiones non minuebantur, sed augebantur fere indies. Quomodo ergo is, qui Corinthiis ob ingruentes calamitates servandi cæ- libatus consilium dederat, & quidem cum exempli sui allegatione, statui potest, deinceps ætate una cum afflictione magis magisque ingravescente, uxori se alligasse? Atque ita concidit penitus argumentum illud, quod ex epistolæ ad Philippenses c. IV, 3. pro conjugio Pauli desumi solet. Taceo, vocem σύζυγος a Græcis scriptoribus communiter generalim adhiberi de quolibet socio, æquali & compare.

§. XIX.

Jam si Paulus inde a scripta epistola priore ad Corinthios fuit ἀγα- μῶ; quaritur, num antea vixerit in conjugio? Hoc neutiquam est proba- bile, uti e sequentibus rationibus erit liquidissimum: a. Nullum usquam exstat vestigium conjugii Paulini. Et quanquam e silentio hoc non firma sit argumentio; illud tamen cum argumentis reliquis collatum non parum momenti ad negationem adfert, inprimis si consideretur, vitam Pauli in Actis satis fuisse enarrari, & tot ab ipso scriptas epistolas exstare, & haud esse probabile, in iis, uti & in rerum Paulinarum narratione, nullam datam fuisse occasionem ullius mentionis de conjugio & uxore Pauli, præcipue in tot salutationibus epistolice, activis & passivis. b. E contrario non desunt momenta pro cælitatu ejus positiva, paucis subjungenda.

§. XX.

a) Tarsi jam tum ipsum uxorem duxisse, vix quisquam dixerit. Etenim patriam suam reliquit mature, ubi ex ephebis excesserat, certe simulac juvenilis ætatis robur collegerat; siquidem in Actis c. VII, 58. νεανίας vir juvenis vocatur. Et quanquam ista ætate matrimonio jam tum

fuerit maturus, præcipue pro more Hebræorum; tamen ipsum illud tum nondum contraxisse, vel ex eo liquet, quod studiorum gratia Hierosolymam adiit. Id quod relicta factum esse uxore, quis credat sine ulla probabilitate & sine ullo historiae vestigio?

- β) In Judæa ante sui conversionem Paulum uxorem duxisse, ut credamus, non permittit partim peregrinum solum, ubi familia non sine difficultate poterat ali; partim scopus studiis pharisaismi intentus, uti & iste religionis tuendæ zelus, cui ad insaniam seu furorem usque immerfus erat, adeo, ut in eo, quantus quantus erat, esset totus. Nec videtur insequentibus temporibus uxor, sive judaicæ, sive christianæ religioni addicta, tuto potuisse desereri. Non autem circumductam esse per plurima apostolici muneris itinera, ex I Cor. IX, 5. constat.
- γ) Quod si ante conversionem ducta non fuit uxor, quis credat, eam ductam fuisse prioribus apostolatus annis, ubi statim innumeras tempestatum, ab evangelii hostibus adversus ipsum in specie motarum, procellas subiit, & semper incertis versatus est sedibus, ac, quod præcipuum est, continentia donum habuit, uti ex I Cor. VII. est manifestum. Huc accedit, quod se ibidem ἀγάμοις, a viduis distinctis, annumeret, uti jam supra est observatum. Jam si prioribus muneris sui annis conjugii fuit expers, multo minus id posterioribus contraxit, uti jam antea demonstratum est. Ceterum conferri possunt clarissimorum virorum, MARCKII & KOCHII, Dissertationes de Cælibatu Pauli: quas quidem, quia ad manus non fuerunt, ipse in consilium haud adhibui, iis, quæ propria meditatio subministravit, contentus.

CAPUT II.

DE

PAULI CONVERSIONE AC VOCATIONE AD MUNUS APOSTOLICUM.

SYNOPSIS.

- | | |
|--|---|
| <i>Paulus conversus est anno Christi trigesimo quinto §. I.</i> | <i>Quam excipit Sauli interrogatio Christi- que informatio. §. VII.</i> |
| <i>Et quidem prope Damascum, in furore antichristiano §. II. III.</i> | <i>Id quod collatis aliis locis uberius declaratur. §. VIII.</i> |
| <i>Modo plane extraordinario §. IV. qui e cap. XXII. Act. declaratur §. V.</i> | <i>Etiam comites Pauli conversi esse videntur: ubi conciliantur Scripturae loca de iisdem. §. IX.</i> |
| <i>In quo præcipue notanda est repetita compellatio, Saul, Saul! §. VI.</i> | |

Paulus

Paulus lumine privatus a comitibus in urbem deducitur, in domum Jude. §. X.

Ubi Deus Ananiam ad ipsum missurus compellat. §. XI.

Eumque hesitantem confirmat. §. XII.

Qui confirmatus Paulum adit, eique per impositionem manuum restituit visum,

adjuncto Spiritus Sancti dono majori, §. XIII.

Eidemque confert baptismum. §. XIV.

Subjungitur mysterium conversionis Pauli in applicatione ad conversionem hominum ordinariam. §. XV.

§. I.

DE tempore Pauli conversi vocatique inter viros doctos non convenit, aliis illud cum PEARSONO in annum Christi XXXV. Tiberii XXII. aliis cum EUSEBIO in annum sequentem & Tiberii ultimum; porro aliis cum LUD. CAPPELLO ad annum Christi, secundum æram vulgarem, XXXVIII, qui Caligulæ secundus erat; porro aliis cum SPANHEMIO ad annum Christi XXXIX, aut initium XL, qui Caligulæ IV. sive ultimus erat, referentibus. Sequar calculum PEARSONI, qui etiam USSERII est, secundum quem conversio Pauli incidit in annia Christo nato trigesimi quinti initia, postquam lapidatio Stephani eandem præcessisset anno trigesimo quarto, & Christus cruci esset affixus anno trigesimo tertio.

§. II.

Præterea ad *tempus*, aut, si mavis, ad *occasionem*, conversionis pertinet iter Damascenum, adversus christiani nominis confessores, quales Damasci inter Judæos non pauci erant, auctoritate summi pontificis & synedrii, cui is tunc præfuisse videtur, susceptum. Habuit quidem ea ætate Damascus, Syriæ metropolis, sub summo Romanorum imperio, dominum, Aretam, vicinæ Arabiæ regem, Herodis tetrachæ focerum, 2. Cor. XI, 32. at Judæi tamen Damasceni; uti & Babylonii & Alexandrini, alique, in causa religionis, speciatim dijudicandæ hæreseos & pseudoprophetiæ, senatus Hierosolymitani potestati subiecti erant. Quanto autem furore adversus christianos fuerit percitus Saulus, vehementi spiratarum minarum & cædium locutione indicatur Act. IX, 1. Et hanc ipsam rabiem non tam imperatam, quam affectatam expetitamque fuisse, ex eo manifestum est, quod ibidem v. 2. dicitur litteras sibi expetivisse a summo pontifice, synedrii præside (Act. XXIII, 5.) ad synagogas Judæorum Damascenas, ea cum potestate, ut, quoscunque christianæ viæ, seu sectæ, inveniret, sive mares, sive fœminas, vinctos Hierosolymam abduceret, promeritis, ut credebatur, suppliciis afficiendos, Act. XXII, 15.

§. III.

§. III.

At in medio furoris impetu, quo alios perditum ibat, ipse servatur Saulus, e rabido lupo ovis, immo ovium pastor, pastorumque magister, h. e. apostolus, derepente factus. Quod beneficium quo loco habuerit, ipse gravissimis verbis perhibet, cum in apologiis suis Act. XXII, 6. seqq. XXVI, 13. seqq. tum in epistolis 1. Cor. XV, 8, 9, 10. Gal. I, 15, 16. 1. Tim. I, 12. seqq. Non est dubium, quin Damascenis de adventu Pauli jam constiterit, ac ejus formidine tremuerint infirmiores; siquidem ipsum passim in innocentes furere, tristis fama jam dudum vulgaverat; quem admodum Ananiæ responsio, qua Domini mandatum excipiebat, prodit. Is enim: *Domine, in quiebat, audivi e multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis Hierosolymæ: & hoc loco habet potestatem a principibus sacerdotum, vincendi omnes, qui invocant nomen tuum: v. 13, 14.* Quo terrore supposito quis dubitaret, Damascenos assiduos ferventesque fuisse in deprecatione ac imploratione auxilii divini. Et ecce! hoc impetrant, non solum opinione sua celerius, sed eo etiam modo, quem vix a Deo exoptare sustinuerant, nimirum repentina ipsius furentis Sauli conversione.

§. IV.

Modus ipse vocationis ac conversionis in se plane erat extraordinarius. Cœlesti circumfusus luce procidit in terram, auditque ipsum Dominum his se verbis compellantem: *Saul, Saul, quid me persequeris?* Sic præsentis Domini duplex habet symbolum, unum in luce, alterum in voce. cum effectu prostrati in terram corporis. In luce notabilis erat & ortus & splendor. Oriebatur fulguris instar e cœlo, h. e. ex improvise, ictu motuque celerrimo. Splendor vero ejus tantus erat, ut ipsum solis, quando is in meridie est splendidissimus, fulgorem superaret, & Saulum, cui intolerabilis erat, humi prostratum tantum non exanimaret conf. Act. XXVI, 13, 14. Et hæc lux ejusque gloria fuit signum ejus, qui *stella matutina*, seu *phosphorus* 2 Petr. I, 19. & *sol justitiæ* Mal: IV, 2. Luc. I, 76. & *αὐτόφως* ipsa est lux, ipsa gloria, olim per gloriam rutilantis in columna ignis repræsentata; lux illa vera & gloria, de qua Ioannes: *illuminat, inquit, omnem hominem, venientem in mundum* Io. I, v. 9. & v. 14. *conspeximus gloriam ejus, gloriam veluti unigeniti a Patre: qui ἀπαύγασμα τῆς δόξης τῆ πατρὸς*, splendor gloriæ Patris Hebr. I, 2. qui Saulo concrediturus erat *τὴν διακονίαν τῆ φωτὸς καὶ τῆς δόξης*, ministerium lucis ac gloriæ evangelicum, in gloriosæ Dei imaginis instauratione ac illuminatione, illi ignominia & miseria, quæ in peccatorum tenebris erat, opponendum. 2. Cor. III.

§. V.

§. V.

Nec vero tantum signum Domini, lucem, sed ipsum etiam Dominum, vidit Saulus, quemadmodum testatur Ananias v. 17. *Dominus, inquit, misit me, qui apparuit tibi in via, qua veniebas.* Item c. XXII, 14. *Deus patrum nostrorum preparavit te, ut cognosceres voluntatem suam καὶ ἰδεῖν τὸν δίκαιον, & videres justum illum, & audires vocem ex ore ejus.* Idem porro comprobatur Jesus ipse c. XXVI, 16. *Ad hoc ipsum ὡφθην σοι apparui tibi &c.* nec non ipse Paulus 1. Cor. XV, 8. *postremo omnium visus est etiam mihi.* Et ipsis corporis oculis conspectum a Saulo fuisse Dominum, ipsa historiae ratio nos dubitare non sinit. Et ejusmodi visionem requirebat munus apostoli; utpote cujus proprium erat, testem Christi esse αὐτήκοον & αὐτόπτην Act. I, 21, 22. Io. XV, 27. 1. Io. I, 1, 3. Quemadmodum vero hæc χειροφάνεια plane fuit singularis; sic etiam Apostoli oculos, ut ejus ex parte aliqua capaces essent, allevatos fuisse, peculiaris œconomiae ratio docet. Eadem cœlos viderat apertos Stephanus & Jesum stantem ad dextram Patris Act. VII, 55. Raptum istum ecstaticum, qui 2. Cor. XII, 1. seqq. memoratur, aliorum pertinere, suo loco dicetur.

§. VI.

Nec minus emphaseos habet cœlestis Christi acclamatio: *Saul, Saul, quid me persequeris?* Ipsum Sauli nomen compellato in memoriam revocare poterat Saulum illum Israelitam, sui simillimum, Davidis, qui Christi, Davidis filii ac Domini, typum gerebat, hostem infensissimum. Geminatio nominis index erat ardoris in Domino, agere ipsum magna cum contentione de re maximi momenti; exserebatque stimulum ad excussionem veterni, quo antehac mortui instar consopitus jacuerat Saulus. Præcipua vero vis in eo est, quod Dominus injurias, discipulis ac cultoribus suis illatas, sibi factas reputat: *quid me, inquit, persequeris?* Indicat enim eo ipso ingens illud mysterium unionis mysticæ, secundum quam ipse caput est ecclesiae, tanquam corporis sui, cujus membra sunt singuli fideles, qui ab ipso inhabitantur, animantur ac reguntur. Vide Rom. XII, 5. 1. Cor. VI, 15. Eph. I, 22. 23. IV, 15. 16. V, 23. 29. 32. &c. Et ex hoc ipso principio profluere admiranda illa axiomata: *Profecto dico vobis, quidquid feceritis uni fratrum meorum minimorum, mihi fecistis.* Item: *Profecto dico vobis, quidquid non feceritis uni horum minimorum, nec mihi fecistis* Matth. XXV, 40. 45. Conf. Luc. X, 16. *Qui vos audit, me audit: qui vos repudiat, me repudiat: qui vero me repudiat, repudiat illum, qui misit me.*

§. VII.

Hanc Christi compellationem, *Saul, Saul, quid me persequeris*, hactenus descriptam, excipit hæc Sauli interrogatio, qua quasi attonitus et stupore se

C

re se

re se recolligit, quæritque: *Quis es, Domine?* Animadvertit quidem, se compelli a Numine, & ideo illud *Domini*, seu *Jehova*, nomine vocat; sed quia existimaverat adhuc, se numen illud sincere & cum ferventissimo zelo coluisse, nondum percipit, quod & quomodo ejusdem hostis inveniatur. Quare summo cum tremore pro mentis suæ confusione interrogat: *Quis es, Domine?* eumque Christus his informat verbis: *Ego sum Jesus, quem tu persequeris*: quasi dicat: Ego sum Jesus ille Nazarenus, verus Messias, & salvator populi judaici omniumque reliquarum gentium; ille Jesus, cujus doctrina & miraculis universa Judæa una cum vicinis regionibus haud ita pridem personuit, a plurimis, Phariseorum imprimis instinctu consilioque & opera, abnegatus & in crucem actus; at e mortuis resuscitatus, & post gloriosam ἀνάβασιν ad dextram Patris mei evectus, a multis aliis jam dudum pro Messia & Dei filio agnitus, præcipue ab apostolis meis; quos, una cum cultoribus meis reliquis, & in his, tanquam pupilla mea, memet ipsum, diris modis insectatus es. Certe, hunc fuisse datæ responsionis sensum, res ipsa ostendit. Quo vero penetrantius Dominus Saulo infingeret stimulum, addit σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν, *durum tibi erit adversus stimulos calcitrare*, proverbio hoc (quod a bobus desumptum est refractariis, qui, cum ad arationem stimulo punguntur, in eundem calcitrant, & sic semet ipsos lædunt gravius) indicans, fore, ut, si extraordinario huic stimulo, ad conversionem dato, esset repugnaturus, contumacia ista eo majori exitio cederet. Vide eandem fere locutionem Deut. XXXII, 15. 1. Sam. II, 29. Conf. Hof. IV, 16. Huc refer illud Terentii Phorm. Act. I. sc. 2. *Quæ inscitia est, adversum stimulum calces*, scilicet jaectare?

§. VIII.

Saulus, stimulo hoc intra animum admissio, illico magnum in se deprehendit μελαμύρῳσιν, adeo ut non solum Jesum pro Messia agnitum Dominum, seu Jehovam, nuncupet, sed semet ipsum etiam eidem objurganti totum sistat in deditissimum obsequium: *Domine, cum tremore inquires, quid me vis facere?* Qua sese dedendi προθυμία delectatus Dominus respondet: *Surge & intra in urbem* (scilicet Damascum, in cujus proximo agro hæc gerebantur) *& dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Quod si conferamus locum Act. XXVI, 16. seqq. deprehendimus, Christum multo plura esse locutum, quam hic memorantur, seu ipsum statim in hoc conversionis initio Saulum ad munus apostolicum vocasse, & hujus summam, seu scopum, in conversione a tenebris & a potestate satanæ ad lucem & Deum, nec non in remissione peccatorum, & æternæ hæreditatis annuntiatione, positum, eidem indicasse. Quam vocationem ad christianismum & simul ad apostolatam, quo animo acceperit, ibidem v. 19. addit; *Rex Agrippa, inquires,*

non

non fuit inobediens cœlesti visioni. Quibus verbis Apostolus haud obscure significat, istam conversionis & vocationis gratiam, etsi extraordinaria fuerit ac ingens, sibi tamen obfistendi libertatem haud ademisse. Id quod ipse etiam Christus indicare voluit, quando ipsum dehortatus est, ne calcet adversus stimulum jactaret. Confer Gal. I, 16. ubi Apostolus vocantem hanc gratiam ob unitatem essentiae & communem operationem Deo Patri tribuit, commemorans, quod ipsi, seu in ipso, Pater filium revelaverit, de sua obsequendi *προθυμία* hæc addens: *ἐυθέως & προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι*, continuo non contuli cum carne & sanguine i. e. ullo mortali homine, ut Matth. XVI, 17. sed spiritualia spiritualiter dijudicavi 1 Cor. II, 12. 13. 14. Optime ratione sensus LUTHERUS: Also bald fuhr ich zu / und besprach mich nicht darüber mit Fleisch und Blut. Etsi vero hac ratione Paulus institutionem acceperat ab ipso Christo; verum tamen est, quod hic ipsi dicebat: *Surge & intra in urbem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Etenim perfectius instituendus ac confirmandus erat ab Anania, ab eodemque christianorum sacris solenni baptismatis ritu iniciandus,

§. IX.

Nec silentio hic prætereundi sunt comites Pauli. Quinam & quot isti fuerint, non liquet: at quales, ex indole furentis Sauli & e comitatus scopo facile potest colligi; cum similis simili gaudeat. Utrum etiam isti ad Christum conversi sint, itidem non indicatur; probabile tamen omnino est, illos quoque nomen suum Christo dedisse. Etenim luce cœlesti non minus circumfusi, quam ipse Paulus, attonitique, cum eodem humi prociderunt Act. XXVI, 13, 14. immo eundem manibus prehensum duxerunt Damascum; ubi, quod ipsum statim deseruerint, quis credat? Nec veri est simile, Paulum in illis Christo plenius lucrificandis officio suo defuisse, cum in aliis de veritate christianismi convincendis sine mora totus fuerit. Detegendum vero hic est aliquod *ἐναντιοφάνης*. Nam Act. IX, 7. comites dicuntur quidem *audivisse vocem*, at *neminem conspexisse*: & c. XXII, 9. iidem dicuntur *lucem quidem conspexisse & expavesacti fuisse*, *vocem vero non audivisse ejus, qui cum Paulo locutus sit.* Sed conciliatio hic est facilis, si, ad auditum vocis quod atrinet, priorem locum intelligas de sono vocis confuso & *ἀσήμω*, tanquam de tonitru; posteriorem de articulato, quo sensu, Christo Io. XII, 28, 29. vocem Patris e cœlo distincte audiente, turba adstans non audiebat, & audiebat tamen, sed confuse, dicens *tonitru esse factum.* Et tonitru Hebræis vocis nomine exprimi, est notissimum. Vide Exod. XIX, 9. coll. Deut. IV, 12. V, 23. Exod. XIX, 16. HERMANNUS WITSIUS Melet. Leid. p. 27. e LUDOVICO CAPPELLO hæc addit: *Uterque locus de voce articulata explicari potest; verum ita, ut alter intelligatur de sermone, cujus sensus*

Et mens ab audiente percipitur, alter de sermone, qui ab auditore non capitur. Pone Christum Hebraica dialecto Paulum compellasse, quod & factum: pone item, quod comites illi Hebraica lingua fuerint ignari, quod facile fieri potuit; dici potest, quod audiverint quoad sonum, quod non audiverint, quoad intellectum. Ita sane explicandum est, quod purpurati Ezechiae regis Rabsaki dicebant: *Jes. XXXVI, 11.* Alloquere quæso servos tuos Syre, אֲנַחְנוּ שׁוֹמְעִים לְךָ quia nos audimus, id est intelligimus. Eademque mente Paulus noster scribit *1 Cor. XII, 2.* Qui loquitur lingua (aliis incognita!) non hominibus loquitur, sed Deo: ἰδὲ γὰρ ἀκούεις, nemo enim audit, i. e. intelligit. Hæc WITSIUS. Non magis pugnant ista, quod comites *Act. IX, 7.* stetisse, & *c. XXVI, 14.* concidisse dicuntur. Etenim τὸ stare priori loco est consistere, & non opponitur prolapioni, sed progressui, ita ut indicetur, istos non aufugisse, sed præ stupore immotos constituisse, quocunque id factum sit corporis situ.

§. X.

Revertimur ad ipsum Paulum. Hic Domino jubenti, ut surgeret & iret in urbem, morem gesturus, subtracto lucis splendore, erigit se de terra, apertisque est oculis, sed neminem videt e comitibus, quando quidem cœlestis iste fulgor oculorum aciem ipsi adeo præstrinxerat, ut istorum usum haberet nullum. Id quod ubi comites e variis signis observant, ipsum manu prehensum in urbem deducunt, speciatim in domum Judæ cujusdam, fortasse veteris Pauli hospitis, aut potius hospitis novi, at jam ad Christum conversi. Quo ducti & ducentium, nec non hospitis & domesticorum ejus, affectu, facilis est conjectura. In tertium vero diem usque lumine privatus defedit, a cibo potuque abstinens partim præ stupore visorum auditorumque, partim præ sensu pœnitentiæ & seriæ deprecationis, cum *ἰαυροθύσιας*, qua se Domino totum consecrabat, exercitio, singulari cum ardore continuato; uti liquet ex ultimis commatis undecimi verbis, quæ Christi sunt ad Ananiam. Sunt, qui existimant, triduo hoc cæcitatatis tempore contigisse raptum in cœlum, qui *2 Cor. XII, 2.* memoratur: sed istum ad alium temporis articulum pertinere, suo loco ostendetur. Interea tamen non est dubium, Paulum hoc ipso temporis spatio multa fuisse edoctum a Domino. Et visionem ipsum tunc a Deo accepisse, *v. 12.* perhibetur.

§. XI.

Ipsæ etiam Dominus promissi sui: *dicetur tibi, quæ te oporteat facere*, non immemor, compellat Ananiam, ipsumque Pauli magistrum constituit ad certos quosdam actus, nimirum restituendi sub *χρηροθεσία* visus, accipiendique Spiritus Sancti, nec non conferendi baptismi. Quis fuerit Ananias ille, non liquet. Fortasse fuit unus e LXX, discipulis Christi & e-

vange-

vangelista. Hoc certum est, fuisse discipulum h. e. *Christianum*, v. 10. & virum, qui jam tum in ipso Judaismo fuerit sincerus Dei cultor secundum legem, pietatis testimonium, seu laudem, habens apud omnes Judæos Damascenos c. XXII, 12. Hunc alloquitur Dominus in visione, diurnane, an nocturna, incertum est. Compellatus vero ad exemplum Samuelis, obsequium suum testificaturus, respondet: *ecce ego, Domine, adsum paratus ad mandata tua capeffenda.* Non interrogat; *domine, quis es?* uti Paulus. Ipsum enim probe jam agnoverat, de divina ejusdem compellatione certissimus. Paratum Dominus instruit: *Surge, inquit, & vade in plateam, quæ vocatur recta, & quere in domo Judæ Saulum nomine, Tarsensem: ecce enim orat.* Quæ posteriora verba Ananiæ metum debebant eximere & fiduciam erga Saulum accendere. Quodnam vero Paulinarum precum fuerit argumentum, facile potest colligi, nimirum positum partim in deprecatione delictorum, partim in gratiarum actione, pro insigni gratiæ & conversionis beneficio, nec non in consecratione, qua se totum Deo in ministerium tradidit, damna ecclesiæ illata commodorum ejusdem promovendorum studio refarturus. In majorem Ananiæ confirmationem Jesus eidem indicat, ipsi jam tum aditum esse patefactum apud Saulum, nimirum per visionem, quæ ipsum Ananiæ adventum illi repræsentaverit: *Vidit, inquit, per visionem virum, Ananiam nomine, introeuntem & imponentem sibi manum, ut visum recipe- ret.* Tribuuntur quidem ultima hæc verba a nonnullis narranti Lucæ, ideoque parenthesi includuntur: sed concinnius referuntur ad ipsius Christi sermonem, istis quam aptissime continuatum. Nec obstat, quod dicatur: *virum, nomine Ananiam.* His enim verbis significatur, Paulo simul ejusdem, tanquam antea ignoti, nomen fuisse indicatum.

§. XII.

Quamvis Ananias hac excitatione confirmari potuisset, quantum satis erat; adhuc tamen hæret, præcipue status pristini, quo Saulus Damascenis Christianis formidabile & invisum erat nomen, nec non novi mandati, quo Hierosolymis publice ablegatus sit, consideratione suspensus. Quare v. 13, 14. his Domino verbis respondet: *Domine audivi ex multis de vi- ro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis Hierosolymæ: & hic habet potestatem a prin- cipibus sacerdotum vincendi omnes, qui invocant nomen tuum.* Ex ultimis verbis, pro quo habuerint sancti Jesum, est manifestum, scilicet pro Θεουδωπρω, divino invocationis cultu ac honore dignissimo. Idem de Stephano legimus c. VII, 59, 60. Ista vero hæsitacione percepta Dominus v. 15. eandem Ananiæ ademturus, repetit mandatum suum: *ωρθέυθ, abi, seu vade,* addito gravissimi momenti argumento, ab electione & præparatione ad munus apostolicum jam facta desumpto; *quoniam, inquit, vas electum est mihi iste,*

ut portet nomen meum coram gentibus & regibus & filiis Israel. Et hujus adfert ratio est, quod adversa plurima Christi causa sit perpeffurus, & hoc pacto muneris sui sinceritatem, Christo addictissimam, omnibus comprobaturus. v. 16.

§. XIII.

Hæc Dominum inter ac Ananiam gerebantur in visione, secundum v. 10. quibus Ananias fatis confirmatus statim post eandem adit domum Judæ istius, & in ea deprehendit Saulum, eumque adhibita manuum impositione v. 17. his compellat verbis: *Saul, frater, Dominus misit me (qui apparuit tibi in via, qua veniebas) ut visum recipias & implearis Spiritu Sancto.* Sic, quemadmodum Christus Marc. XVI, 18. de Apostolis prædixerat: *Ægrotis manus imponent & bene habebunt,* Ananias sub χειροθεσίας ritu, tanquam peculiaris applicationis nota, Saulo confert, seu a Domino conferri declarat, duplex beneficium, unum externum & symbolicum in curatione oculorum, alterum internum ac spirituale in unctione Spiritus Sancti. Dictum, factum. Etenim pelliculæ, squamis piscium similes, quæ, sub ignis cœlestis splendore, oculis ejus obductæ, videndi facultatem abstulerant, confestim ab oculis ejus decidunt, veli istius, cujus 2. Cor. III, 14. seqq. fit mentio, remotionem adumbrantes. Et sic visum recipit & impletur Spiritu Sancto, nimirum majori ejus mensura, quam in primo conversionis actu & subsequenti triduo acceperat. Quod membrum posterius etsi v. 18. non expresse ponitur, hic tamen ratione sensus omittendum non esse, præmissa annuntiatio indicat.

§. XIV.

Præterea Paulus suscepit baptismum, eo non parum in christianismo confirmatus. Ad quem actum quando v. 18. surrexisse dicitur, intelligendum illud esse videtur de motu ad locum aliquem vicinum, isti actui idoneum; nisi dicere malis, Saulum ab Anania deprehensum fuisse in precibus humi prostratum, aut flexis genibus Deo supplicantem, eumque hoc corporis gestu admisisse χειροθεσίαν & benedictionem Ananiæ, surrexisse vero ea cum visu accepta, & sic sine mora etiam baptismum solenni ritu suscepisse. Hæc vero ipsa paulo plenius narrantur c. XXII, 13. seqq. ubi Ananias ad exemplum Christi Luc. XVI, 42. dixisse fertur: ἀνάβλεψον, visum recipe, & Paulus recepto visu primum Ananiam ante se conspexisse, quemadmodum Christus primum illorum erat objectum, qui ab ipso a cæcitate curabantur. Ad hæc Ananias hic v. 14, 15. Saulo dicitur aperuisse ea, quæcunque de vocationis scopo, seu munere apostolico, ipsi Christus in visione prædixerat, secundum c. IX, 15, 16. Immo ipsum ad baptismum, in remissionem peccatorum sine mora & cum invocatione nominis Domini susci-

fufcipiendum, cohortatus effe v. 16. ubi præcipue notari meretur phrafis: *ἀπόλυσαι τὰς ἀμαρτίας σου*, *abme peccata tua*; utpote qua haud obscure fimul indicatus fuit fons omnis efficacix in baptifmo, *sanguis Chrifti*, quo alias *ablui & mundari* dicimur.

§. XV.

Hæc hæctenus de conversione Pauli & ejusdem vocatione ad Apoftolatum, qua ordini XII. Apoftolorum non infertus, fed superadditus fuit. Paucis hic adhuc perpendenda eft illuftris ea conversionis ordinariæ adumbratio, quam exemplum Pauli extraordinarium præbet. Peccator convertendus deprehenditur, uti Paulus, in medio peccatorum curfu fine ulla propria fui ipfius ad conversionem præparatione. In eo autem prævenitur a Dei gratia, ut hæc affuso veritatis lumine fimul voluntatem feriat penetrantiffimo pulfu, hominemque compellet: *Peccator, peccator, quid rerum agis? quo tendis fine me, immo extra & contra me, in me rebellis?* Quo gratiæ pulfu admiffio homo per verum pœnitentiæ fenfum quasi humi concidit, mortui inftar, fimul cæcitatem fuam fpiritualem, non minus, quam Paulus naturalem, feu externam, in fe deprehendens: accepta vero pulfus gratia ita utitur, ut timore ac tremore perculfus cum Paulo de Chriftognofia fit follicitus ac in Chrifti obfequium fe totum tradat; *quis es, inquit, Domine? quid vis, ut faciam?* Renuit enim contra ftimulum revocantis gratiæ porro calcitrare. Hoc autem in ftatu divina eget erectione, nec non aliorum *χειραγωγία*, uti & pleniore institutione. Immo fieri folet, ut ad tempus aliquod, quo pœnitentiæ fenfus, ante Evangelium pleniore ufu admiffum, adhuc acerbior eft, propter labores animæ ab externis actionibus, & ab ipfo etiam cibi potusque ufu, etfi non omni, confveto tamen & ordinario, feu pleniore, remittat, in agone ifto precibus præcipue vacans. Quandoquidem vero Deus bonum conversionis opus non folum incipit, fed perficit etiam, non deferit laborantem ejusmodi animam, fed eam, adhibita periti hodegi opera, ex angufta hac pœnitentiæ porta in falutis viam, arctam quidem, at evangelicam & amoeniffimam, deducit, eo fructu, qui e fœdere baptifmi redundat, & in peccatorum remiffione Sanctique Spiritus unctio- ne confiftit, eidem applicato & commendato. Quo factio ejusmodi anima, quasi e morte rediviva, Chrifti ministerio fe per omnem vitam addicit, ab ejus nutu unice penfura. Ceterum cum Paulus convertus ad apoftolatum vocatus fit, e re erit, tractationi, quæ eft de ejusdem administratione, adhuc præmittere descriptionem ipfius muneris apoftolici.

CAPUT

CAPUT III.
DE
IPSO MUNERE APOSTOLICO ET EJUS
CHARACTERIBUS DIACRITICIS.

SYNOPSIS.

*Explicatur vox, ἀπόστολος, §. I.
Nec non usus verbi ἀποσέλλω. §. II.
Et recensentur characteres muneris apostolici duodecim. §. III.
Speciatim declaratur character septimus & ad eum refertur potestas ligandi ac solvendi. §. IV.
Id quod probatur pluribus, ostenso genuino sensu verborum ligandi & solvendi. §. V. VII.
Explicantur verba Christi, de datis cæli clavibus. §. VIII.
Redditurque ratio, cur ea speciatim Petro dicta sint, §. IX.*

*Subjunguntur testimonia interpretum, Lightfooti. §. X.
Cameronis. §. XI.
Auctoris harmonia evangelistarum. §. XII.
Salomonis a Till. §. XIII.
Et diluuntur viri cujusdam docti objectiones. §. XIV.
Ac remouentur a communiori sententia, que probari nequeunt. §. XV.
Tandem demonstratur, in Paulo singulos apostolatus characteres fuisse conspicuos. §. XVI.*

§. I.

Vox ἀπόστολος Græcis est usitatissima jam dudum ante Christi nati tempora, & speciatim Atheniensibus, qui, teste HESYCHIO, eam adhibebant generatim de legatis, maxime iis, qui pacis faciendæ confirmandæque gratia aliorum mittebantur; speciatim de præfectis classium, qui cum classe ad navalem expeditionem mittebantur; quemadmodum ipsa navigia, quæ e littore soluta a rei navalis præfectis modo huc modo illuc dimittebantur, vocari solebant ἀπόστολα πλοῖα, voce ista adjective posita. Immo SPANHEIMIUS Dissertatione de Apostolis & Apostolatu observat, vocem ἀπόστολος Græcis etiam significasse συμπαγωγόν, qui a sponso missus sponsam e domo patris educit & ad sponsum adducit. Quæ notiones, etsi ad eas Christus non respexerit, quam bene tamen per se quadrent ad scopum officii apostolici, quis non videt? Sunt enim Apostoli legati pacis, in præconio reconciliationis occupati 2 Cor. V, 19. quorum proprium erat, ædes cum annuntiatione pacis intrare Matth. X, 11. 12. 13. Unde etiam in salutationibus epistolicis pacis votum habebant.

Sunt

Sunt legati, qui paranymphorum, seu nymphagogorum instar, sponsam Christi e familia paterna, seu e statu corruptæ naturæ, evocatam ad Christum ejusque Patrem bene ornata[m] dotata[m]que deducunt Psalm XLV, 11. 2 Cor. XI, 2.

§. II.

De usu verbi ἀποστέλλω, ad ipsos apostolos relato, vide Matth. X, 5. Illos duodecim ἀπέστειλεν emisit Jesus &c. item XXI, 1. XXII, 3. 4. XXIII, 34. 37. Luc. IX, 2. X, 1. 3. XI, 49. XXII, 35. Jo. IV, 38. Quemadmodum vero apostolatus omnem suam auctoritatem habet a Christo, ita non exiguam ab eodem dignitatem accepit, utpote qui κατ' ἐξοχήν est *apostolus Patris*, ideo in veteri testamento passim dictus ἄγγελος *angelus*, & angelus seu *legatus Domini* κατ' ἐξοχήν, qui, in aliquod *missionis* suæ ad ἐισάγκωσιν præludium, identidem in corpore humano, non ὑποστατικῶς, sed παραστατικῶς & οἰκονομικῶς, adsumto, a Deo *missus* est ad homines. In plenitudine vero temporis ab eodem *missus venit in carnem* Gal. IV, 4. tanquam *magnus ille angelus fœderis & pacis nuntius ac legatus*, ideo a Paulo expresse *Apostoli* nomine insignitus Hebr. III, 1. Et ad eam a Patre suo factam *missionem*, seu *cœlestem legationem*, subinde provocat ipse Apostolus noster. Vide Matth. X, 40. XV, 24. XXI, 37. Luc. IV, 18. 43. IX, 48. X, 16. Jo. III, 17. 34. V, 36. 38. VI, 29. 57. VII, 29. VIII, 42. X, 36. XI, 42. Inprimis frequens est hoc verbum de *missione Christi* in capite Joannis XVII. seu in precatatione Christi sacerdotali. Hic enim occurrit sexies, nimirum v. 3. 8. 18. 21. 23. 25. Præcipue autem hic attendi meretur comma 18, ubi Christus analogiam ostendit *missionis* utriusque; passivæ, sui a patre, & activæ, apostolorum: *quemadmodum*, inquit, ἐμὲ ἀπέστειλας, *me misisti in mundum*, καὶ γὰρ ἀπέστειλα *ita & ego misi illos in mundum*. Et hoc ipsum quam sollemnissime repetit post resurrectionem Jo. XX, 21. *Pax vobis: quemadmodum me misit Pater, etiam ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum &c.*

§. III.

Considerabimus nunc characteres muneris apostolici peculiare[s], qui sunt:

- 1) *Ab ipso Christo ἀμέσως esse electum & vocatum ad discipulatum*, & quidem non generalem, sed specialem & plane singularem. Matth. IV, 18-21. Luc. VI, 13-16. Jo. XX, 21. conf. c. XVII, 18. Huc refer Act. I, 24. 25. ubi cum in Judæ locum surrogandus esset alius, apostoli electionem per sortem soli Domino relinquunt, ideo ardentem antea invocato. Unde eventus in sorte a Domino directa eadem erat ratio, ac si electio ab eodem *αὐτοπροσώπως* fuisset facta. Ipsa etiam duorum præsentatio non facta est sine speciali Domini nutu. In numero autem duodenario,

D

eminens

- eminenter perfecto, quin Dominus respexerit ad duodecim patriarchas, ecclesiae judaicae, & totius populi Hebraei δωδεκαφυλας, columnas, non est dubium. Vide Matth. XIX, 28. Notabilis hic etiam est ea caelestis Hierosolymae harmonia & analogia, quam in numero hoc Apostolorum, tanquam mystico, habet. Apoc. XXI, 14. seqq.
2. *Cum ipso Christo coram esse versatum*, in ejusque schola esse institutum & ad munus instructum ante & post mortem ejus; atque ita esse testem αὐτήκοον & αὐτόπτην rerum Christi, ejus doctrinae, miraculorum, mortis, resurrectionis & adscensionis Act. I, 3, 8, 21, 22. X, 41. I. Cor. XV, 5. 7. I. Jo. I, 1, 2, 3. Conf. de disciplina Christi locum Luc. XXIV, 44, 45. Hinc *discipulorum* nomen Apostolis praeter aliis erat proprium.
 3. *Ab ipso Christo accepisse uberiores Spiritus Sancti mensuram*, & quidem per peculiarem ipsius oris afflatum Jo. XX, 22. Quod hic absentem Thomae de-erat, mox pensabatur.
 4. *Habere promissionem ipsumque donum θεοπνευσίας*, & hinc ἀπταισίας (quam barbaram infallibilitatem vocamus) in doctrina, Matth. X, 19, 20. Luc. XII, 11, 12. ubi τὸ τί & τὸ πῶς, seu *res & rei modus*, promittitur. Conf. Jo. XIV, 26. XVI, 13, 14. XVII, 17. Rom. XV, 18.
 5. *Præter donum θεοπνευσίας & ἀπταισίας*, inde a prima Novi Testamenti pentecoste, sub specie Spiritus Sancti visibili instructum esse charismatis linguarum & cognitionis extraordinariis, & dono θαυματουργικῶν ad confirmationem doctrinae, ipso Deo hac ratione doctrinae testimonium perhibente Act. II. Matth. X, 7, 8. Marc. XVI, 17 - 20. Act. III, 6. seqq. IV, 16. V, 12. seqq. &c. Conf. Hebr. II, 4. Rom. XV, 18. 19.
 6. *Adhibita impositione manuum a Deo etiam in alios linguarum aliorumque charismatum donum derivare.* Act. VIII, 6, 7, 15, 16, 17, 18, 19. X, 44. seqq. c. XIX, 6, 7. Quae dignitas & efficacia nulli unquam prophetæ, ac ne ipsi quidem Mosi, præ prophetis omnibus aliis prærogativam magnam habenti, obtigit.
 7. *Instructum esse peculiari potestate decernendi*, quid christianis novi foederis sub evangelio e lege Mosaica servatu esset necessarium ac utile, nec ne. Act. XV. Col. II, 14, 16, 20, 21. &c. Huc generatim pertinet epistola ad Galatas. Vide hunc characterem uberius declaratum §. XXI, & XXII.
 8. *Ab ipso Christo αὐτοπροσώπως e discipulo constitutum esse apostolum*, seu ablegatum esse in mundum ad prædicandum evangelium, & administrandum baptismum Matth. XXVIII, 19, 20. Marc. XVI, 15. Jo. XX, 21, 22. Differt hic character a primo. Secundum illum enim discipuli vocabantur & eligebantur ad peculiarem discipulatum; secundum hunc ex

eo rursus ablegabantur. In Matthia vero electio simul habuit vim ab-
legationis, ita ut in eodem per hanc ipsam & subsequentem unctio-
nem Spiritus Sancti, pentecoste factam, abunde pensatum sit, quod
ipsi in discipulatu Christi antea decesserat. Fuisse vero etiam hunc an-
tea in disciplina Christi, in eaque præ multis aliis profecisse, non est
dubium, comprobante id collegii apostolici præsentatione & ipsa Do-
mini electione. Vide etiam expressam litteram Act. I, 21, 22.

9. *Ecclesias Christi per universum orbem plantare ac fundare, ac in iis, constituto presbyterio institutaque disciplina, ordinandis uti potestate architectonica, & agere pro auctoritate, quæ ipsius erat Domini, ab ipso Apostolis delegata. Rom. XV, 20. seqq. 1. Cor. III, 6, 7, 9, 10. 1. Cor. VII, 17. Gal. I, 5. seqq. Eph. II, 20. Huc refer loca complura ex actis & epistolis apostolicis.*
10. *Nulli particulari ecclesie esse alligatum, sed gerere munus universale, quale requirebat ecclesiarum particularium plantatio, a qua tamen visitatio & rigatio disjuncta non erat, sed pro ratione officii universalis & quasi ambulatorii, commodissime fieri poterat, testibus Apostolorum Actis. Et hunc ipsum in finem Apostoli sibi adjungere solebant ejusmodi itinerum comites ac laborum socios, quorum ministerio in ecclesiis fundandis ac ordinandis uti poterant. Exemplo inter alios est Timotheus. Universali tamen isti muneri non repugnavit quædam quasi pensorum distributio, sed itidem generalior, ad peculiarem Dei nutum facta Gal. II, 7, 8, 9.*
11. *Ratione discipline pollere potestate singulari, ad contumaces, pro singulari Dei instinctu, vel scotomate, aut alia plaga, percutiendi, vel satanæ & ipsi morti tradendi. Act. V, 5, 11. XIII, 10, 11. 1. Cor. V, 5. 1. Tim. I, 20. Hanc tamen potestatem non nisi rarius fuisse exercitam, & apostolis magnam auctoritatem conciliasse, res ipsa ostendit.*
12. *Omnibus aliis esse typo in doctrinæ puritate, vitæ innocentia, & aduersorum perpeffione ac tolerantia, perpetuam abnegationem requirente, & ab omni mundi vanitate, pompa & ambitione aliena. Vide 1. Cor. XI, 1. Phil. III, 17. 2. Tim. I, 13, III, 10, 11. 1. Cor. IV, 9. seqq. Arbitror, quod Deus nos Apostolos postremos ostenderit, tanquam morti addictos &c. Conf. Jo. XV, 20, 21. XVI, 1, 2, 3, 4. Matth. XX, 22, 23. Qui character ultimus etsi habeat, quod etiam doctoribus, immo auditoribus quoque, commune est, Apostolis tamen κατ' ἐξοχήν competit.*

§. IV.

Character muneris apostolici septimus positus paulo ante
est in potestate discernendi, quid christianis sub novo fœdere e lege Mosaica
ser.

servandum esset, nec ne? De re ipsa, Apostolis hanc potestatem fuisse concessam & ab iisdem exercitam, nemo dubitat, cum ea sit manifesta e statu ecclesiae & ex Apostolorum praxi, secundum loca supra allegata. Hic autem quaeritur, utrum etiam loca Matth. XVI, 19. & c. XVIII, 18. huc pertineant? an vero, secundum sententiam communiorem, illa de statu peccati, & de peccatorum retentione & remissione, seu absolutione, intelligenda sint? Sed in antecessum hic probe notandum est, non quaeri de dogmate illo, quod *potestas clavium* vocari solet, & de statu peccati, vel retinendi vel remittendi, agit. Hoc enim dogma, in evangelico, seu evangelicorum, sensu acceptum, nemo interpretum ac doctorum evangelicorum negat, aut in dubium vocat. Sed quaestio est de sensu dictorum Christi, an de hoc dogmate agant, nec ne? Atque ita quaestio non est *dogmatica*, sed tantum *hermeneutica*. A communiore expositione dissentiunt non pauci viri eruditissimi, nominatim JO. CAMERO, JO. LIGHTFOOTUS, JO. SELDENUS, HENRICUS HAMMONDUS, SALOMON a TILL, PHILIPPUS a LIMBORCH, nec non auctor Harmoniae Evangelistarum, quae vulgo Ufferiana dicitur: & e doctoribus pontificiis JO. MORINUS & RICHARDUS SIMONIUS; e nostralibus JO. CHRISTOPHORUS WAGENSEILIUS, & alii, qui hos sequuntur. Et horum sententiam ego alicubi praetuleram expositioni istius magis receptae. Quod cum vir aliquis eruditus mihi vitio verterit, demonstrabo, sententiam illam vitio carere, & ita esse comparatam, ut se facile probare possit lectori τῆ ὑποθέσει μὴ δαλέουσι, liberam unicuique electionem relicturus, uti fas est in problemate hermeneutico.

§. V.

Primum viris litteraturae Hebraeae peritis est res explorata & indubitatae veritatis, phrasae, *aliquid ligare, aut solvere*, ab antiquissimis Hebraeis, praecipue ex usu scholarum, Hillelianarum & Schammajanarum, quae jam ante Christum natum floruerunt, usurpatas fuisse in judiciis & censuris dogmaticis de rebus licitis, aut non licitis, secundum legem Mosaicam, ita ut *aliquid ligare* esset aliquid prohibere, & pro prohibito declarare, conscientia ad intermissionem ligata & obligata; vel praecipis affirmativis *aliquid urgere*, conscientia ad obsequium adstricta: *aliquid solvere* idem ac *aliquid permittere*, seu pro permissio declarare, conscientia ab observationis obligatione soluta. Et hoc est, quod doctissimus Anglus, JO. LIGHTFOOTUS, in *Horis suis Hebraicis* ad Matth. XVI, 19. & c. XVIII, 18. etsi non satis explicite, tamen adeo evictum dedit, ut nulla intelligentibus superesse possit dubitatio. Idem inter alios comprobatur JO. BUXTORFIUS in *Lexico Talmud*, p. 1410. & p. 2524. sequ.

§. VI.

§. VI.

Nec obstat, exempla plurima desumpta esse e corpore doctrinæ Talmudicæ. Etenim manifestum est ex istis locis, usum istum loquendi Talmudicum, longe frequentissimum in locis innumeris, non demum ortum esse tempore confecti Talmud, sed in hoc adhiberi tanquam familiarissimum & scholis librisque Judæorum antiquioribus maxime usitatum, atque ita etiam antiquissimum. Quidquid enim gens Judaica antiquissimarum & simul usitatorum locutionum habebat, in istud doctrinæ suæ systema retulit, ita ut in eodem frequenter adhibuerit. Quid? quod hujus phraseologiæ vestigia in ipso Christi sermone deprehendamus. Nam Matth. V, 17. dicit: *Quisquis solverit unum emandatis hisce minimis & sic docuerit homines &c.* Ubi manifestum est, *ἵνα solvere mandatum* idem esse, ac rem mandato expressam permittere, seu conscientiam ab obligatione ita solvere, ut rem prohibitam possit facere, & præceptam intermittere. Jam vero *solvere & ligare* sunt relata. Quare *ἵνα ligare*, etsi hic simul expressum non sit, pro natura relatorum est *prohibere*, seu obligationem ad rei prohibitæ intermissionem, aut mandatæ observationem, urgere. Eodem fere sensu Jo. V, 18. Christus dicitur *solvisse sabbatum*, seu labores, Judæorum opinione prohibitos, eodem permisisse, & ipse fecisse, atque ita conscientiam ab obligatione observandi sabbati solvisse, ipsumque quasi legem de sabbato abrogasse. Item c. VII, 23. eodem sensu dicitur *lex Moysis* de circumcissione *solvi*, seu *non solvi*. Conf. c. X, 35. Immo verbum relatum *δέειν*, seu *δεσμεύειν*, eadem, certe analogica, ratione, qua illud Judæis alius usitatum fuit, adhibetur Matth. XXIII, 4. ubi Pharisei dicuntur onera portatu difficilia *ligasse*, & humeris hominum imposuisse, h. e. effinxisse præcepta, conscientia ad eorum observationem ligata, seu alligata.

§. VII.

Nec prætereundum hic est, phrasin istam Hebræorum, *ligare & solvere*, non de personis usurpatam esse, sed de rebus, seu de præceptis & præceptorum argumentis. Nec locum isto sensu habebat hæc phraseologia in sermone de personis. Quid enim esset, *hominem* aliquem *ligare & solvere*, respectu servationis & intermissionis? siquidem homo non est lex servanda, aut non servanda. Et quamvis in ligatione & solutione præceptorum, seu rerum præceptorum, respectus habebatur ad conscientiam hominis; de ipso tamen homine, tanquam objecto, ligatio & solutio non dicebantur. Idem deprehendimus in locis istis quinque citatis Matth. V, 17. Jo. V, 18. VII, 23. X, 35. Matth. XXIII, 4. scilicet *ἵνα solvere & ligare* de rebus dici, non de personis. Et hoc ipsum maxime perspicuum est in locis istis, de quibus hæc disquisitio instituta est. In illis enim non dicitur de hominibus, aut

de homine aliquo: ὃν ἐὰν δήσῃς, ὅσας ἐὰν δήσῃς κ. τ. λ. quem ligaveris, aut quos ligaveris, quem aut quos solveris; sed de rebus: ὃ, ὅσα, quidquid, & quaecumque ligaveritis, quidquid & quaecumque solveritis &c. Et quamvis ἵδ' ligare & solvere Rom. VII,2. 1 Cor. VII,27. 39. de personis usurpentur respectu aliquo, qui huc referri posse videtur, quando dicitur: *maritus alligatus est uxori, lege, uxor marito*, ita ut solutionem quaerere nec possit. nec debeat; ista tamen acceptio non quadrat ad sensum istum personalem, ut sic dicam, quo istae voces, in denuntiatione irae, aut gratiae divinae, adhiberi solent; istum vero sensum, qui ad res refertur, confirmat. Quid enim; *uxor per legem alligata est marito*, est aliud, quam illa lex, quae uxorem marito adstrinxit, non est *soluta*, ita ut uxori permissum sit alteri nubere, sed est adhuc *ligata*, seu ejusdem obligatio conscientiam adhuc obstrictam tenet.

§. IIX.

Quod vero caput est hujus argumentationis, ostensum hunc sensum omnino requirit, certe admittit, facies ecclesiae primitivae, ad quam Christus in sermone de Petri & reliquorum discipulorum apostulatu omnino respexit. Etenim Judaismus *δυσβάστακτω* legum, praecipue ceremonialium, onere erat praegravatus, sed ab eo per christianismum liberandus. Et homines, ex profanis gentibus ad Christum conversi, non adstringendi quidem erant ad observationem rituum Mosaicorum; at ita tamen informandi, ne libertatem suam verterent in licentiam, iis etiam, quorum obligatio erat perpetua, inter abrogata relatis. Quare christianae ecclesiae, e Judaeis & aliis gentibus colligendae, status hoc ipsum, tanquam rem summe necessariam, requirebat, ut Apostoli e Spiritu Jesu Christi evangelico decernerent, quam novis ecclesiae, e Judaeis & gentibus coalescentis, membris e lege Mosaica servatu essent necessaria, quamam libera, aut plane abrogata. Quae officii apostolici pars sane tanti erat momenti, ut maxime foret mirandum, si de ea nullum Christus praescriptum, & ne generale quidem, litteris consignatum Apostolis dedisset. Ubinam vero illud deprehendimus evidenter, si haec tam illustria loca praetermitteremus, sensu eorum, quem fundunt maxime nativum & facillimum, deserto?

§. IX.

Sed nec verba Matth. XVI,19. priora: *dabo tibi claves regni caelorum*, hic praetermittenda sunt. 1. *Regnum caelorum* est regnum gratiae, & quidem sub economia Messiae evangelica; quemadmodum; plurimis scripturae locis est notissimum, nec ab ullo, quod sciam, interprete negatur. 2. Hoc regnum adhuc viguerat inter Judaeos, sed nunc per Apostolos etiam inter reliquas universi orbis gentes erat dilatandum. Et ad hoc negotium ipsis apud gentes fores, per *ἀπιστίαν*, aut idololatriam aliamque impietatem, antehac clau-

clausæ, aperiendæ erant, immo apertæ sunt. Hoc ipsum est, quod scriptura paslim expresse affirmat. Vide Act. XIV, 27. *Retulerunt, quacunque fecerit Deus secum, & quod aperuerit gentibus ostium fidei* 1 Cor. XVI, 9. *Ostium mihi apertum est magnum & efficax.* 2 Cor. II, 12. *Cum venissem Troada ad evangelium Christi & ostium mihi esset apertum in Domino &c.* Col. IV, 3. *Orate simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi &c.* Huc maxime pertinet illustris illa locutio ipsius Christi, quæ se Jo. X, 7. 9. *ostium* vocat *ovium*, per quod introeundum sit: conf. v. 1. 2. Idem Apoc. III, 8. dicit, *se ecclesiæ Philadelphensi dedisse ostium apertum, a nemine claudendum.* Et quando per evangelium quærit aditum apud homines, ibidem v. 20. dicitur *stare ante ostium ac pulsare, & illis, qui vi hujus pulsus aperiunt, (qualis apertio fiebat in Lydia Act. XVI, 14.) introitum suamque præsentiam* promittere. 3. Jam vero ubicunque est ostium, illudque aperiri dicitur, ibi simul intelligitur *adminiculum clavium*, quarum etiam in Apocalypsi c. III, 7. expressa mentio adjicitur. *Et angelo Philadelphensis ecclesiæ scribe: Hec dicit sanctus & verax, qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit, & claudit, ac nemo aperit.* Conf. c. I, 18. IX, 1. XX, 1. Hisce jam suppositis 4. hinc emergit nativus sensus loci præsentis de *datis clavibus regni cælorum.* Indicatur enim potestas & facultas cum evangelio apud gentes intrandi, iisque ostium ad regnum gratiæ, a Messia paratum ac stabiliendum, aperiendi. Qua expositione quid magis esse possit nativum, & textui scopoque Christi consentaneum, ego certe non deprehendo. Et quid quæso magis ad scopum Christi facere poterat, quam illustri illi promissioni de ecclesiâ, super petram, seu se ipsum, ædificanda v. 18. subjungere promissionem de aditu ad gentes, ecclesiæ inter eas plantandæ causa patefaciendo.

§. XI.

Nec indignum est observatu, hæc speciatim Petro dicta esse. Absit quidem, ut existimem, apostolos reliquos, quorum nomine locutus erat Petrus, hic excludi, & Petro prærogativam aliquam, qualem Pontificii commentum sunt, fuisse tributam: id tamen negari nequit, subesse hic respectum aliquem ad ipsum Petrum singularem. Etenim Petrus inter Apostolos omnium futurus erat primus, qui gentes adiret, seu familiæ gentili, nimirum Cornelii, evangelium de regno Dei erat prædicaturus; quemadmodum Dominus jam præviderat, & eventus comprobavit. Quanta vero cum difficultate Petrus ad ipsum hoc negotium, ut fores gratiæ etiam gentilibus patefaceret, accesserit, Act. X, 9. seq. pluribus enarratur. Atque ita maxime est probabile, respectu aliquo ad Petrum & hoc ejus negotium speciali ad ipsum dictum fuisse a Christo: *Dabo tibi claves regni cælorum.* Quid vero cum hac potestate clavium magis esse poterat connexum, quam illud ipsum

ipsum

ipsum, quod Christus statim ἀμύσως subjungit: *Et quidquid ligaveris in terra, erit ligatum in caelis, Et quidquid solveris in terra, erit solutum in caelis.* Nam gentilibus, per patefactum gratiae ostium intra regnum gratiae, seu ecclesiam, admisis, nihil magis erat necessarium, quam nosse, quae sit libertatis christianae ratio, in quantum legi Mosaicae etiam in ipso christianismo alligati sint ac maneant, nec ne; quemadmodum Judaeis ad Christum conversis necessario sciendum erat, quo usque ab obligatione disciplinae Mosaicae essent soluti & ab ea immunes. Quare Apostolorum omnino erat, ut neophytos christianos de utroque recte instituerent, atque ita alia ligarent, tanquam servanda, alia solverent, tanquam abroganda, & ipsi praxi sua abrogarent, conscientia ab obligatione soluta. Et hoc ipsum est, quod ipsorum praxis passim conspicuum facit, & in Actis & in epistolis ipsorum. Insignis praeter aliis est locus, Act. XV. de synodo Hierosolymitana. Ligaverant nonnulli legem de circumcisione & leges reliquas, seu servationem earum urserant v. 1. Quae controversia ab Apostolis & presbyteris ita componitur, ut solvenda solvant & liganda ligent, praecipientes, quid servandum sit, & quid intermittendum pro libertate christiana. Speciatim hic notandus est v. 7. ubi Petrus suum ad gentes introitum, quo ipsis ostium fidei aperuerit, commemorat. Huc pertinet magna pars epistolae ad Galatas. Confer. Col. II, 16. 17. ubi Paulus certas res Judaicas ita solvit: *Ne quis vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut novilunii, aut sabbatorum: quae sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi.* E contrario τῶν δογματιζόντων, seu praepostere ligantium, voculas cum improbatione v. 21. ita refert: *Ne tangas, ne gustes, ne contrectes.*

§. X.

Huc nunc transferam nonnulla loca auctorum supra allegatorum. Agmen hic ducat JO. LIGHTFOOTUS, qui postquam ad Matth. XVI, 19. coll. c. XVIII, 18. ex antiquitate Judaica declaraverat, quid esset ligare & solvere, hanc applicationem subjungit: *Cum jam adesset tempus, quo lex Mosaica secundum aliquam ejus partem enervanda esset & in desuetudinem evasura; secundum aliam in perpetuum continuanda & duratura, Petro his reliquisque Apostolis potestatem concedit, ut enervarent, aut conservarent, quae sibi visa forent, & prout sibi visum foret, Spiritu S. edoctis ad hoc & manu ductis: quasi dicat: in lege Mosaica quodcumque ligaveritis i. e. prohibueritis, prohibitum erit, sanciente auctoritate divina; & quodcumque solveritis i. e. permiseritis, vel permissum & licitum docueritis, erit licitum & permissum.* Applicationi isti hanc porro addit paraphrasin, praecipue ad rem praesentem, quam Christus cum Petro transegerat, directam: *Edificaturus sum Ecclesiam gentilitiam, tibi que o Petre do claves regni caelorum, ut tu primus ostium fidei iis aperias: si autem queras, quam normam regulanda sit ista Ecclesia,*

Ecclesia,

Ecclesia, cum norma Mosaica isti videri possit admodum aliena, tu ita a Spiritu Sancto duceris, ut quodcunque concesseris, erit concessum, idque sub sanctione in caelo. Paraphrasin confirmat ab eventu, quando ita pergit: Hinc in illo instante, cum clavibus suis usus esset i. e. cum jam aperturus januam Evangelii gentilibus Act. X. edocetur caelitus, solutam (seu concessam) jam esse consociationem Judaei cum gentili, quae antea fuerat ligata; & solutam jam etiam esse, quae antea fuerat ligata, comestionem animalis cujusvis esui convenientis: atque his pariter haec duo (consociationem & comestionem) solvit (pro licitis declarat). Item: Ordinatio ministri apud Judaeos hac vel illa forma facta est: accipe potestatem ligare & solvere, ut constat ex Maimon. Sanhed. Christus ergo hoc loco discipulos suos constituit in statu ministeriali, ut docerent, quid esset ligare & solvere, quid faciendum & non faciendum: id quod ministris omnibus tribuitur, Apostolis vero modo eminentiori.

Porro ad Matth. XVIII, 18. Egerat Christus de solutione ab officio fraterno in causa quadam particulari: agit jam de auctoritate & potestate Apostolorum quilibet solvendi vel ligandi, prout illis visum fuerit a Spiritu Sancto in omnibus manductis eademque auctoritate, qua illic Petrum quoad haec, omnes Apostolos hic donat. Aedificata est haec potestas super fundamentum istud nobile Jo. XVI, 33. Spiritus veritatis ducet vos in omnem veritatem: vos omnes sanctos, in omnem veritatem sibi ad salutem necessariam; vos Apostolos & quidem solos in omnem veritatem, & sibi ipsis necessariam & toti ecclesiae. Hinc quodcunque illi in lege firmaturi, firmandum erat; quodcunque evacuaturi, evacuandum.

§. XII.

Jo. CAMERO ad Matth. XVIII, 18. Verba illa **LIGARE & SOLVERE** in ecclesia Judaica fuere usitatissima proindeque notissima significationis, quo tempore Christus agebat in terris. Significabat autem **LIGARE** in Ecclesia Judaica interdicare, prohibere, contra **SOLVERE** sign. permittere, concedere. Itaque eorum lingua אסור est prohibere & contra התיר est permittere, ut cum dicunt Ezechielem & Davidem nihil ligasse, nisi quod esset ligatum in lege. Itaque **LIGARE** est declarare rem aliquam esse profanam & licitam, ut sunt illa, quae ipsi אסור vocant. h. e. res prohibitas, quarum usus est ex lege illicitus. Contra **SOLVERE** est pronunciare rem aliquam esse legitimam, sive ex lege licitam, ut sunt illa, quae ipsi מותרים vocant. Ut sit haec sententia Christi: Quaecunque Ecclesia causa cognita declarabit esse injusta, ea Deus declarat esse injusta: contra quae Ecclesia pronunciat esse justa, ea Deus pronuntiat justa. Nam & hoc observandum hic est, Christum non sic loqui: Quoscunque ligaveritis, aut quoscunque solveritis; sed neutro genere usus est: ὅσα, quaecunque, non ὅσας, quoscunque, haud dubie non sine gravi causa: Vide & quae supra notata sunt ad c. 16, 19.

E

§. XIII.

§. XIII.

Auctor Harm. Evangelist. quæ ex bibliotheca JAC. USSERII prodiit ad Matth. XVI, 19. p. m. 357. „Und ich will dir des Himmelreichs „Schlüssel geben (die Schriftgelehrten Luc. XI, 52. rühmen sich zwar/ daß „sie die Schlüssel des Erkänntnisses haben/ aber fälschlich. Dir aber will ich die „se Gewalt wahrhaftig geben/ daß du solt mit dem Schlüssel der Predigt der „Welt die erste Thüre zu meiner Erkänntniß aufthun/ und also der erste seyn/ „der so wohl geaen Juden (Act. 2.) als Heyden (Act. 10.) von mir das Zeug- „niß ablegen und ihnen den Weg zum Himmelreich eröffnen soll: (auch) gebe „ich dir hiemit annoch über das vorige auch diese absonderliche Gewalt/ wie „wohl dieselbe auch deine Mitgesellen empfangen sollen Matth. XVIII, 18. daß) „was da auf Erden binden wirst/ soll auch im Himmel gebunden „seyn/ und alles/ was du auf Erden lösen wirst/ soll auch im Himmel „loß seyn: (was du bey vorkommenden zweyffelhaften Gewissens- Fällen/ ein „oder die andere Mosaische Rechte oder Gebräuche belangend/ verbieten wirst/ „wie sonst die Jüdischen Rabbinen thun; denn du weißt aus der gemeinen Art „zu reden/ welche bey den Jüdischen Lehrern in Schulen und Schrifften täglich „und überall vorkommt/ daß binden so viel/ als verbieten/ und lösen so viel/ als „zulassen heisset. Man sehe in den Talmud, so wird man der Exempel bey 1000. „finden) das soll im Himmel gebunden seyn! (das soll von Gott also ge- „nehm gehalten werden/ daß wenn jemand über geschenees Verbot es dennoch „thun solte/ es ihm in Himmel für einen straffbahren Ungehorsam soll gerechnet „werden (und was du auf Erden lösen (was du in dergleichen Sachen das „Mosaische Geseze betreffend/ zulassen) wirst/ das soll im Himmel gelöst „seyn (das soll vor Gott für zugelassen gehalten werden.) Matth. XVIII, 17. „Halt ihn als einen Heyden und Zölnier (Und damit ein solcher die Erinne- „rungen/ die bey und im Nahmen der ganzen Gemeinde geschehen/ nicht für „geringe halte; so will ich sagen/ was bey der Gemeinde für Vermögen steckt: „Erstlich seyd ihr bey meiner Gemeinde die vornehmsten Glieder/ und habt dar- „innen solche Gewalt/ als die Jüdischen Lehrer bey ihren Gemeinden haben/ „denn) Warlich ich sage euch: Was ihr auf Erden binden werdet soll „auch in Himmel gebunden seyn/ und was ihr auf Erden lösen werdet/ „soll auch im Himmel loß seyn. (Die allgemeine Gewalt nun gebe ich euch „allen/ gleichwie ich sie zuvor Petro gegeben: Krafft desselben werdet ihr bey der „Gemeine viel verordnen/ und demnach auch verbieten können/ das mit solchen „halbstarrigen Sündern nicht nur der Beleidigte/ sondern wohl gar die ganze „Gemeine nicht mehr soll umgehen und zu thun haben; und solchen Verordnungen „wird auch nach eurem Tode in den Gemeinen nachgelebet werden; dafür mögen „sich die Sünder wohl fürchten.)

§. XIV.

§. XIV.

SALOMON a TILL, clarissimus Lugdunensium inter Bata-
vos Theologus, ad Matth. XVI, 19. hæc habet: **W**iewohl diese Worte von,
Denen meisten Auslegern zu der Kirchlichen Zucht gezogen seynd/ so müssen wir,
Dennoch bekennen/ daß ihre Auslegung uns schwerlich genug thun kan. 1. Weil,
dieses binden und entbinden hie keinesweges Versöhnen/ sondern Sachen zu,
geeignet wird. Denn **J**esus sagt nicht/ wenn du (du) jemanden binden wirst/
sondern wenn du was (du &c.) 2. Diemeil einige ihres Bannes entschlagen (er-
lassen) werden können/ durch ein Gesetzliches Kirchen- Urtheil/ welche dennoch,
im Himmel als Schuldige verurtheilet werden sollen/ wie solches an allen,
Heuchlern offenbar ist. Und aus diesem Grunde können auch einige durch ei-
nen Gesetzmäßigen Spruch unter den Bann gerathen/ welche in Ansehung der,
Kirchen unversöhnt sterben/ ob sie schon durch eine späte Busse/ wie der Mör-
der am Creuz/ mit **G**ott nicht unversöhnt sterben. 3. Nachdem mahlen uns,
eine Auslegung vorkommt/ welche mit der Krafft der Worte besser übereinstim-
met/ und das Absehen viel näher erreicht/ so halten wir uns dahin verpflichtet,
zu seyn/ daß wir solche Erklärung vor anderen nehmen. Wann wir nun an-
mercken/ daß diese bey den Juden sehr gemeine Redens- Art ein solches Urtheil,
bedeutet/ wodurch man gewisse Sachen entweder erlaubt/ oder unerlaubt zu-
seyn erkläret/ und deswegen das erlaubte zuliesse/ das unerlaubte oder ungera-
de und unerbauliche aber verbote/ so sehen wir hier eine natürliche und gewöhn-
liche Bezeichnung / die hier an diesem Ort wunder- wohl zu Pass kommt.
Denn die Juden / so glaubig waren / in die Freyheit einzulassen / hatte man,
Vorsichtigkeit vonnöthen / damit man die Gebothe nach dem Gutdüncken von,
den unveränderlichen unterscheiden möge: und was da mit Erbauung auf ein-
mahl abgeschafft werden konte / und worinn man noch eine weile wegen der,
schwachen Gewissen etwas würde erdulden und zulassen müssen. In diesem
hochwichtigen Stück zeigt nun **J**esus / daß Er sie solcher Gestalt mit seinem,
H. Geist bestrahlen / und ihnen beystehen wolte / daß sie darinn keinen andern,
Schluß machen würden / als welches schon bey ihm in den Himmel beschlossen,
seyn würde. Solte jemand an dieser Bedeutung der Worte binden und ent-
binden zweiffeln wollen / der wolle doch nur Ligtfoot über diesen Ort besehen,
und Buxtorffii Lexicon Talmud. p. 1410. p. 2524. seqq. aufschlagen / so wird,
er finden / daß die Worte also verstanden werden müssen.,

Idem Auctor in antecedentibus claves cœli interpretatur de aditu
ad libertatem Novi Testamenti Evangelicam, gentibus patefaciendo, de iis
ita differens: Und ich will dir des Himmelreichs Schlüssel geben; Also nennet,
er wiederum das Königreich Christi. Siehe Matth. III, 2. und Luc. XXII, 29.
sagte **J**esus: **I**ch bescheide und disponire euch das Königreich. Durch die,

„Schlüssel dieses Königreichs verstehet der Heyland die Werkzeuge und Instru-
 „mente/ wodurch der Eingang zu dem freyen Zustand des N. T. denen Gläu-
 „bigen geöfnet/ und alle diese Niegel weggeschoben/ und die Hindernisse/ welche
 „ihnen diese Freyheit wehreten / und von derselben abhalten wolten/ aus dem
 „Wege geräumet werden solten. Also wurde dann das Himmelreich zu der Zeit
 „als noch auf Erden vor den Gläubigen zugeschlossen/ angemerket/ vor welche der
 „Weg zu dem waren Heiligthum annoch unzugänglich war. Hebr. IX, 8. Die-
 „weil sie den Zugang zum Himmlischen Jerusalem Hebr. XII. v. 22 & 24. noch
 „nicht hatten. Das Gesetz Moses war es / welches den Heyden die Bürger-
 „schaften Israels verwehrete / und die Juden von der Freyheit Abrahams ab-
 „scheidete: Damit nun diese Scheide-Wand zwischen Juden und Heyden weg-
 „geschoben und zerbrochen würde; so hat Christus die Schlüssel des Königs/ wo-
 „durch der Eingang den Heyden geöfnet / und die Christen zu der Christlichen
 „Freyheit zugelassen seynd/ dem Petro zuerst gegeben: nemlich. 1. Der Schlüs-
 „sel der Erkänntniß/ als er durch den Heiligen Geist im Verstand der Weissa-
 „gungen solcher gestalt/ wie auch in dem Sinn des Endes des Gesetzes ebenmäß-
 „sig/ ist erleuchtet worden / daß er daraus hat verstehen können / zu welcher
 „Freyheit wir durch das Evangelium geruffen wurden. 2. Der Schlüssel der
 „Gesichten und neuen Offenbahrungen/ wann ihm durch die Fürstellung
 „reiner und unreiner Thiere in einem leinen Tuch bekannt gemacht wurde/ daß
 „Gott nun alles gereiniget habe Act. X, 11- 15. 3. Der Schlüssel der wun-
 „derbahren Würckung Gottes/ da Er befand / daß die Heyden auf seine
 „Predigt durch den H. Geist/ welcher auf sie gefallen war/ mit fremden Spra-
 „chen redeten/ durch welche Historie er auch die ganze Brüderschaft überredete/
 „daß sie die Gläubigen aus den Heyden ohne Joch Aufflegung in ihre Gemein-
 „schaft aufund annahmen. Siehe Act. X, 44 47. XI, 1-18. XV, 7-11. Hæc
 testimonia sufficient. Nolo plura ex auctoribus supra nominatis huc trans-
 ferre. Eandem sententiam suo tempore publice comprobavit cel. Theo-
 logus Lipsiensis, D. JO. BENEDICTUS CARPZOVIVS, Light-
 footo subscribens. Et, cum ipsi contradiceret collega, D. JO. ADA-
 MUS SCHERZERUS, adeo is Lightfootum hac in parte non desere-
 bat, ut *Horas ejus Hebraicas & Talmudicas* Lipsiæ anno 1675. seorsum recu-
 dendas curaret, nec editionis scopum, antilogiæ isti oppositum, in dedi-
 catione dissimularet. Sed quid opus est contradictione in quæstione her-
 meneutica, quæ consensum in dogmaticis relinquit salvum & integrum?
 Fruitur hic quilibet merito libertate sua pro diversa cognitionis mensura.

§. XV.

Restat, ut paucis viri cujusdam eruditi censuram, sententiæ Light-
 footi minus receptæ oppositam, considerem. Primum ait, *stylum istum scho-*
larum

larum Judaicarum de ligatione & solutione fuisse singularem, a doctis quidem receptum, vix autem simplicioribus, speciatim discipulis Christi, quibus hic locutus sit, cognitum. At hunc loquendi modum e scholis publicis ad alios etiam, quibus cum doctoribus versandum erat, fuisse translatum, vix poterit dubitari. Quid? quod jam supra ostensum sit, eum nequaquam abhorrere a phraseologia biblica. Frustra itaque dicitur, istius significatus nullum alibi in N. T. indicium occurrere. Hoc ipsum Lightfootus potiori jure alteri sententiæ opponere potuisset. Et quid esse potest minus ænigmaticum, seu simplicius & magis nativum, quam phrasin, *aliquid ligare* ita intelligere, ut sit, alicujus rei obligationem ac vigorem urgere: *solvere* vero *aliquid* ita interpretari, ut significet, aliquid abrogare, & conscientiam ab ejusdem obligatione solvere, seu liberare. Nequaquam igitur e putidis Rabbiorum lacunis petita est hæc locutio, sed e meliore fonte. Deinde vir doctus existimat, si recedendum esset a communiore sententia, meliori jure loca ista Christi posse explicari *de potestate morbum corporis infligendi, aut ab eo liberandi*, secundum illum locum Lucæ XIII, 16. Hanc filiam Abrahamæ, quam **LIGAVERAT** Satanæ duos de viginti ecce annos, nonne **SOLVI** oportuit isto vinculo? Sed hæc expositio haud foret nativa. Nam 1. in locis Matthæi non de *personis*, sed de *rebus*, sermo est. Et quamvis Græci interdum etiam adjectivum neutrius generis de personis usurpent; tamen inde probari nequit, id hic factum esse. Ejusmodi locutiones de personis accipimus, quando aliter, seu de rebus, accipi nequeunt; at loci Matthæi acceptio propria & ordinaria de rebus habet locum & commodissimum sensum gignit. 2. Incommodus foret sensus, si ligatio ad immisionem morborum referretur. Hac enim ratione Christus discipulorum potestatem comparasset cum potestate satanæ, utpote cui ejusmodi ligationem expresse tribuit. Apostolorum vero erat servare, non perditum ire homines. Nec casus aliquot extraordinarii & rariores, quales erant Ananiæ & Sapphiræ, huc ad officium apostolorum ordinarium trahi possunt. Et licet legis Mosaicæ nulla in locis istis facta sit mentio, tamen ipsa phraseologiæ proprietates ostendit, sermonem esse de rebus legis. Ita ut hæc pro longius petitis & ex solo **LIGHTFOOTI** ingenio depromtis haberi nequeant. Nec Christus peccatorum in iisdem ullam fecit mentionem, & tamen de iisdem secundum communiorem sententiam loca ista explicari solent.

Quando Lightfootus locum Matth. XVI. speciatim refert ad illum actum Christi, qui Act. X. describitur, alios Petri & reliquorum Apostolorum actus ac labores nequaquam excludit. Quod si autem ista verba nimis restrinxisse videtur, extendamus istorum sensum, quemadmodum supra feci.

Apud Matthæum, aliosque, non solum verbum *καταλύειν*, sed etiam *λύειν* in eadem materia occurrit, uti supra ostensum est. Quod vero de verbo *λύειν* valet, quidni etiam valeret de verbo *δέειν*, tanquam relato, etsi alias hoc sensu non legatur. Nec illud de peccatis alibi adhibetur, & tamen de iis accipitur secundum alteram sententiam.

Et quamvis lex cerimonialis, *ἀληθεία* evangelii in locum ejus succedente, sponte cessaret; ejus tamen abrogatio studiosissime erat inculcanda Judæis plurimis, ut evangelio locum facerent: qui quam tenaces legis fuerint, & quantum negotii Apostolis in urgenda abrogatione fecerint, quis nescit? Nec ignotum est, a neophytis leges cerimoniales a moralibus non fatis fuisse distinctas, adeo ut omnino opus esset per disjunctionem dicere: *quicquid prohibueritis, vel permiseritis, id ratum erit.* Apostolorum vero arbitrium in ejusmodi sanctionibus erat Dei arbitrium. Nihil ergo habet interpretatio Lightfootiana, quod analogiæ sanioris doctrinæ ulla ex parte repugnet.

Verba Ioannis c. XX, 23. *cui remiseritis peccata &c.* in eundem sensum cum locis Matthæi cogi debere, tam diu haud frustra inficiatur Lightfootus, donec, expositionem ejus ad Matthæi loca locum habere haud posse, solidius fuerit demonstratum.

Nexum, quem facit Lightfootus Matth. XVIII. inter v. 18. & antecedentia, non probo; sed inde tamen *νοθεία* sententiæ ejusdem nondum evicta est. In testimonio ex harmonia vulgo Usseriana paulo ante allato, uti & in Tilliano illo, deprehenditur nexus concinnior.

§. XVI.

Ex his denuo liquet, expositionem Lightfootianam nihil habere, quod jure possit improbari. Interea tamen per me unicuique licebit communio rem retinere expositionem. Illud vero est, quod opto, ut ab ea removeantur, quæ non immerito improbantur, scilicet præjudicium aliquod in theoria, & abusus in praxi. *Præjudicium* de ejusmodi potestate clavium singulari, quæ restringitur ad ritum exomologeticum, qualem ecclesia evangelica tempore reformationis retinuit, qui vero nec universalis est, nec antiquissimus. *Abusus* multiplex, de quo alibi ex instituto: quem vero vir quidam doctus in episcopi sua aut noluit, aut, ob præjudicium receptæ hypotheseos, non potuit recte perspicere & dijudicare. Vigeat usus rei exomologeticæ genuinus, cui ipse olim per plures annos verbi minister operam dedi; sic absolutio vim habebit non solum *declarativam*, sed etiam *collativam*, sensu evangelico talem. A quo autem quantopere per abusum & præjudicium ab haud paucis inter ipsos evangelicos recedatur, qui nescit, non exiguum erroris consortium prodit.

§. XVII.

§. XVII.

Hæc hæctenus occasione characteris illius apostolici, qui supra numero septimus est. Jam vero de characteribus illis conjunctim sumtis non immerito quaeritur, an isti Paulo non minus, quam reliquis Apostolis, conveniant? Videri enim posset unus & alter ipsi haud posse tribui, nimirum secundus de *conversazione cum Christo & de ejusdem schola ac discipulatu*, nec non quintus de *unctione*, quam reliqui Apostoli festo pentecostes acceperunt. Et quantum pseudapostoli auctoritati Pauli apostolicæ detractum iverint, notissimum est ex apertis ejusdem indiciis & querelis, quæ in epistolis ad Galatas, ad Corinthios & ad Philippenses, immo alibi etiam,prehenduntur. Verum enimvero quod Paulo in duobus istis characteribus decesit, abunde compensavit partim vocatio ejus extraordinaria & plane singularis, conjuncta cum uberrima Spiritus Sancti unctione, quæ majorem adhuc capiebat accessionem per ministerium Ananix, donumque *Θαυματουργίας* adjunctum habebat. Ut nihil dicam de raptu Pauli in paradisum. Vide, quanta cum parrhesia provocet Paulus ad sui vocationem, *ἀμέσως* a Christo factam, uti & ad visionem Christi, seu quod Christum viderit, & quidem in gloria. Gal. I, 1. 1. Tim. I. Act. XXII, XXVI. 1. Cor. IX, 1. Et reliqui apostolorum characteres tanto cum pondere tantaque cum *ἐνεργεία* in Paulo fuere conspicui, ut ipsi in iis plus potius, quam minus,tribuendum sit. Immo ipse Paulus insigni cum plerophoria passim urget apostolici muneris sui auctoritatem, non solum rei veritate motus, sed etiam necessitate quadam ab obtrektoribus sibi imposta coactus. Vide inprimis 1. Cor. IV, 19, 20, 21. V, 3. seqq. 1. Cor. IX. 2. Cor. X, XI, XII, XIII. Gal. II. &c. Speciatim duas hæc prærogativas, respectu ipsius muneris, Paulus habuit præ reliquis omnibus: unam, quod, etsi sua quidem ipsius æstimatione, Apostolorum omnium minimus erat, plus tamen laboravit, quam reliqui omnes singulatim considerati; 1. Cor. XV, 9, 10. alteram in eo, quod Deo placuerit, ut ejus epistolæ majori numero in perpetuum ecclesiæ usum exstarent: unde Paulus non solum viva, sed scripta etiam voce plus laboravit, quam reliqui.

CAPUT

CAPUT IV.
DE
REBUS PAULI AB EJUS CONVERSIONE ET
VOCATIONE AD MUNUS APOSTOLICUM, USQUE
AD EJUS LEGATIONEM ANTIOCHENAM,
SEU ANTIOCHLÆ FACTAM.

SYNOPSIS.

<p><i>Paulus conversus Damasci Christum prædicat in synagogis §. I. id quod Lucas verbis emphaticis describit §. II.</i></p> <p><i>Damasco abit in Arabiam, triennium circiter ibi transigens. §. III.</i></p> <p><i>Ex Arabia redit Damascum, sed eam ob discrimen vitæ mox relinquere cogitur. §. IV.</i></p> <p><i>Damasco prima vice adit Hierosolymam, ubi a Barnaba ad Apostolos adducitur §. V.</i></p> <p><i>Hierosolymæ habet ecstasin in templo, & jubetur urbe cito excedere. §. VI. & quidem propter funestas insidias Hellenistarum §. VII.</i></p>	<p><i>Hierosolyma relicta discedit Casaream, & inde Tarsum in Ciliciam, ecclesiis Judææ, Samariæ & Galilææ interea per dispersos edificatis §. VIII.</i></p> <p><i>Quorum nonnulli cum etiam Antiochenis gentilibus Christum cum successu prædicassent, hi confirmantur per Barnabam, Hierosolyma ipsis submissum §. IX.</i></p> <p><i>Barnabas vero ad ecclesiam neophytorum utriusque generis recte ordinandam Tarsus adducit Paulum §. X.</i></p> <p><i>Paulus cum eodem Hierosolymam mittitur subsidii causa, & mox inde revertitur Antiochiam. §. XI.</i></p>
--	--

§. I.

PAulus ad Christum conversus, eidemque per solennem baptismi ritum consecratus, capto cibo ἐνίσχυσεν, (quod convenit cum Hebræorum קִחַחַח Gen. XLVIII, 2.) *recepit vires*, ex iis, quæ in via Damascena acta erant, nec non e triduo jejunio ac continuata oratione, fractas. Nec minus recreatus est animo e suavissimo consortio cum iis, qui non amplius Mosis, secundum cultum Leviticum, multo minus Hillelis & Schammaji, sed *Christi*, erant *discipuli*: quorum sane numerus fuit haud exiguus Damasci, præcipue inde a tempore illius dispersionis, cujus c. VIII, 1, 3, 4. fit mentio. Inter illos vero per aliquot dies ita hæsit Apostolus, ut collectas vires, pro sua in Christum fide ardentissima, statim in publicum de eodem præconium impenderet. *Confestim enim in synagogis prædicavit Christum,*

stum, ipsum esse Dei Filium Act. IX, 20. h. e. demonstravit, non alium expectandum fuisse Christum, seu Messiam, quam talem, qui simul esset Dei filius. Id quod deinceps ad Jesum illum Nazarenum, Judæis notissimum, applicavit, solidissimis adhibitis argumentis, quemadmodum statim v. 21, 22. subjungitur, commemorato simul effectu sancti stuporis, qui auditores omnes ac singulos occupaverit, præcipue e collato statu docentis pristino ac novo, per tantam & tam repentinam μεταμορφωσιν plane immutato.

§. II.

In verbis Lucae de Paulo tria verba probe sunt notanda: primum ἐνεδυναμῆτο *invalescebat*: quo utrumque exprimitur, partim *robur spiritus*, ex accepta unctioe, & magis magisque affluente gratia, magna sumens incrementa; partim *parrhesia* ad dicendum, inde non parum aucta. Unde idem postea urfit in christianismo apud alios Eph. VI, 10. speciatim Timotheum 2. Tim. II, 1. Confer exemplum Abrahami, fide heroica invalescentis Rom. IV, 20. & ipsius Christi Luc. II, 40. Secundum συνέχουε *confundebat*: quo indicatur, Judæos, qui Christo ac christianis adhuc fuerant adversi, & Mosis ac traditionibus præpostere addicti, a pertinacia & servitute hypothesium suarum ad ejusmodi fluctuationem fuisse adductos, ut, incerti redditi de integritate status sui pristini, dubitare inceperint, & hac ratione locum fecerint christianismo. Tertium συμβιβάζων: quod verbum præter notionem docendi, seu instituendi ac instruendi, generalem (qua respondet verbis Hebræis הוריע / הורה / הרבין: vide LXX. interpretes Jes. XL, 14. Exod. IV, 12, 15. XVIII, 16. Deut. IV, 9.) speciatim notat, collatis & quasi inter se compactis diversis partibus ac membris, locisque & argumentis, aliquid demonstro, & efficio, ut aliquis convictus in sententiam meam eat, & hac ratione mecum consentiat, eadem mente mecum quasi compactus. Bene ERASMUS SCHMIDIUS in h. l. συμβιβάζειν *proprie fabrorum lignariorum est, qui ligna inter se committendo aptandoque coire faciunt; ideoque est per collationes artificiose compingere ac coagmentare, artig zusammen fügen: id quod absque collatione & commissura fieri non potest.* Col. II, 19. Eph. IV, 16. Ita Saulus non nude affirmavit, ut vetus & Erasmus reddiderunt minus convenienter, sed collatis testimoniis scripturae, illis non ignota, artificiose quasi instruxit, & omnia congruere demonstravit, si credamus, ὅτι ὁ Ἰησοῦς, qui crucifixus resurrexit & in caelos ascendit & nuper Saulo in via apparuit, ἐστὶν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Præterea notabile hic est illud Judæorum testimonium, quod christianis tribuerint invocationem nominis Christi, atque ita etiam confessionem divinitatis ejus, v. 21.

§. III.

Paulus spiritu corroboratus Damascum mox reliquit, adiitque Arabiam. Videri quidem poterat, ante omnia ipse Hierosolymam esse revisen-

sendam, eum præcipue in finem, ut reliquis Apostolis ibi adhuc commorantibus innotesceret, & ab iis confirmaretur. Sed non egebat Paulus hac confirmatione, nec opus erat, ut, quem Dominus apostolicis dotibus abunde instruxerat, se prius probaret apostolorum collegio, quam munere suo apostolico apud exteros fungeretur. Et hoc est, quod perhibet in epistola ad Galatas c. I, v. 16, 17. *Continuo non contuli cum carne & sanguine (ullo homine, consilium ab ipso petiturus, utrum vocanti Domino obtemperandum esset) neque redii Hierosolymam ad eos, qui ante me fuerant Apostoli, sed abii in Arabiam.* Intelligitur Arabia Damasco proxima, cujus regi eo tempore ipsa Damascus fuit subiecta, ita tamen ut cum ipso subesset Romano imperio. Immo probabile omnino est, Paulum etiam remotiores amplissimæ Arabiæ regiones obiisse, quandoquidem in ea tres annos exegisse dicitur, Gal. I. v. 18. Solos vero Judæos, quorum per magna copia erat in Arabia, hoc tempore doctrina evangelica imbuisse videtur. Etsi enim erat gentium præcipue Apostolus, tamen primis muneris sui annis non destitit, nutu Dei, operam suam Judæis impendere. Et intra eos terminos maxime se continuisse videtur, donec ab Antiochenis Pisidiæ publice ejectus ad gentes se converteret. Act. XIII, 46. quanquam nec postea Judæos præterierit.

§. VI.

Triennio circiter inter Arabes exacto (id quod Lucas Act. IX. non commemorat) Paulus reversus est Damascum, ecclesiam Christi, quæ ibidem plantata erat, rigaturus, Gal. I, 17. Sed reverso a Judæis, præpostero legis zelo accensis, struuntur insidiæ, iisque Apostolus ad necem quæritur. Quibus detectis christiani Paulum occultatum sportæ imponunt & e mœnibus dimittunt. Nec hic belli sacri dux fugere detractavit, ut innumeris pugnis, immo victoriis a fatana reportandis, superesset. Act. IX, 24, 25. Et hæc ea est historia, quam Paulus ipse 2. Cor. XI, 32, 33. commemorat, facta simul mentione Aretæ, Arabum regis & ejus ethnarchæ Damasceni, cujus opem Judæi adversus Paulum, tanquam hominem turbulentum & capitali supplicio dignum, imploraverant. Cum vero Paulus inter christianos latitaret, portæ urbis militari præsidio obsessæ sunt, donec is latebris suis extraheretur: at irrito conatu, Deo hostium insidias & manifestam vim illudente, non quidem per miraculum, sed per providam christianorum operam. Conferatur hic liberatio exploratorum Jerichuntis Jos. c. II, 15. & Davidis, 1. Sam. XIX, 12. De Areta autem isto vitæ JOSEPH. Antiquit. L. XVIII, 7. &c. Ceterum ad dies istos multos, a Luca Act. IX, 23. memoratos, quod attinet, referendi illi sunt ad triennium illud, cujus partem maximam Paulus in Arabia transegit. Atque ita particula temporis *ἐπειτα, deinde*, Gal. I, 18. respectu triennii, ibidem memorati, non pendet a Pauli redi-

redi-

reditu ad Damascenos, quasi inde ab eo usque ad profectiōem Hierosolymitanam trium annorum spatium intercessisset, sed a Pauli conversione, seu ab ea profectiōe, qua Hierosolyma Damascum adierat. Plurimam autem triennii istius partem, non integros tres annos, ideo commorationi in Arabia tribuo, quia non constat, quam diu Paulus post conversionem Damasci primum moratus fuerit, nec quamdiu Damascum reversus ibidem hæserit. Interea tamen certum haud est, ane jam tum aliqua anni quarti pars fuerit exacta, cum Damascum relinquere cogeretur.

§. V.

Paulus Damasco dimissus *Hierosolymam venit, tentavitque se adungere discipulis.* Qui cum veterem illum Saulum, velut oves lupum, reformidarent, & ignorarent factam ejus metamorphosin, aut eam priscae sævitiae memoria indubium vocarent, *metuebant sibi, nec certo satis credebant, ipsum ex infensissimo hoste discipulum Christi factum esse, existimantes insidias latere sub discipuli nomine.* Act. IX, 26. Neque id mirum erat. Etsi enim senatui Hierosolymitano vel ex eo, quod Paulus Damasco, quorsum ablegatus fuerat, non redierat statō tempore, & alias quoque mutatus ejusdem status innotuerat, nec Christianis ille prorsus lateret; pristini tamen furoris recordatio apud hos fiduciæ erga ipsum concipiendæ obstitit. Vide omnino Gal. I, 22-24. Nec videntur eorum, quæ ab ipso in Arabia gesta erant, certam ac pleniorē habuisse notitiā. Quare *Barnabas*, rerum Pauli conscius, & summæ apud Hierosolymitanos fidei ac integritatis vir, *illum adducit ad Apostolos, reque Damascenæ conversionis omni exposita, ipsi fidem conciliat.* Apostoli vero sibi, nec non Paulo ac ecclesiæ, gratulantur, eumque universo gregi Hierosolymitano læti commendant. Quo factō Paulus, data fide in consortium istius admissus, cum eodem *intrabat & exibat*, seu libere & familiariter versabatur, *magnaque cum parrhesia in nomine Domini loquebatur*, seu Christi & evangelii præconem agebat. Act. IX, 27, 28. Huc pertinet locus Gal. I, 18, 19, 20. ubi in ejusdem profectiōis & commorationis Hierosolymitanæ narratione *tria momenta* declarantur: primum *scopi*, qui erat *Ἰσορῆσαι Πέτρον*, *invisere Petrum*, & reliquos, quotquot Hierosolymis deprehensurus erat, Apostolos. *Secundum numeri Apostolorum*, eo tempore Hierosolymæ degentium, binarii, in *Petro & Jacobo*, reliquis tunc inde digressis. *Tertium temporis*, commorationis termino quindecim dierum spatio definito.

§. VI.

Huc porro referenda sunt ea, quæ Apostolus Act. XXII, 17-21. de ecstasi in templo Hierosolymitano, uti & de Dei oraculo discessionem accelerandam imperante, commemorat. Sunt quidem, qui ea referunt ad

secundam, aut ad tertiam Hierosolymitanam commorationem, de quibus deinceps suo loco: mihi vero in hunc temporis articulum ea quam convenientissime cadere videntur. Etenim primum id haud obscure liquet ex ipso sermonis filo, ubi narrationi de conversione statim subjungitur mentio reversionis Hierosolymitanæ & ecstaseos. Deinde prædictio Dei de Judæorum contumacia adversus Paulum, omnem evangelii admissionem exclusura, congruit cum ipso eventu primæ commorationis, a Luca Act. IX, 29. memorato. Multo minus ecstasis pertinet ad commorationem tertiam, de qua Gal. II, 1. seqq. Nam in ecstasi legatio ad gentes prædicatur tanquam adhuc futura, Act. XXII, 21. At in commoratione tertia, Gal. II, 1. seqq. de præconio isto inter gentes sermo fit, ut de re jam præsentis, inchoata & notissima. v. 2, 7, 9. Responsionem Pauli, qua is Act. XXII, 19, 20. mandatum Dei de discessione excipiebat, ERASMUS in paraphrasi optime ita declarat: *Tum ego hunc in modum respondi: Domine, mihi bona quaedam spes est, futurum, ut proficiam apud hos propterea, quod ipsi sciunt, quod ante hac studio legis severim in discipulos tuos &c. Ex his cum intelligant omnes, quanto legis studio ferbuerim aliquando, facile perspicient, me non temere mutatum esse, multique reperientur, qui meum exemplum hoc libentius imitabuntur, quo majori zelo pristinae religionis severi in tuos. Hac ubi dixissem, respondit Dominus: Vade, inquam, mibique obtempera, quoniam jam tempus ad est, ut evangelium meum per universum orbem incipiat propagari. In hoc te delegi, ut mittam hinc ad gentes procul semotas. Ecstasin vero hanc Hierosolymitanam non confundendam esse, cum raptu in paradysum, deinceps videbimus.*

§. VII.

Illi vero, qui motus Hierosolymæ adversus Paulum excitabant, ἑλληνιστῶν Hellenistæ dicuntur. Qui cujus generis fuerint, in diversum abeunt eruditorum sententiæ. Secundum JOS. SCALIGERUM, GROTIUM, HEINSIUM, BOCHARTUM, LIGHTFOOTUM, DANNHAUERUM, aliosque plurimos, Hellenistæ fuerunt natione Judæi, sed qui inter gentes, præcipue Græcanicas, nati erant, aut inter eos tam diu vixerant, ut lingua ipsarum uterentur, etiam in ipsis synagogis, adminiculante versione LXX. interpretum, quæ Hebraismis abundat: unde iisdem auctoribus *lingua hellenistica a Græca ratione puritatis & proprietatis distinguitur.* At CLAUD. SALMASIO, MATTH. COTTERIO, RICHARDO SIMONIO aliisque Hellenistæ sunt natione gentes, speciatim Græcanicæ, sed religione Judæi, seu profelyti. Ego subscribo sententiæ priori. Nec enim probabile est, profelytos, qui non agebantur avito illo & innato pro lege zelo, qui Judæos, natione tales, sæpe in transversum abripiebat, adeo Paulo fuisse infestos, ut e præposteri
zeli

zeli fervore in necem ipsius conspiraverint. Hoc autem Judæorum fuisse proprium, notum est.

§. VIII.

Paulus suborienti improborum tempestate cedens, Deique oraculo, de maturanda discessione edito, morem gerens Hierosolyma illico excedit, & a fratribus deductus contendit *Cæsaream*, non maritimam illam, quæ etiam turris Stratonis dicebatur, sed *Cæsaream Philippi*, urbem Phœniciam, ad Libanum sitam. Et cum neque hic satis tutus esse videretur, inde porro emissus est Tarsum, in Ciliciam, patriam suam, & quidem itidem non sine comitatu, uti probabile est. Et hoc est illud iter, quod Paulus Gal. I, 21. his commemorat verbis: *Deinde veni in regiones Syria & Cilicia.* Etiam hic Christum prædicavit Gal. I, 22. 23. Interea divexationum tempestas, quæ cum Stephani morte exorta fuerat, defæviit, pace ecclesiis Judææ, Samariæ & Galilææ restituta. Et hac illæ usæ sunt in timore Dei, singulari cum incremento, insigniter rigatæ per eos, quos procella ista Hierosolymitana per regiones illas disjecerat. Vide Act. VIII, 1. 4. c. IX, 31. Insignem vero in iis fuisse christianorum numerum, historia evangelica in recensione itinerum, operumque ac concionum Christi, abunde testatur.

§. IX.

Alii vero longius progressi, non solum Phœnicen, sed Cyprum quoque & Antiochiam, evangelio bearunt c. XI, 19. Qui cum solis illud Judæis prædicarent, nonnulli eorum, ortu Cyprii & Cyrenenses, parrhesia aucti, id etiam gentilibus Antiochenis annuntiarunt, v. 20. Sic enim vocem *Hellenistarum* hoc loco accipiendam esse, indicat forma sermonis, quæ hic exceptionem facit ab adserto præcedentis commatis de verbo solis Judæis dicto. Quid? quod Syrus & Arabs cum codice MS. Anglicano hic habeant *Ἕλληνας*, Græcos. Hac ratione ecclesia Antiochena prima fuit, quæ e Judæis & gentilibus coaluit, numeroque fidelium insigniter crevit, alma Dei manu præconum vocem benignissime secundante, & doctrinam per miracula confirmante. v. 21. Id quod cum Hierosolymitani audirent, misso ad Antiochenos Barnaba, quid rei apud ipsos ageretur, explorabant, eosque per eundem, Spiritu & fide plenum, læta ista facie non parum exhilaratum, in christianismo confirmabant. Quo factò denuo haud exigua credentium multitudo christianorum coetui se adjunxit. v. 22. 23. 24.

§. X.

Barnabas vero non nescius, Paulo evangelium ideo præcipue concreditum esse, ut eo gentes illustraret, ad hasce Antiochenas messis evangelicæ inter gentes faciendæ primitias Paulum quæsitum Tarso adducebat.

Atque ita hi duo, egregia ecclesiæ christianæ propugnacula, Paulus & Barnabas, ecclesiæ Antiochenæ insigni cum fructu præfuerunt, integrum in ea annum commorati. v. 25. 26. Et in hunc ipsum temporis articulum illustres *christiani nominis natales* incidunt. Accidit enim non sine Dei nutu, ut Christi discipuli, indies numero & virtute invalescentes, a Domino suo CHRISTIANI appellarentur, nomine omnium convenientissimo, ideoque deinceps communi usu per universum terrarum orbem divulgato *ibid.* v. 26. Videtur hoc nomen primum usurpatum fuisse ab Antiochenis reliquis, more Græcorum, qui a Magistris denominabant sectatores & discipulos, a Platone Platonicos, ab Aristotele Aristotelicos. Ita jure multo meliori a Christo dicti sunt *Christiani*, nomine ipsis Christi discipulis gratisimo, ideoque in ordinarium usum etiam ab ipsis recepto. Sic Antiochia non solum Syriæ metropolis, sed etiam urbs tunc totius orientis frequentissima & celeberrima, gloriæ nominis Christi per terrarum orbem vulgandæ inservivit, ex Antichristi in Antiocho tyranno typici sede ipsius Christi sedes facta, in qua Christus sua evangelii tropæa erexit.

§. XI.

Paulo autem & Barnaba Antiochiæ commorantibus Hierosolyma eo venerant prophetæ aliquot, Christo addicti, & inter eos Agabus, qui prædixit famem universo fere orbi, in quantum is eo tempore Romano imperio subiectus erat, incubituram; additurque, eam secutam esse sub imperatore Claudio. EUSEBIUS quidem, nec non SCALIGER, SPANHEMIUS, alique, eam ad annum Claudii quartum referunt. Cum vero hic exoticæ historiæ suffragio, quod sufficere possit, destituantur, consultius est cum HERMANNO WITSIO & aliis famem istam intelligere de omni illa frumenti penuria, quæ imperante Claudio, nunc huic, nunc illi regioni maxime incubuit. Christiani Antiocheni, de instante calamitate & simul de sorte Hierosolymitanorum, aliorumque in Judæa degentium, afflictiore, moniti; communi consensu pro sua quisque facultate conferunt subsidia, quibus istorum inopiam sublevent, eaque, jam exoriente in Judæa fame, per Paulum & Barnabam ad seniores Hierosolymitanos deferri curant. Atque ita Paulus nunc secunda vice post sui conversionem Hierosolymam adiit. Non videtur autem hic nunc ullum vidisse Apostolum præsentem: Unde nec hujus adventus secundi meminit in epistola ad Galatas. Expleto hoc ministerio cum Barnaba reversus est Antiochiam, adsumto in comitatum Joanne, qui cognomine Marcus dicebatur. Act. XII, 25. Emendanda hic est LUTHERI versio multarum editionum in vocibus *ὑπέστρεψαν ἐξ Ἱερουσαλήμ πληρώσαντες τὴν διακονίαν*, quæ reddendæ sunt: sie lehren wieder von Jerusalem / als sie die Handreichung übers
antwort

antwortet hatten; quemadmodum habent curatiores editiones. De Joanne autem Marco vide etiam c. XII, 12. XV, 37. seqq. item Col. IV, 10. ubi consobrinus Barnabæ vocatur. Conf. Philem. v. 23. 2 Tim. IV, 11, Ceterum de rebus Philippi Diaconi & Petri Apostoli vide Act. VIII, IX, X, XI, XII.

SECTIO II.

De

REBUS PAULI A LEGATIONE AD GENTES ANTIOCHENA USQUE AD VINCULA HIEROSOLYMITANA ET CÆSAREANA.

CAPUT I.

DE

REBUS PAULI A LEGATIONE ANTIOCHENA USQUE AD CONCILIUM HIEROSOLYMITANUM. Act. XIII, XIV.

SYNOPSIS.

Paulus & Barnabas Antiochia ablegantur ad gentes. §. I.

Quo tempore Paulus in tertium cælum raptus est. §. II.

Que gratia extraordinaria adjunctam habuit extraordinariam adflictionem. §. III.

Antiochia navigant in Cyprum, adsumto ministro Joanne Marco. §. IV.

In Cypro Paphi convertunt proconsulem, Sergium Paulum, & Elymam scotomate percutiunt. §. IV.

In cujus historia narratione prima fit mentio Pauli, ultima Sauli. §. VI.

E Cypro veniunt in Pamphiliam, porro in

Pisidiam, ubi Antiochia in synagoga Christum predicant. §. VII.

Cujus sermonis loca nonnulla illustrantur. §. VIII.

Quem cum spernerent Judæi. §. IX.

Gentibus evangelium predicabatur. §. X.

Orto vero tumultu inde ejiciuntur viri Dei. §. XI.

Qui in Lycaoniam digressi Iconii evangelium predicant. §. XII.

Iconio expulsi migrant Lystram, ubi sanato claudo campum accipiunt amplissimum, deinceps vero inde ejeti veniunt Derben. §. XIII.

Postea universum fere iter remensi revertuntur Antiochiam. §. XIV.

§. I.

§. I.

PAulus, cum Barnaba Antiochiam reversus, ecclesiae Antiochenae praeerat una cum insignibus ejusdem doctoribus ordinariis, *Simone*, cui cognomentum Latinum *Niger* (quo a Simone Petro aliisque distinguebatur, quodque fortasse a nigricante facie traxit) *Lucio Cyrenaeo*, & *Manane*, qui inde a puero lateri Herodis tetrarchae adhaeserat, jam autem, ejus familiaritate ac gratia relicta, Christo nomen dederat, unus e praecipuis vernantis inter Antiochenos ecclesiae antistes factus. Act. XIII, 1. Hi cum in unum congregati solenniori precum exercitio ac jejunio vacarent, Deoque universae ecclesiae causam commendarent, ecce! Spiritus Sanctus, ecclesiae Dominus, edixit, & quidem, uti e praemissa prophetarum mentione colligitur, per prophetam aliquem: *Separate mihi tam Barnabam quam Saulum ad illud opus, ad quod vocavi illos. v. 2.* Sic Paulus, qui adhuc munere suo apostolico inter Judaeos functus erat, repetita & renovata vocatione ablegatur ad evangelii praconium inter gentes faciendum, & admirum intergerinum, quo Judaei ab istis huc usque distincti fuerant, profus diruendum; postquam hujus operis egregium factum fuerat initium, privatim in familia Cornelii Act. X. & publice in ipsa ecclesia Antiochena. Act. XI, 20. Vide supra Membri III. §. IX. X. Barnabas vero Paulo hic praepositur ita, ut articulo *ἰὸν* adjungatur particula enclitica *τε*, quam SEB. SCHMIDIUS cum sequentibus recte reddidit: *tam Barnabam, quam Saulum*, h. e. non solum Saulum, sed etiam Barnabam, quem ipsi parastatam dabo. Unde liquet, Barnabam etiam ipsum fuisse Apostolum, certe virum apostolicae auctoritatis ac fidei. Qui quanta Spiritus ac gratiae mensura jam ante hac eluxerit, indicatum vide Act. XI, 21. 22. 23. Ad mandatum vero Dei de ordinatione utriusque & de legatione obeunda quod attinet, dictum hic erat factum. Nam sine mora novo precum ac jejunii actu instituto, rem totam Deo commendant, adhibitoque *χειροθεσίας* ritu ablegandis optima quaeque adprecantur, eosque fide, spe ac caritate pleni in jubentis Dei nomine dimittunt. v. 3. Quod negotium jussionis & executionis quin in publico Antiochenae ecclesiae coetu factum sit, non est dubium. Intererat enim universae ecclesiae ejus loci, nosse, cujus & qua auctoritate publici doctores ab ipsa avocarentur.

§. II.

Ad hunc temporis articulum quam commodissime refertur illustris ille *raptus in caelum*, quem ipse Paulus 2 Cor. XII, 1. seqq. commemorat. Favet enim notata temporis ratio. Dicit Apostolus, eum sibi obtigisse quatuordecim annis ante scriptam priorem ad Corinthios epistolam. Jam vero
hæc

hæc non improbabiliter refertur ad annum a conversione XXII. a quibus annis si demas annos post conversionem octo priores, ante ordinationem Antiochenam transactos, remanent anni quatuordecim. Nec male convenit res ipsa. Cum enim Paulus ad gentes esset ablegandus, & inter eas innumeris divexationibus excrucians, antea confirmandus fuit gratia quadam extraordinaria. Utrum vero paulo ante Spiritus Sancti designationem, an vero hanc inter & ejusdem executionem, aut paulo post, ea Paulo contigerit, definiri nequit, nec, ut definiatur, interest.

§. III.

De ipso raptu multa, & magna ex parte justo curiosior, est doctorum disceptatio. Potiora ejus momenta hisce observationibus declarabo: 1. Paulus modestiæ causa de se ipso in tertia loquitur persona. 2. De modo raptus supervacua est disquisitio, cum ne ipse quidem Paulus eundem habuerit perspectum: ubi affectus admirationis, seu sancti stuporis, suggerente Spiritu Sancto, Apostolo eorundem verborum de ignoratione sua repetitionem expresit. 3. *Cælum tertium* hic nihil aliud est, quam cælum summum & perfectissimum, ut ipse CALVINUS fatetur, locutione fortasse desumpta a tertia i. e. intima & sanctissima, tabernaculi & templi Levitici parte; quæ observatio est beati SAL. GLASSII in Philol. sacra. 4. *Paradisus* hic non distinguitur a cælo illo tertio, sed quia paradisus ille terrestris vitæ beatæ typus fuit, cælum voce paradisi declaratur. Nec enim Christus cum pœnitenti latrone alium paradisum, quam cælum ipsum gloriæ, est ingressus. Conf. Apoc. II, 7. XXII, 1. seqq. Atque ita non duplex fuit Pauli raptus, unus in cælum, alter in paradisum, sed unus tantum. 4. Verba ἀρρητα sunt, quæ majorem habent vim, quam ut iis explicandis sermo humanus sufficiat, utpote de rebus, quæ futuro seculo reservatæ sunt. COCCEJUS, interpres insignis, existimat, hæc verba: *quæ homini loqui non licet*, referenda esse ad ipsum Deum, seu Θεάνθρωπον, qui cum Paulo est locutus; hoc sensu: fuisse verba tantæ majestatis, ut homine nudo, etsi beato, majora Deum auctorem arguerent. Sunt enim alia, quæ Angeli & Prophetæ Dei nomine dicere possunt; alia, quæ ita sunt Deo propria, ut non nisi ab ipso Deo dici possint.

§. IV.

Ne vero Paulus hac tam eximie revelationis gratia & gloria efferatur, mox Deus, e paterna permissione satanæ malitia in optimum finem usus. ipsi remedium adhibuit, quod vocatur σκόλοψ ἐν σαρκί, ἄγγελος σατάνης καλαφίζων: *stimulus (palus, fides, aculeus) in carne, angelus satanæ calaphis cadens*. Quibus verbis quid intellexerit Apostolus, incerta est interpretum conjectura. Optima mihi videtur sententia eorum, qui, hic gravissimum

G

mum

mum spiritualium tentationum genus indicari, existimant. Inter quos est b. HUNNIUS, in h. l. *Reprobata*, inquit, hac (Pontificiorum de libidine) expositione, ceteris etiam omisissis, eam, quæ de spiritualibus tentationibus est, amplectimur; sic tamen, ut in specie de certa quadam & præ ceteris insigni ac vehementi tentatione accipiendum existimemus. Nec obstat nobis, quod dicitur, stimulus in carne, siquidem ea ipsa spirituali adflictione, seu stimulo quodam, caro corrupta & ad superbiam prona non sine exquisito sensu molestiæ subigebatur, ne sese in immensum efferre posset. Estque in vocabulo $\sigma\kappa\acute{o}\lambda\omicron\psi$ similitudo a spiculo, palo aut sude infixæ corpori & acerbissimos dolores concitante, donec eximatur. Neque hanc tentationem naturale quippiam fuisse demonstrat, sed Satanae opus, qui præacuto illo palo, tanquam venenato spiculo, & ignito jaculo, sanctum pectus Apostoli vehementissime percellibat, & omnino in exitium conjicere moliebatur: ni Dei ope singulari sustentatus & subinde liberatus fuisset. Ceterum ad v. 6. hæc non incommode observat MUSCULUS: Erat Apostolus Christi, minister ac dispensator mysteriorum Dei. Id erat manifestum. Videbantur & audiebantur ex eo certa hujus experimenta. Supra id non vult tribui sibi quicquam. 1 Cor. IV. dicit: Sic nos æstimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Ne plaris fieret, sedulo cavebat. Notum est, quid acciderit ipsi & Barnabæ Act. XIV. cum claudum hominem inpedes crexisset &c.

§. V.

Prosequamur nunc ipsum iter Pauli & Barnabæ. Primum adeunt Seleuciam, Antiochiæ portum, & inde nave vehuntur in oppositam insulam Cyprum, Barnabæ patriam, Judæis refertissimam Act. IV, 36. Cum appulissent Salaminem, quæ civitas ab oriente venientibus prima occurrit, statim in synagogis Judæorum evangelium prædicant, peragrataque insula tota perveniunt Paphum, ad latus ejus occidentale sitam, ibique itidem de Judæorum salute ante omnia solliciti sunt. Etsi enim ad gentes erant ablegati, non tamen definebant ubique locorum primum Judæis, longe lateque dispersis, offerre evangelium. Comitem habebant Joannem, cognomento Marcum, cujus quinque in Actis fit mentio: primum c. XII, 12. ubi mater ejus Maria Petrum e carcere divinitus liberatum excepisse dicitur. Deinde c. XII, 25. ubi se comitem præbuit Paulo & Barnabæ, Hierosolyma Antiochiam revertentibus. Porro c. XIII, 15. ubi cum iisdem, ipsis in causa Dei ministraturus, solennem legationem obit. Item v. 13. ubi eosdem deferuisse & Hierosolymam rediisse dicitur, & quidem, ut probabile est, itinerum molestias pertæsus. Denique Act. XV, 37. seqq. in commemorationes paroxysmi, hujus Joannis Marci causa inter Paulum & Barnabam exorti. Conf. Col. IV, 10. 2 Tim. IV, 11. Philem. 24. Et de hoc ipso intelligendus videtur locus 1 Pet. V, 13. ex collat. cum Act. XII, 12. quanquam iste etiam

etiam de altero Marcō, evangelista, non incommode accipi possit. Hos vero distingvendos esse, cum multis aliis non sine probabilitate insigni censet CALOVIUS in Proleg. in Marcum.

§. VI.

Paphi inter alios ad Christum convertunt totius Cypri proconsulem Romanum, *Sergium Paulum*, virum jam antea singulari prudentiæ laude celebratum. Id quod adversus religionis christianæ empæctas notandum est. Hi enim criminari solent, illam esse confictam ab Apostolis, nec receptam primum nisi ab hominibus plebejis, imprudentia & credulitate laborantibus. Vir hic prudentissimus, ex iis, quæ de Pauli ac Barnabæ præconio audiverat, tantum conceperat evangelicæ doctrinæ desiderium, ut eos ultro ad se arcesseret, evangelium de Christo ex ore ipsorum auditurus. Eidem vero adhæserat Judæus quidam, nomine *Barjesus*, item *Elymas*, seu magus & pseudopropheta, qui, ut ipsum a fide Christo data, aut danda, averteret, omninitebatur ope, Apostolis repugnans. Quod facinus Deus ἐπαυλοφώρω ulciscitur, nec inde exiguam veritati suæ auctoritatem conciliat. Paulus enim, concepto Spiritus Sancti impetu, & defixis in scelestum oculis, gravissimis ipsum verbis increpat, eique cæcitatæ corporalis supplicium denuntiat. Et hoc sine mora ipsi inflictum est, & quidem cum eventu fidei, in attonito proconsule insigniter corroboratæ. Act. XIII, 6-12. Sermonem Pauli epanorthoticum, ejusque effectum, ERASMUS concinna hac paraphrasi declarat: *O plene omni dolo, omnique versutia, referens patrem tuum diabolum, qui prius fraudulentia sua mendaciisque pellexit hominem in exitium. O omnis justitiæ & sinceritatis hostis, & in hoc declarans te filium esse diaboli, siquidem ille primus ademit innocentiam homini, tu renascenti justitiæ bellum indicis. Nec tibi satis est hætenus illusisse fraudulentis artibus hominum simplicitati, quin nunc etiam, posteaquam Deus vult per universum orbem veritatem Evangelicam, quæ fucum nescit, elucescere, tu tamen in tua malitia pertinax non desinis reluctari voluntati divine, magis tuæ falsæ gloriæ ac turpi questui consulens, quam tuorum multorum, tuæque salutis. Ut autem intelligas, adversus Evangelicam veritatem nihil valere demonum artes, ecce jam nunc senties illius potentiam, cujus voluntati repugnas. Prophetam & videntem te jactas, cum sis cæcus animo. Hic verba dedisti hominibus, qui judicant ex his, quæ vident: Deus autem, qui novit cæcitatem cordis tui, mox eripiet tibi oculos corporis, ut omnes te videant vere cæcum & indignum, qui videas hunc solem corporeum omnium oculis conspicuum, qui adversus solem Evangelicæ veritatis, nunc mundo exorientis, bellum institueris. Hæc erit ultio divina, donec resipiscas. Vix ea dixerat Paulus, cum subito corripit Magum profunda cæcitas ac nox oculorum, adeo ut attonitus oberraret, querens aliquem, qui ipsum porrecta manu duceret.*

§. VII.

In hujus historię narratione occurrit prima nominis PAULI mentio. Ante hac enim Apostolus constanter appellatus est SAULUS. Postquam vero Lucas hoc loco scripserat: *Saulus vero, qui & Paulus*; priori nomine plane omisso & obliterato semper exprimit posterius: immo nec Paulus ipse in epistolis unquam Sauli nomen usurpavit. Non assentior HIERONYMO, qui existimat, Saulum more Romanorum Paulum denominatum esse, a victo per evangelium Paulo proconsule; quemadmodum Scipio a subacta Africa Africani, & Metellus a subjugata Creta Cretici nomen familię suę reportaverint. Id enim alienum est a more Hebręorum & a modestia Apostoli; utpote qui non sibi, sed soli Domino, victorię evangelicę tropęa erexit. Nec in eorum descendo sententiam, qui arbitrantur, proconsulem grati animi causa hoc cognomen suum cum Apostolo communicasse, quemadmodum soliti sint Romani clientes, hospites & alios bene de se meritos, participes sui nominis facere. Etsi enim hoc non plane est improbable; videtur tamen alienius esse ab indole conversi proconsulis, hanc gratiam largiri, & Apostoli, eam recipere. Simplicius mihi videtur Paulus fuisse binominis, & nomen Latinum sub Latinorum imperio unius litterę mutatione accepisse vel a statura minori, vel a civitate Romana; Sauli vero Hebręum nomen primum fuisse usitatus, ideoque a Luca huc usque usurpatum; sed inde ab eo tempore, quo multum versatus fuit cum Gręcis & Latinis, nomen illud Gręcorum & Latinorum auribus infvetum, in desuetudinem abiisse, ipsumque Apostolum non sine singulari Dei nutu uti maluisse ejusmodi nomine Latino, cujus tam egregium habuerat omen in ipso proconsule, tanquam primitiis muneris sui, inter gentes Latinas & Latinorum imperio subiectas obeundi; & quod, cum *pusillum*, seu *exiguum* notaret, animo ipsius demisso, quo se e status pristini recordatione pro Apostolorum omnium minimo habebat: Cor. XV, 9. erat quam convenientissimum. Sergium vero Paulum deinceps ab Apostolis ecclesię Narbonensi episcopum præfectum esse, a Romanę ecclesię scriptoribus sine ullo antiquitatis fundamento dicitur.

§. VIII.

Revertimur ad cursum itinerum Pauli & Barnabę. E Cypro trajecto mari veniunt in Asiam minorem, & primum quidem in *Pamphiliam*, quę Tauro monte & fluvio Mela a Cilicia dividitur. Stationem vero suam habent *Pergę*, Dianę templo clarę. Hic molestiarum & laborum tædie ab iis discedit *Joannes Marcus*, Hierosolymam, unde iisdem comitem & ministrum se adjunxerat, repetens. c. XIII, v. 13. Lucam autem scriptorem hic in ipsorum comitatu fuisse, haud obscure colligitur e verbis hujus commatis

tis

tis prioribus: id quod deinceps passim indicatum videas apertius, ubi scriptor in prima persona numeri pluralis loquitur, Perga digressi migrant in Pisidiam, ubi Antiochia, in statione Asiae secunda, die sabbati synagogam ingressi confident cum ceteris, & praedicationi alicujus pericopae ex lege & prophetis interfunt. Qua facta, omnium oculis in advenas, viros vel ipso etiam cultu corporis gestuque venerabiles, tanquam legis doctores, conjectis, nemo ad dicendum assurgit, sed, arcano Dei nutu moti, omnes audire advenas cupiunt. Quare Paulus, cum comitibus suis a synagogae praefectis insuper ad dicendum per nuntium invitatus, assurgit, ac silentio ab universo coetu, qui advenarum causa aliquantulum circumstrepebat, mota manu expetito, egregium habet sermonem. In hoc, a rebus Israelitarum primis exorsus, circa Davidem subsistit, docens, ex ejus profupia exhibitum esse Messiam, cujus, uti & anteambulonis Joannis, ministerium describit, universam concionem gravi adhortatione, ad dignam oblati evangelii receptionem, concludens, Act. XIII, 16. 41.

§. IX.

In sermone isto sequentia praecipue declaranda sunt: 1. Anni 450. non referendi sunt ad sequentia, seu ad tempus judicium, sed ad antecedentia, quae inde a v. 17. narrantur, ita ut sensus sit, inde ab electione Patrum in Isaaco, seu a nato Isaaco, usque ad tempus datorum judicium, elapsos esse annos 450. circiter. Vide CALOVIVM, BEZAM & CORNEL. A LAPIDE in hunc locum. 2. Verba v. 32. ἀναστάσεως Ἰησοῦ, non agunt de resurrectione e mortuis, de qua agitur v. 30. & 37. sed de Messia excitato, seu de missione Filii. Vide de eadem hoc verbum usurpatum supra c. II, 30. III, 26. VII, 37. coll. Deut. XVIII, 15. Conf. Act. V, 36. 37. Hebr. V, 11. Utriusque ἀναστάσεως mentionem conjunctam videas Act. II, 30. 31. Et hunc de misso Messia sensum exigit praecedens commemoratio promissionis patribus factae: quam de missione illa datam esse, quis dubitaret? Atque ita v. 33. non probatur Christi resurrectio, sed ejus divinitas, seu indicatur, Jesum, qui patribus promissus, jam vero missus sit, non esse nudum hominem, sed Dei filium. Ceterum non est dubium, quin Paulus ea, quae in concione hac desunt, aut brevius atque obscurius dicta sunt, pluribus exposuerit.

§. X.

Eventus concionis erat insignis, partim in Judaeis ac profelytis, partim in ipsis gentilibus; sed in Judaeis diversus. Illorum enim multi, invidia affectu erga gentiles, maximo cum applausu ad Paulum confluentes, accensi, Pauli verbis contradicebant, ipsumque ac sermonem ejus acerbè criminabantur. Act. XIII, 42. seqq. Quare Paulus magna cum parrhesia illo

illos increpat deseritque: *Vobis*, inquit, v. 46. 47. *oportebat primum dici verbum Dei: sed quoniam repellitis illud & indignos vos ipsos judicatis vita aeterna, ecce convertimur ad gentes.* Sic enim nobis praecepit Dominus: scilicet Matth. XXVIII, 19. Act. I, 8. Nec est dubium, simul respici ad Act. IX, 15. XIII, 2. XXII, 21. ubi Apostolo speciatim evangelii praeconium inter gentes concreditum fuisse perhibetur. Non tamen ea, quae hic a Paulo de Judæis Antiochenis dicta sunt, etiam de aliorum locorum Judæis intelligenda esse, e sequentium temporum ac locorum historia patet. Non enim destitit Apostolus ubivis locorum, ubi Judæi erant, hos praecipue evangelio ad Christum invitare. Reliqua vero loci praesentis verba, ex Ies. XLII, 6. & XLIX, 6. adducta, *posuite in lucem gentium* &c. cum antecedentibus cohaerent per ellipsin: *sicut scriptum est, vel similem.* Sin minus, indicatur, ea jam vi praedictionis habere vim mandati. Sic ellipsi non opus est. Phrasis, *indignum se ipsum judicare vita aeterna*, est emphatica. Ea enim indicatur, judæos esse ἀυλοκατακρίτας & ἀναπολογήτας, seu ipsos contumacia sua tam evidenter declarasse, se vita aeterna esse indignos, ac si judex aliquis sententiam de ipsis pronuntiasset. Et cum omnis nostra dignitas sit in Christo, manifestum est, indignissimos esse, qui non solum extra Christum sunt manentque, sed ipsum etiam contemnunt ac repudiant.

§. XI.

Gentes vero cum, interprete Paulo, audirent, sibi quoque destinata a Deo esse salutem, gratulabantur sibi, reverenter habentes evangelium, eique crediderunt, ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. Ad quae verba bene notat GROTIUS, hic non agi de praedestinatione, ita scribens: *Non est hic προωρισμένοι, quod esset praedestinati, sed nec προελεγμένοι: verum τεταγμένοι.* Et manifeste hi τεταγμένοι ad vitam aeternam opponuntur iis, qui se ea vita indignos judicaverant, id est ostenderant. - - Nihil vident, qui ad praedestinationem, & quidem absolutam, ut loquuntur, haec verba referunt &c. Τάξις notat ordinem: ordo autem, quem salutis negotium habet, positus est in constitutione mediorum; quae qui non respuunt, sed per Dei gratiam recte amplectuntur, ita ut ordinem istum subeant, seu ingrediantur, illi sunt τεταγμένοι, ordinati, Germ. geordnet / non vero verordnet / uti habet ipsa LUTHERI versio; oppositi τοῖς ἀτάκτοις, vel potius τοῖς ἀνωποτάκτοις 1 Tim. I, 9. Tit. I, 10. qui ordini divinitus constituto repugnant, & eidem subjici nolunt Rom. X, 3. conf. Jac. IV, 7. 1 Pet. V, 5. 10. Vide eosdem pluribus descriptos Matth. XXIII, 37. Luc. VII, 30. Act. VII, 51. 2 Thess. III, 6. Tales Antiochiaerant, qui praedicatione evangelio ad diras usque obnitebantur. NORTONUS KNATHBUL Britannus, in observationibus verbum ἐπίσευσαν construit cum vocibus ζωὴν αἰώνιον, & participium τεταγμένοι reddit,

reddit, quotquot ~~conuenerant~~. Sed non opus est hac expositione, utpote non satis nativa.

§. XII.

Evangelium vero non solum ab Antiochenis receptum est, sed ab aliis etiam per universam Pisidiæ regionem. Quod cum indignissime ferrent Judæi, omnem furorem in sanctos Dei præcones effundebant, concitatis adversus eos mulieribus religiosis, seu profelytis, nec non aliis honorioribus, & per istas maritis, civibus Antiochiæ primariis. Et orto hac ratione tumultu Dei nuntii ex Antiochiæ, immo & Pisidiæ, finibus expelluntur. Qui excusso pedum pulvere discedunt, secundum monitum Christi Matth. X, 14. Luc. IX, 5. testati, nullum sibi amplius commercium esse cum gratiæ contemtoribus. Digressi vero profecti sunt in vicinam *Lycaoniam*. Discipuli autem Christi, seu neophyti in Pisidia, adeo non offendebantur afflictione Apostolorum, ut potius Spiritu Sancto, Spiritu lætitiæ ac consolationis, perfusi, sibi de christianismi statu impense gratularentur. Act. XIII, 49. seqq.

§. XIII.

In *Lycaoniam* progressi stationem habuerunt *Iconii*, quæ tertia erat inde a Pergensi illa Pisidiæ. Hic habita in synagoga concione itidem insignis multitudo Judæorum & Græcorum evangelio credidit Act. XIV, 1. Græcorum nomine hic videntur *hellenistæ*, seu profelyti, intelligi; utpote qui hic cum Judæis congregati fuisse dicuntur; quemadmodum supra c. XI. vox *hellenistæ* de Græcis, seu gentilibus, accipitur. Judæorum vero pluri mi etiam hic antiquum obtinent. Etenim, virulentiam Antiochenorum imitati, concitant animos gentium adversus discipulos Christi neophytos. v. 2. Sed evangelii causa etiam per adversa invalescebat. Paulus enim & Barnabas injuriis nequaquam fracti *Iconii* diu commorabantur & Christum prædicabant multa cum parrhesia, Domino doctrinam evangelicam per signa & miracula confirmante v. 3; quemadmodum promissum fuerat Marc. XVI. Tandem vero cum civitas in duas partes esset scissa, ac tumultus lapidationem parturiret, Apostoli furori cedentes fuga sibi consuluerunt, delatique sunt in alias civitates *Lycaoniæ*, *Lystram* & *Derben*, quas una cum finitima regione evangelio illustrarunt: v. 5, 6, 7. Potuisset quidem Deus turbulentos istos *Iconiensium* fluctus per miracula componere, quemadmodum iis veritatem evangelii comprobaverat: sed mysterio crucis hoc haud erat consentaneum, teste ipsius Christi exemplo; utpote qui miraculis non usus est ad fugam crucis, sed ad confirmationem veritatis.

§. XIV.

§. XIV.

Lystra, quæ *statio* Pauli erat *quarta*, amplissimus evangelio campus aperiebatur per miraculum fanati claudi, qui inde ab utero pedibus captus fuerat, v. 8, 9, 10. Quo viso plebs in stuporem acta dialecto Græcæ Linguæ Lycaonica, seu Cappadocum, dixit: *Dii hominibus similes facti ad nos descenderunt*: & Barnabam ætate grandiozem *Jovem*, Paulum vero, quem cum parrhesia sermocinantem audiverant, *Mercurium*, tanquam Jovis interpretem, appellarunt. Et parum certe aberat, quin sacerdos Jovis tauros vitatos ante fores ædium, ubi Paulus & Barnabas diversabantur, adductos more gentilium ipsis immolaret. v. 11, 12, 13. Quod cum viri Dei viderent, tantam impietatem a se ac populo amoliturum, more Judæorum, scissis præ indignatione vestibis exterioribus, sine mora ex ædibus profiliebant ad turbam, multaque utebantur protestatione, addita institutione de idololatriæ absurditate, & vero veri Numinis cultu, per evangelium patefacto: v. 14-18. Qua oratione cum populus non sine difficultate ab uno extremo esset abductus, ecce mox, aut post aliquem temporis tractum, præcepserunt in alterum, ita ut a Judæis advenis, quos evangelium jam tum Antiochiæ in Pisidia, nec non Iconii, hostes expertum fuerat, in furorem datus, Paulum lapidibus tumultuarie obrueret, & tanquam exanimatum ex urbe extraheret. v. 19. Sed ecce! Dei manum in Paulo *θαυματουργικῆν*. Nam, a discipulis *συμπαραδείας* causa circumdatus, præter omnium opinionem integris surgit viribus, ipsamque civitatem illam, e qua ejectus erat, rursus clam ingreditur: aut fortasse palam, sed cum stupore hostium. Postero autem die inde discessit *Derben*, ubi stationem habuit quintam, eamque urbem itidem salutari cognitione evangelii imbuit, multis Christo discipulis lucrifacit. v. 20, 21.

§. XV.

Postea viri Dei, universum iter, unde venerant, per Lycaoniam, Pisidiam & Pamphiliam, remensi, ecclesias plantatas invisebant rigabantque, ita ut eas in fide ac in via crucis, ad cœlestem patriam ordinata, confirmarent, ac discessuri in singulis presbyterium aliquod, seu senatum ecclesiasticum, per communia suffragia constituerent, ipsosque cœtus integros solennibus precibus, adjuncto jejunio habitis ac continuatis, tenerrimo amoris affectu Deo commendarent. v. 22-25. Et de hac per istas regiones migratione & remigratione agitur 2. Tim. III, 10, 11, 12. ubi Timotheus dicitur in istis locis accepisse notitiam Pauli ac divexationum ipsius, ita ut ejusdem exemplari in doctrina ac vita, speciatim in tolerantia adversorum, se conformaverit. Ceterum relicta Perga Pamphiliæ, orientem versus profecti, veniunt *Attaliam* ejusdem Pamphiliæ. Hic vero conscensa nave rever-

tun.

tuntur *Antiochiam* Syriae, unde ante duos circiter annos per ipsum Spiritum Sanctum ablegati fuerant ad ministerium evangelii. Eo delati convocato cœtui cum gaudio exponunt opera Domini, per ministerium suum præstita, præcipue lætati de insigni illo fidei ostio, quod Deus evangelio inter gentes patefecerat. Act. XIV, 2-27. conf. 1. Cor. XVI, 9. 2. Cor. II, 12. Col. IV, 3. Antiochiæ vero tempore haud exiguo morati sunt, rati, e re ecclesiæ universæ fore, ut ecclesia urbis per orientem primariæ præ aliis sollicitè curaretur. Act. XIV, 28. Tertia vero vice nunc Paulus Antiochiæ degit. vide Act. XI, 26. XII, 25. (ubi LUTHERI versio emendanda) XIII, 1.

CAPUT II.

DE

SYNODO HIEROSOLYMITANA ET DE PAULI GESTIS IN EA.

Act. XV.

SYNOPSIS.

<i>Synodus hac incidit in annum a conversione Pauli decimum quartum §. I.</i>	<i>Idem mittitur Antiochenis, litteris consignatum. §. XI.</i>
<i>Occasionem ei dederunt turbæ ecclesiæ Antiochenæ: ubi Lutheri versio emendatur §. II, III.</i>	<i>Cujus formula quedam hic explicatur. §. XII.</i>
<i>Paulus & Barnabas ab Antiochenis Hierosolyman mittuntur §. IV.</i>	<i>Missum per Paulum ac Barnabam, nec non per Silam & Judam, Antiochenis redditur cum eventu lætitiæ ac pacis. §. XIII.</i>
<i>Ubi mox similem experiuntur contradictionem §. V.</i>	<i>Quo factò ecclesia Antiochena per Paulum & Barnabam, nec non per Judam & Silam, insigniter edificata est. §. XIV.</i>
<i>Unde in conventu apostolorum ac presbyterorum instituitur consultatio, ubi primum Petrus dicit sententiam §. VI.</i>	<i>Huc, ad illustrationem historiae Lucae, refertur locus ex Gal. II, 1-10. §. XV.</i>
<i>Quæ hic aliquot observationibus illustratur. §. VII.</i>	<i>Nec non is de dissimulatione Petri e Gal. II, 11. seqq. §. XVI. XVII.</i>
<i>Eam, præter Paulum ac Barnabam confirmat Jacobus, decretum reliquis consentientibus faciens. §. VIII.</i>	<i>Tandem Paulus ecclesias Asiæ visitaturus Joannis Marci causa a Barnaba dissentit ac discedit §. XVIII.</i>
<i>Id quod hic etiam aliquot observationibus declaratur. §. IX, X.</i>	<i>Id quod tamen Deus in optimum finem direxit. §. XIX.</i>

H

§. I,

§. I.

A Era hujus synodi non immerito determinatur ex Gal. II, 1. ubi Paulus dicitur anno decimo quarto Hierosolymam adiisse una cum Barnaba. Et vero est simillimum, si non apodicticum, ibidem non aliam memorari profectioem Hierosolymitanam, quam eam ipsam, quæ in causa evangelii Antiochena facta est, & Act. XV. narratur: sed terminus, a quo anni isti quatuordecim inchoandi sint, incertus esse videtur, aliis eum ab itinere illo, cujus mentio c. I, 18. fit, aliis a conversione Pauli figentibus. Cum vero vix superesse possit dubium, tres istos annos c. I, 18. numerari a conversione Pauli, nec Paulus notabiliorem haberet vitæ suæ epocham, seu articulum, quam illum ipsum conversionis, ubi cœpit Christi causam agere; inde haud obscure constat, etiam hic, ubi Apostolus aliquam rerum pro Christo gestarum seriem nectit, in annorum quatuordecim notatione, ejusdem termini rationem fuisse habitam. Atque ita concilium hoc incidit in annum a Pauli conversione decimum quartum, qui, secundum PEARSONIUM in Annalibus Paulinis Claudii erat nonus, & Christi nati quadragesimus nonus. Conf. SPANHEMIUM in Disquisit. chronologica de tempore convers. Pauli; nec non LIGHT-FOOTUM.

§. II.

Occasionem Synodo Hierosolymitanæ præbuerunt turbæ ecclesiæ Antiochenæ, in eadem ab inconsultis legis Mosaicæ zelotis, qui Hierosolyma eo venerant, excitatis. Isti enim urgebant necessitatem circumcisionis, negantes, quenquam salvari posse, nisi fuerit circumcisus. Immo ulterius progressi id agebant, ut etiam legis cerimonialis jugo subderent utriusque generis fideles, qui e Judæis & gentilibus Christo nomen dederant: quemadmodum liquet ex collatione v. 1. cum v. 5, 10, 24. Et, ut fidem sibi conciliarent isti turbatores, videntur ipsorum Apostolorum, qui Hierosolymæ agebant, auctoritate & exemplo fuisse abusi, partim per mendacium, partim per sinistram interpretationem, qua illa, quæ Apostoli ad cultum Leviticum pertinentia primis annis per *συνκαταβασιν* in gratiam infirmorum fecerant, de absoluta necessitate interpretati sunt. Negant enim Apostoli in litteris suis, se quidquam illis mandasse. v. 24. Et errorem illorum hominum non a dolo plane fuisse immunem, ex eo etiam adparet, quod Paulus ipsos Gal. II, 4. *falsos* vocat *fratres*, qui christianæ libertati subrependo fuerint insidiati.

§. III.

§. III.

Motus Antiochiæ excitatos Lucas voce *στάσεως* exprimit, eamque LUTHERUS reddidit *Aufrubr*; at minus commode & minus caute. Certe enim in haud exiguum ipsi religioni christianæ præjudicium cedit apud extraneos & empæctas, si ecclesiarum, quæ e Judæis & gentibus collectæ fuerunt, primæ & per orientem florentissimæ, seditionem tribuamus, sacrorum causa motam. Et hanc ab indole vernantis istius ecclesiæ fuisse alienam, eo æquius est, ut credamus, quo minus vox *στάσις* duriores hanc notionem per se habet, & hic requirit. Nam *στάσις* proprie notat stationem. Et quia in disceptationibus acrioribus duæ sunt partes, quarum neutra alteri cedit, sed utraque suam quasi stationem servat, a qua ad alteram nemo facile descendit, aut transit; ideo *στάσις* etiam notat *factionem contententium*. Quæ etsi in motibus civilibus non raro abire solet in ipsam *seditionem*, unde Græcis etiam *seditio* *στάσις* dicitur; hanc tamen Antiochenam factionem ab ea fuisse sejunctam, ut statuamus, substrata materia & contententium indoles postulant. Et hoc ipsum indicat vox *συζητήσεως* voci *στάσεως* *ἐξηγητικῶς* addita. Act. XV, 2. Nec alium sensum admittit locus parallelus Gal. II, 5. ubi Apostolus negat, se aliosque doctores, & confirmatoris animi christianos, turbatoribus istis vel ad momentum, aut tantillum, cessisse. Cum verò etiam in sua perstarent sententia una cum iis, quos sibi obnoxios fecerant, inde utrinque existit *στάσις* proprie dicta, sed sine seditionis notione.

§. IV.

Nec vox *συζήτησις* a LUTHERO recte redditur *zancf*. Hoc enim vocabulum Germanorum auribus multo est durius, quam Græcis suum *συζήτησις*, quod Latinis est disputatio, disceptatio. Ipse LUTHERUS infra c. XXVIII, 29. voces *πολλὴν συζήτησιν* reddidit *viel fragens*. Et leniori hac notione verbum *συζητεῖν* acceptum vide Marc. I, 27. VIII, 11. IX, 10, 14, 16. XII 28. XXII, 23. XXIV, 15. Act. IX, 6. IX, 29: ubi illud a viro beato nunquam redditur per *zancfen* / sed per *befragen*. Et quamvis ipsi turbatores cum nonnullis eorum, quos ad partes suas pertraxerant, non abfuerint ab altercationis vitio; ab eo tamen Paulum & Barnabam aliosque omnes, qui pro veritate evangelica stabant immoti, omnino abfuisse, quis negaret? Et multo minus significatus iste durior locum habet v. 7. ubi ipsi Apostolorum presbyterorumque collegio tribuitur *συζήτησις πολλή*, quæ voces de eodem Germanice incommodissime redduntur: *Da man sich aber lange gezancfet hatte.*

§. V.

Disceptatione illa de circumcissione aliisque Mosaicæ legis partibus

suborta & adeo invalescente, ut *σάσι* aliquam, qua neutra pars alteri cedere vel volebat vel poterat, efficeret; pacis remedium in Apostolorum, quotquot una cum presbyteris, ecclesiae Hierosolymitanæ adhuc præsentibus præerant, consultatione & decreto quærebatur. Etsi enim Paulus apostolica gaudebat auctoritate, nolebat tamen per eam imperare ecclesiae; nec Deo visum fuit editis novis miraculis contradicentes compefcere: sed consultissimum videbatur, offensionem infirmorum per suffragia ecclesiae Hierosolymitanæ, ad cuius consensum turbatores falso provocaverant, mederi. Itaque Paulus & Barnabas cum aliis nonnullis Hierosolymam ad ecclesiae senatum ablegantur, ab Antiochenis aliquo usque officiose ac honorifice deducti. Act. XV, 1, 2. qui, ubi iter faciunt per Phœnicen & Samariam, & commemorant, quod & quomodo insignis gentium conversio ad Christum facta sit, magna discipulos, quotquot in istis locis Christus habebat, lætitia perfundunt. v. 3.

§. VI.

Idem non sine effectu celebrati divini nominis narrant Hierosolymæ, ibidem ut a cœtu fidelium, sic etiam ab Apostolis & senioribus quam humanissime accepti v. 4. Sed hic mox eandem experiuntur contradictionem ab ejusdem generis hominibus, quales Antiochenam ecclesiam turbaverant, h. e. a Phariseis, qui religionem quidem christianam ore confitebantur, at salutem adscribebant justitiæ secundum legem, & hac ratione legis servationem statuebant esse necessariam, officio Christi sacerdotali si non negato, tamen obscurato. Atque ita errabant non solum in ceremonialis, sed in moralis etiam legis usu & applicatione. Et Antiochenos istos, seu Hierosolymitanos, advenas ejusdem fuisse farinae, res ipsa indicat.

§. VII.

Hac ratione consultatione opus erat, & remedio præsentis. Quod ut adhiberent, Apostoli cum presbyteris actò conventu collatisque sententiis deliberabant, Spiritu Sancto ipsos in omnem veritatem ducente. Et cum in ipso cœtu congregato non deessent viri, qui, inconsulto legis studio zeloque ducti, Antiochenæ factioni faverent; Petrus assurgens auctoritate Apostolica suam interponit sententiam: cujus summa est, jam tum ex ipsa experientia constare, quod gentibus aditus pateat ad salutem per fidem in Christum e solo evangelio, excluso ceremonialium Leviticarum apparatu & negata necessitate eam ex impletione legis moralis petendi: atque ita legis jugum discipulis non esse imponendum v. 7-11.

§. VIII.

Ad quam Petri orationem, cujus summam tantum ipse etiam Lucas retulisse videtur, illustrandam sequentes exhibeo observationes:

1. Verba

1. Verba ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων indicant istum temporum tractum, qui inter concionem Petri Cornelianam & synodum Hierosolymitanam intercesfit, & qui a plerisque chronologis novem annorum spatio definitur.
2. Quandoquidem Petrus, peculiari Dei mandato instructus, primus gentibus ostium fidei in patefacto regno Messiae aperuit, Act. X. videmus, verba illa Christi: *Dabo tibi claves regni caelorum*, Matth. XVI, 19. sensu etiam hoc speciali per ipsum eventum completa fuisse.
3. *Mundatio cordis* gentilibus *per fidem* collata est beneficium justificationis mere evangelicum, sed in ordine veræ conversionis datum.
4. *Onus legis ἀβάσαντον* intelligendum quidem est de cultu Levitico, at cum adjuncto legis moralis rigore, & quidem collato cum naturali hominis impotentia in spiritualibus. Alias enim lex ceremonialis sola, etsi difficilis, servatu tamen impossibilis non erat.
5. *Zelotas illos legis*, præter circumcisionem & varias Levitici cultus sanctiones, etiam legis moralis servationem, tanquam homini sibi relicto possibilem & ad salutem necessariam, urfisse, obscurata gratia evangelica, ex eo liquet, quod Petrus isti legis studio gratiam & negotium fidei opponit. conf. Rom. III, 28. IX, 4. VI, 6. Idem constat ex indole Pharisaismi, quem zelotæ isti nondum exuerant v. 5. Confer omnino Gal. V, 3. 4. ubi Paulus circumcisionis necessitatem, qualem pseudo-didascali illi urgebant, cum necessitate implendæ totius legis conjungit, habito potiori ad moralem respectu.
6. *DEum tentare* h. l. est voluntati & œconomix ejus evangelicæ obstrepere, & ex lege, quæ ad peccati agnitionem lata fuit, justificationem quærere, consilio Dei temerato.

§. IX.

Petri sententiam, non sine tacita approbatione attente auditam, Paulus & Barnabas confirmant, dum longa serie enarrant, quomodo gentes evangelio crediderint & quot ac quantis Deus signis miraculisque doctrinam evangelicam in ipsis comprobaverit. v. 12. Hos denique excipit Jacobus, ea, quæ de gentium vocatione & libertate a jugo legis Mosaicæ in medium prolata fuerant, denuo confirmans, producto insigni oraculo ex Amoso v. 13-19. Pro suo tamen in Judæos infirmiores affectu Deique nutu censet, aliquantum iis sine veritatis dispendio indulgeri posse; scribendum itaque ac decernendum esse, illos, quotquot e gentilibus ad Christum conversi sint, non onerandos quidem esse jugo legis, abstinere tamen debere non solum ab *idolothytis* & a *scortatione*, sed etiam a *suffocatis*, (quæ vita privata sunt sine emissionem sanguinis) & a *sanguine*, Deut. XII, 16. 23. XV. ult.

Cujus decreti caput secundum, ex parte etiam primum, est legis moralis & perpetuæ obligationis. Confer omnino Apoc. II, 14. 15. e quo loco cum præsentis collato conspicitur, errorem Nicolaitarum in turbatoribus Antiochenæ ecclesiæ jam tum gliscere cœpisse & in iisdem ortum habuisse suum. Duo posteriora vero, uti & primum, certo respectu sunt legis ceremonialis, in quibus ad tempus aliquod ex caritate Judæis concessis cedi debebat, donec etiam illi plerophoria fidei evangelica invalescerent.

§. X.

Primum e quatuor istis momentum de idolothytis in tantum etiam erat legis moralis, in quantum idolothytorum esus apud incautos aliquod ipsius idololatriæ consortium inibat, & hac ratione Judæos jure offendebat. Alias vero circa idolothyta libertati christianæ fuisse locum, sed non sine moderatione & caritate usurpandæ, constat e Rom. XIV. & 1 Cor. VIII. X, 27. Scortationis vero, & quidem simplicis speciatim, ideo fit mentio, quia illa nulla imperantium lege erat prohibita, longoque usu & philosophicorum principiorum indulgentia adeo inter gentes invaluerat, ut pro peccato non reputaretur, atque ita gentiles inde difficilius avocarentur. De duobus posterioribus momentis bene censet AUGUSTINUS L. XXXII. contra Faustum c. 13. *Transacto, inquit, illo tempore, illi duo parietes, unus ex circumcissione, alter ex preputio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus distinctius eminebant. Et ubi ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat, quis jam hoc christianus observat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? aut leporem non edat, si manu a cervice percussus nullo cruento vulnere occisus est? & qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, à ceteris iridentur. Videantur de hac materia eruditæ Dissertationes CURCELLÆI, SPENCERI, & HEIDEGGERI, nec non DORSCHÆI, qui suam GROTIOPPOSITAM: *Discussio explicat. Hug. Grot. ad Act. XV, 20. de sanguine & suffocato.**

§. XI.

Ceterum membrum sententiæ Jacobi ultimum vel occupationem habet objectionis, Mosem per concessam gentilibus immunitatem contemnitur; id quod negatur, ducta ratione a perpetua legis prælectione sabbatica: vel, quod malim, adfert ætiologiam, quare gentiles in abstinentia a suffocato & sanguine Judæorum imbecillitati cedere debeant, quia scilicet isti prælectioni legis Mosaicæ sint adsveti, & ex ea non recte applicata errantem, seu justo teneriorem, habeant conscientiam circa momenta ista, ac si perpetuæ, seu moralis, obligationis essent,

§. XII.

§. XII.

Comprobata ab omnibus, & ab ipso etiam grege Domini simul congregato, sententia Jacobi, fit *decretum missionis & scriptiois*, seu ut sanctio ista non solum per Paulum & Barnabam, sed etiam per duos ecclesiae Hierosolymitanæ presbyteros, *Judam* cognomine *Barfabam* & *Silam*, ad ecclesiam Antiochenam referatur. Instruuntur iidem litteris synodicis, summam continentibus eorum, quæ coram pluribus erant exponenda. v. 23 - 29. Non Antiochenam vero solum, sed reliquas etiam Syriæ, immo & Ciliciæ, ecclesias *κακοζηλία* Judaica fuisse turbatas, liquet ex eo, quod litteræ illis ecclesiis in universum inscriptæ sunt, nec non ex illa decreti istius communicatione ac commendatione, quam Paulus & Barnabas in itinere Asiatico fecisse dicuntur Act. XVI, 4. Et illorum quidem tantum, qui e gentibus erant ad Christum conversi, in inscriptione ista fit mentio, quia ad illos decretum immunitatis proprie pertinebat, iique sibi illud maxime expetiverant.

§. XIII.

Formula: *visum est Spiritui Sancto & nobis* (nobis Spiritu Sancto actis) eam habet hendyaden, qua causa principalis a ministeriali ita distinguitur, ut utraque jungatur in uno eodemque actu. Nec in Apostolis solum erat Spiritus Sanctus, sed in presbyteris etiam & reliquis in unum congregatis christianis, etsi diverso gradu; in his tamen omnibus ita, ut sententiam Apostolorum reliqui omnes in lumine Spiritus Sancti, ad præsens negotium solennius invocati, in eodemque efficacissime operantis, approbarent.

§. XIV.

Legati Antiochiam reversi convocato fidelium cœtui acta concilii exponunt, & in totius negotii fidem litteras Hierosolymitanas reddunt. Quibus publice prælectis magna neophyti e gentibus allecti lætitia perfusi, sibi que de insigni libertatis christianæ cimelio gratulati sunt. Et his illi, qui e Judæis evangelio crediderant, eo minus fuere contrarii, quo magis prudentiores in ipso etiam Judaismo persuasi erant, omnino placere Deo cultum etiam sine circumfione aliisque legis cerimoniis: qua de re videatur egregius locus apud JOSEPHUM Antiquit. L. XX. c. II. Conf. MENASS. BEN ISRAEL de Resurrect. mortuorum L. II. c. IX.

§. XV.

Nec exiguam neophytorum fides accessionem cepit e ministerio *Juda & Sila*, ipsorum confirmandorum causa diu Antiochiæ commorantium. Immo *Silas*, una cum *Juda* ab Antiochenis jam tum in pace dimissus, mavult apud ipsos remanere, Deo arcano instinctu voluntatem ejus ita dirigente: utpote qui prævidebat, fore ut *Barnaba* a *Paulo* per futurum paroxysmum digresso

digressio, ipse hic Silas se eidem comitem & parastatam adjungeret: quod ipsum quoque non sine Dei nutu factum est. Pacata vero ecclesiae Paulus & Barnabas, inter multos alios antistites, praerant, ita ut eam evangelio pascere, & partim confirmarent, partim numero augerent: qui fructus posterior e conjuncto tot tam insignium doctorum ministerio procul dubio redundavit, ita ut ecclesiae Antiochenae splendor spiritualis cum splendore istius urbis civili certaret, aut hunc potius multis modis superaret. Act. XV, 30--35.

§. XVI.

Hæc hæctenus de totius negotii ad synodum Hierosolymitanam pertinentis serie, quam LUCAS in narratione sua tenuit. Pertinet huc locus Gal. II, 1--10. Vix enim ullum superesse potest dubium, hoc iter & negotium Pauli Hierosolymitanum esse illud ipsum, quod Lucas Actuum XV, pluribus commemorat. In utriusque vero loci collatione epistolicus hic varias subministrat observationes, quæ historiam a Luca narratam illustrent:

1. Synodum hanc incidisse in annum a conversione Pauli decimum quartum. v. 1.
2. Non solum Barnabam, sed Titum quoque, fuisse in comitatu Pauli, ita vero ut ipsum, ab Antiochenis ad missionem haud deputatum, ipse Paulus ultro, consentientibus tamen Antiochenis, tanquam negotii evangelici ministrum, allegerit; quemadmodum in expeditione in Asiam minorem suscepta olim Joannem Marcum allegerat. ibid.
3. Consilium Antiochenorum de legatione & consultatione Hierosolymitana ab ipso Deo comprobatum fuisse per peculiarem revelationem, Paulo factam. v. 2.
4. Titi exemplum, quod illi, tanquam homini Græco, nulla circumcisionis necessitas ab Hierosolymitana ecclesia fuerat imposita, Antiochenos ἀπεριτομήτως non parum in libertate sua confirmasse. Et hic scopus præcipua videtur, fuisse ratio, cur Paulus Titum comitem adsumferit. v. 3.
5. Christianos illos judaizantes, qui ecclesiam Antiochenam turbabant, fuisse falsos fratres & libertatis christianæ infidiatores, pro ea jugum, præcipue circumcisionis, intentantes. v. 4.
6. Paulum pseudodidascalis istis ne per horam quidem cessasse, atque in ecclesia Antiochena ἑστῆν existisse, cum etiam turbatores illi cum iis, quos sibi obnoxios fecerant, veritati cedere pertinacissime detrectarent. v. 5. Act. XV, 2.
7. Paulum in nulla doctrinæ evangelicæ parte ab Apostolis Hierosolymæ demum fuisse institutum, sed eosdem, data κωνωνίας dextra, ipsum in omni-

omnibus expertum esse *ὁμοψήφως*, in documentum vocationis coelestis ad apostolatam, scilicet illam, quam a Christo acceperat, omnino divinam esse. v. 6. seqq.

8. Hierosolymæ, præter *Petrum & Jacobum*, etiam *Joannem* adfuisse, etsi Lucas nullam ejus mentionem injiciat: quæ ideo omiſſa fuisse videtur, quod Joannes sententiam suam seorsum haud dixit, sed in iis, quæ a reliquis dicta erant, consensu paucioribus expresso acquievit. v. 9.

§. XVII.

Huc porro referenda sunt, uti ex orationis serie & ipsius rei analogie liquet, ea, quæ Paulus Gal. II, 11. seqq. de Petro narrat, eum primum familiariter & libere cum iis, qui e gentilibus ad Christum conversi fuerant, versatum esse, ita ut eos in libertate sua, quam a rituum judaicorum jugo immunem habebant, confirmaret; postquam vero nonnulli e conversis Judæis Hierosolyma accesserint, ipsum in eorum gratiam se gentilibus illis neophytis subduxisse, eo cum effectu, ut etiam reliqui, e Judæis Antiochenis conversi, & ipse etiam Barnabas, hoc ejus exemplum imitarentur, sua, quam in Christo omnes habebant, libertate, etsi non negata, tamen imprudenter dissimulata; atque ita a se, Paulo, ipsis publice fuisse resistendum. Unde manifestum est, nævum quidem a Petro haud abfuisse, sed eum nequaquam fuisse tantum, ut vel error dicendus sit in doctrina, vel vitium in vita, seu malignæ voluntatis affectio. Ab errore ipsum abfuisse, vel ipsa libera cum gentilibus conversatio docet, collata cum iis, quæ de eodem in negotio Cornelii c. X. XI. & synodi c. XV. narrantur. Nec eo voluntatis vitio, quod *hypocrisis* dicitur, ipsum laborasse, ex eo manifestum est, quod ab ejusmodi simulatione, qua quis pietatem, ea destitutus, nuda specie præ se fert, alienissimus fuit ac mansit, cum virentheus potius plus libertatis ac pietatis evangelicæ possideret, quam externe proderet.

§. XVIII.

Constat ergo, factum Petri non fuisse *simulationem*, sed *dissimulationem*, ortam e *caritate* erga infirmos Judæos, ad Christum conversos, quales præcipue erant Hierosolymitani, adhuc stantibus Templi sacris affixi, & a commercio cum conversis gentilibus remotiores. Existimabat enim vir integerimus, suum esse, ut ex caritate, quæ svadet *συγκατάβασις*, fieret omnia omnibus, atque ita infirmis infirmus, quod Pauli proprium erat 1 Cor. IX, 20. seqq. Sed inconsulta erat hæc caritas, a vero tramite aberrans per *imprudentiam*, seu in prudentiæ ecclesiasticæ moderamine: hoc est, præ nimio erga infirmos studio affectuque, non perpendebat, subductione sua non solum offendi confirmatiores, sed imbecilliores etiam confirmari in errore suo, & in suo adversus conversos gentiles rigore plane inconsulto. Quod cum con-

sidera-

I

sideraret Paulus, non dubitavit Petro in faciem contradicere, graviter quidem pro aversione scandali, at humanissime tamen, pro mutuo suo in veritate evangelica consensu ac officio. Et tantum abest, ut hoc ægre tulerit Petrus, ut potius ipse Pauli epistolas deinceps in suis collaudaverit 2 Pet. III, 15. etsi non ignorabat, in illarum una aberrationis suæ recensionem fieri. Et quanta Pauli erga Petrum fuerit fiducia, & Apostolorum sinceritas ac demissio, vel ex eo colligas, quod Paulus, istam commemoraturus, nullam plane Petri offensionem metuit. Utinam vero LUTHERUS noster abstinuisset a voce *heucheln* Gal. II, 13. utpote auribus Germanorum nostrorum duriore & manifestum vitii haud levis notionem habente. Mollior aliquanto est vox *Verstellung/verstellen*; quippe quæ etiam de *disimulatione* usurpari potest: quæ vox Latina rem totam omnium optime exprimit, & quavis Germanica commodior est.

§. XIX.

Redeamus ad narrationem Lucæ. Postquam tempus aliquod Antiochiæ esset transactum, Paulus consultum esse ducebat, ut cum Barnaba ecclesias, quas in Syria, Cypro, Cilicia & aliis Asiæ regionibus condiderat, reviseret. Quod cum statutum esset, Barnabas commendabat Joannem Marcum, ut ad necessarium itineris & evangelii ministerium denuo adscisceretur. Paulus vero detrectabat eo uti comite ac ministro, qui ipsos olim in Pamphilia, ex itinerum aliarumque molestiarum tædio, deseruerat c. XIII, 13. Sed Barnabas, nunc de Joanne meliora sperans, institit consilium suum pro eodem adsumendo urgere. Paulo autem dissvasionis suæ argumenta adhuc magis urgente, exstitit inter ipsos aliquis *παραξυσμός*, seu *acrior disceptatio*, desinens in discessionem, non vero hostilem, aut acerbam, sed amicam, ita ut Paulus sibi allegeret Silam, & Syriæ ac Ciliciæ ecclesias obiret, easque in Domino confirmaret; Barnabas vero cum Joanne suo ad eundem scopum in Cyprum navigaret.

§. XX.

Deus ista servorum suorum infirmitate in optimum finem est usus Act. XV, 36. fin. Hac enim ratione eodem tempore plures ecclesiæ poterant salvari ac in fide confirmari. Ipsi etiam Joanni optime cesit illud Barnabæ patrocinium, ut & ista Pauli censura. Quemadmodum enim lenitate Barnabæ retentus fuit in officio; sic, ut eidem posthac majori constantia satisfaceret, calcar addidit Pauli severitas. Et salutarem hunc effectum correptioni haud defuisse, ex eo est manifestum, quod deinceps Romæ ipsum habuit a latere suo in vinculis prioribus, & quod ejus nomine Colossenses salutavit, eumque ipsis commendavit. Col. IV, 10. Conf. Philem. v. 23. Nec est dubium, hunc ipsum esse Marcum, cujus ministerium in vinculis posterioribus expetit

expetit Paulus, tanquam viri ευχενης 2 Tim. IV, 11. Et Barnabam, qui a Paulo non aliter, quam ab Abrahamo Lotus Gen. XIII. discesserat, posthac magni a Paulo fuisse habitum, vel ex honorifica ejus mentione: Cor. IX, 6. quæ post hæc tempora facta est, liquet.

CAPUT III.

DE

EXPEDITIONE PAULI, QUAM CUM SILA
PER ASIAM ET GRÆCIAM FECIT, USQUE
AD REDITUM AD ANTIOCHIAM.

ACT. XVI, XVII, XVIII, 1--23.

SYNOPSIS.

Paulus cum Sila obit Ciliciam & Lycaoniam, & Lystris Timotheum adsumit ministrum & collegam. §. I.

Id quod aliquot locis ex epistolis Pauli ad Timotheum illustratur. §. II.

Inde cum suis digressus obit alias regiones minoris Asiae, tradito Apostolorum decreto Hierosolymitano. §. III.

Hoc tempore etiam ecclesia Galaticæ plantata sunt. §. IV.

Quibus plantatis Paulus Ephesum aditurus vocatur in Macedoniam. §. V.

Philippus delatus ibi condit ecclesiam insignem. §. VI. VII.

Quæ primum consistit e solis gentilibus conversis. §. VIII.

De quibus etiam intelligendi sunt actus secundum fluvium ad preces publicas convenientium. §. IX.

Speciatim hic consideranda est Lydia cum familia sua. §. X. XII.

Inter cujus & familiae commentariensis conversionem intercessit opus diaboli, destruetum in fœmina a cacodæmone obsessa.

Unde Paulus & Silas in carcerem conjiciuntur. §. XIII.

In quo illi Deum celebrant, eumque experientur *Θαυμαστέον*. §. XIV.

Quo facto præfectus carceris cum familia sua ad Deum convertitur. §. XV.

Probatur, in his & aliis ejusmodi familiis simul infantes fuisse baptizatos. §. XVI.

Paulus vero cum comitibus suis tandem honorifice Philippis dimittitur. §. XVII.

Quæ historia Philippensis non parum illustratur ex epistola Pauli ad Philippenses scripta. §. XVIII.

Quemadmodum historia ecclesie istius plantate etiam epistolam illustrat. §. XIX.

Philippis digressi viri Dei veniunt Thessalonicam, ubi multi ad Christum convertuntur §. XX. sed inde mox per Judæos expelluntur. §. XXI.

Expulsi veniunt Beroeam, ubi Judæos habent evangelio multo obsequentiores. §. XXII.

I 2

Emen.

Emendatur hic in historia ecclesie Thessalonicensis versio Lutberi. §. XXIII.

Et instituitur collatio historia de fundata ecclesia hac cum duabus epistolis ad eam scriptis: Unde multaz historia & epistolarum illustratio. §. XXIII.

Beroea Paulus venit Athenas, ubi primum in foro, deinde in Ariopago habet sermonem. §. XXV.

Qui hic aliquot observationibus illustratur. §. XXVI.

Eventus vero concionis istius fuit diversus, salutaris tamen in Dionysio & Damari. §. XXVII.

Athenis profectus est Corinthum. §. XXVIII.

Ubi divertit apud Aquilam & Priscillam. §. XXIX.

Et prater ægyptoz laboris manuarii ægyptoz suum habuit in predicando evangelio. §. XXX.

A Judæis vero repudiatus ad Græcos se convertit. §. XXXI. XXXII.

Multaque Corinthi adversa est expertus, in quibus tamen ipsum Dominum habuit parastatam. §. XXXIII.

Et coram Gallione proconsule accusatus dimittitur. §. XXXIV.

Hic Paulus scribit duas Epistolas ad Thessalonicenses, §. XXXV.

Quæ historiam Lucae illustrant, quemadmodum etiam ipsa ex historia illa illustrantur. §. XXXVI.

Eadem fit illustratio, duabus epistolis, quæ deinceps ad Corinthios scripta sunt, cum historia Lucae collatis §. XXXVII.

Corintho, postquam caput totonderat Cenchreis, discedit Hierosolymam & redit Antiochiam. §. XXXVIII.

Subjungitur disquisitio de tonsura Pauli Cenchreenst. §. XXXIX.

Item historia Aquila & Priscilla. §. XL.

Nec non Apollo Pontici §. XLI.

Appendicis loco accedit Disquisitio Jo. Braunii de epistolis Pauli.

§. I.

Barnaba cum Marco in Cyprum proficiscente, Paulus cum Sila Antiochia digressus Syriam obit ac Ciliciam, ecclesias Christo antea collectas in fide & in crucis mysterio confirmans. Act. XV, 39-41. E Cilicia vero in vicinam Lycaoniam profectus ecclesiam *Derbensem* & *Lystrensem* invisit & utrique non parum prodest, procul dubio jamdudum expectatus, & ideo cum gaudio exceptus. Lystris rursus invenit Paulus *Timotheum* suum, quem ætate tenerum jam olim in priore expeditione Asiatica in disciplina & a latere suo habuerat Act. XIII, 14. 45. seqq. XIV, 1. seqq. coll. 2 Tim. III, 10. 11. Erat vero is matre natus Judæa, Eunice nomine, & avia Loide 2 Tim. I, 5. patre autem homine Græco ac gentili, qui, ut judaico more circumcideretur filius, non permisit. Cum eundem Paulus jam olim expertus esset genuinum, (1 Tim. IV, 6. 2 Tim. I, 5. III, 14. 15.) & nunc redux deprehenderet, insigni ipsum ab ecclesiis encomio ornari, in eo erat,

ut

ut ipsum præter Silam itinerum suorum comitem & evangelii ministrum allegeret, multo eidem ac sibi, præcipue inter Judæos adhuc convertendos, usui futurum. Sed obstabat præputium, Judæis valde invisum. Quare Paulus, omnia omnibus & Judæis quasi Judæus futurus, ut eos Christo lucrifaceret, Timotheum circumcidit, circumcisionis usum & intermissionem e locorum, temporum ac personarum ratione metiens. Nec obstabat immunitas a circumcisione, in synodo Hierosolymitana firmiter sancita. Concessa enim illa erat gentilibus, circumcisione interea non prohibita Judæis, aut ulli eo in casu, qualis hic erat: ubi circumcisio adsumitur, non ex opinione necessitatis ad eam stabiliendam, sed pro ductu caritatis e libertate, ad eam inter Judæos per evangelium abrogandam.

§. II.

Pertinent huc loca 1 Tim. I. 18. *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum prophetias, quæ de te præcesserunt* &c. c. IV, 14. *Ne negliges, quod in te est donum, quod datum est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Conf. c. VI, 12. 2 Tim. I, 6. *Commonefacio te, ut exsuscites donum Dei, quod est in te per impositionem manuum mearum.* E quibus locis allectio, Timothei, Act. XVI, 1-3, descripta, hisce observationibus potest illustrari:

1. Lystris viros fuisse prophetiæ dono instructos, & hos Paulo inter ipsos degente, prædixisse, Timotheum fore insigne Dei organon in ministerio evangelii: immo fortasse Deum per Spiritum propheticum edixisse, ut Paulo jungeretur comes, tanquam evangelista.
2. His prophetiis (ad quas etiam voce *ἠμαρτυροῦντο* Act. XVI, 2. respici videtur) uti & jam tum perspecta præclara ejus indole, motum Paulum, sibi Timotheum parastatam elegisse, Sila solo ipsi in tanto, qui apertus erat, mensis campo non sufficiente.
3. Timotheum hac ratione delectum, etiam solenni ritu ad ministerium evangelii fuisse ordinatum, adhibita invocatione Dei & *χειροθεσία* Pauli ac presbyterorum.
4. Hunc ordinationis ritum non fuisse inanem ceremoniam, sed Timotheo sub eodem uberio ac insignem divinorum charismatum mensuram fuisse collatam: quemadmodum etiam alias hic gratiæ effectus impositionem manuum comitabatur. vid. Act. XIX, 6.
5. Timotheum in hac ordinatione publicam edidisse fidei confessionem, quam Paulus 1 Tim. VI, 12. *καλήν* præclaram vocat.
6. Timotheum hac ordinatione accepisse munus evangelistæ, quod a munere apostolico & prophetico erat proximum, respectu auctoritatis & charismatum Eph. IV, 11. Plura de Timotheo vide in Prolegomenis Commentarii mei in epistolas ad Timotheum.

§. III.

Prosequamur nunc ipsum iter Pauli, & comitum ipsius. A Lystranis in pace dimissi complures Asiæ minoris urbes, & in iis ecclesias, lustrant. In quibus cum essent non pauci e gentilibus conversi, ipsis tradunt commendantque decretum, christianæ liberatis causa in concilio Hierosolymitano sancitum. Nec exiguus hujus lustrationis fructus fuit in singulis ecclesiis. Auctæ enim sunt & virtute & numero, & quidem καὶ ἡμέραν, ita ut regnum Dei hic esset βιάζομενον, sancta vi, perruptis obstaculis, in hominum mentes per evangelium se insinuans, subinde aliis atque aliis βιάσας illud ad se quasi rapientibus Act. XVI, 4, 5. quemadmodum cœperat jam inde a diebus Ioannis. Matth. XI, 12. Luc. XVI, 16. Inter regiones, quas evangelio collustrarunt, speciatim memorantur *Phrygia* & *Galatia*, sed mentione carptim tantum facta.

§. IV.

Lucam passim omittere multa, aut rerum multarum quædam tantum vestigia exprimere, inter alia e mentione *Galatiæ* nuda liquet, sed facile supplenda ex epistola, quam Paulus ad Galatas scripsit. In hac enim testatur Apostolus, se non tantum facilem habuisse ingressum cum evangelio apud Galatas, sed ab iisdem etiam exceptum esse tanquam angelum Dei, & ipsum Christum Jesum Gal. IV, 14. secundum illud Christi: *qui vos suscipit, me suscipit &c.* Conf. 2. Cor. V, 20. Immo tanto in Paulum affectu evangelii causa erant accensi, ut oculos sibi ipsis effossos, si fieri potuisset, ipsi fuissent daturi. v. 15. Et istum affectum sincerum fuisse ac evangelicum, e bonorum, quæ evangelii participatio attulerat, possessione ac gustu ortum, haud obscure indicatur, quando eidem μακαρισμός tribuitur. Huic affectui respondebat Pauli amor mutuus, quovis pastorali, immo paterno maternoque, tenerior ac ardentior. Atque hujus amoris accuræ tanta erat sinceritas, tanta constantia, ut etiam post cœptam ipsorum defectionem eodem ipsos prosequeretur, ipsos suavissimo fratrum & filiorum nomine compellans, & de ipsorum regeneratione, aut repurgatione, admodum sollicitus. c. IV, 12, 19, 20. Nec exigua universæ epistolæ lux affunditur, si illa, quæ in ea de circumcisionis & præpostero legis studio, nec non de turbatoribus ecclesiarum Galaticarum, illud urgentibus, uti & de libertate christiana recte tuenda, dicuntur, cum iis conferas, quæ in eadem materia de cæcis ecclesiæ Antiochenæ & Hierosolymitanæ zelotis, tanquam falsis fratribus, nec non de remedio in synodo Hierosolymitana ipsis opposito, in antecedentibus exposita sunt. Et decretum synodi ecclesiis Asiæ fuisse traditum, expresse refertur Act. XVI, 4. quod tamen pseudapostoli parum reverenter habuerunt, ideo a Paulo severiori censura notati Gal. V, 1, seqq. 7, 8, 9. in-

pri-

primis v. 10. *qui conturbat vos, portabit iudicium, quisquis fuerit: Utinam & abscindantur, qui vos labefaciunt!* v. 12.

§. V.

Sed revertamur ab hoc diverticulo in viam, quam Paulus profectus est. Phrygiæ & Galatiæ ecclesiis iustratis, aut potius nunc primum conditis, is cum comitibus suis contendebat in Asiam, strictiori sensu ita dictam, cujus metropolis erat *Ephesus*, in eoque erat, ut cum iisdem in ea præconium evangelii faceret. Sed prævidebat Deus, Asiam eo tempore evangelii haud fore capacem, seu patientem & φιλοπόδοχον; aut campum, qui eidem in Macedonia patebat, prius occupandum esse censebat, cum interea Asiæ evangelii *εὐωδία*, e vicinis Pamphiliæ & Pisidiæ regionibus, jam tum evangelio repletis, fragrans, sufficeret, donec eo veniret Apostolus Act. XIX, 1, 10. Quare Spiritus Sanctus, summus ecclesiæ æconomus, ipsis, ut evangelii causa in Asia morarentur, non permisit. Idem ipsis obstitit, quum, in Mysiam profecti, ad latus septentrionale in Bithyniam ire vellent. Quare occidentem versus progressi Troadem venerunt, quæ urbs est Asiæ maritima, insulæ Samothraciæ opposita; quam vero vocem nonnulli pro regione maritima accipere malunt: sed minus commode. Nec est dubium, quin Paulus etiam hic in præconio evangelii fuerit occupatus, etsi mentio ejus specialis non fiat; quemadmodum ea nec apud Galatiæ nomen facta est v. 6. Troade visione nocturna avocabatur in Macedoniam. Apparuit enim ipsi per quietem quidam Macedo, ita ipsum compellans: *Profectus in Macedoniam succurrere nobis*, innuens amplissimum evangelio ostium apertum esse in Macedonia, Macedonum multis illud omni προθυμίᾳ admissuris. Act. XVI, 9.

§. VI.

Qua vocatione pro divino nutu agnita, Paulus Troade recto cursu venit in *Samothraciam*, postero die *Neapolin*, urbem Macedoniae mari Ægæo adjacentem, & inde porro PHILIPPOS, Macedoniae metropolin, olim a Philippo Alexandri M. patre ita dictam, & coloniam, scilicet Romanorum, atque ita etiam Romani juris ac moris, uti infra v. 21. indicatur. Hic Paulus plantavit ecclesiam insignem, quæ deinceps una fuit e florentissimis; quemadmodum e scripta ad ipsam epistola constat. Quare existimandum non est, hic tantum solam Lydiam & familiam præfecti carceris ad Christum, Pauli & sociorum ejus ministerio, fuisse conversam. Major sane & insignis hic existit christianorum numerus, ita ut cætus iste fidelium recte constitutus suos statim episcopos, seu presbyteros, uti & diaconos, acciperet. Hos enim istam habuisse, vel ex inscriptione epistolæ liquet. Quando autem acceperunt, nisi ipso hoc foundationis tempore? Revisit quidem
Aposto-

Apostolus ecclesias Macedoniæ, sed eum præcipue in scopum, ut jam constitutas in doctrina ejusdemque praxi, nec non in bono vitæ ac disciplinæ ordine confirmaret. Act. XX, 1, 2.

§. VII.

Hoc ipsum, quod ecclesia Philippensium primo statim Pauli adventu & condita, & simul insigniter aucta fuerit, probe notandum est, etsi mentio hujus tantum in narratione Lucæ sit obscurior & is tantum historiam duarum familiarum referat. Et hoc observari meretur eum præcipue in finem, ut de multis locis aliis, quæ in Actis tantum obiter attinguntur, idem possumus statuere, quod de Philippis & de Galatia, supra c. XVI, 6. tantum obiter memoratur. Exstat tamen etiam hic aliquod ecclesiæ amplioris indicium. Nam Paulus e carcere eductus, & ex urbe discessurus, dicitur non solum Lydiæ, sed *fratribus* etiam salutatis & revisis, valedixisse. Hos autem a familia præfecti carceris distinguendos esse, non solum e numero plurali *fratrum revisorum*, sed ex eo etiam manifestum est, quod Paulus educendus familiæ isti commentariensis intererat. Ceterum prius quam ad specialia rerum Philippis gestarum momenta accedamus, notandum adhuc est, Lucam inde a narrato itinere Macedonico mutare stilum in mentione personarum. Cum enim huc usque locutus esset in persona tertia de Paulo & ejus comitibus, nunc primam pluralis numeri adhibet. Act. XVI, 10. Unde multi arbitrati sunt, Lucam demum Troade Paulo in Macedoniam navigaturo se junxisse. Id quod quidem probabile est, non vero apodicticum.

§. VIII.

Quamdiu Paulus Philippis moratus sit, non determinatur, quemadmodum etiam alias temporis determinatio omissa est. Dicitur tantum v. 12. generatim: *Versati sumus in hac urbe dies aliquos.* Sed hic locutione *dierum aliquot* intelligenda esse videntur aliquot tempora, *einige Zeiten* / ita ut ad minimum hic aliquot menses sint transacti: quale spatium ecclesiæ fundatio ejusdemque constitutio requisivisse videtur. Et hæc istius vocis notio uti Hebraismo maxime est consentanea, sic nec Græcismo repugnat. Eadem locutio sic etiam c. XV, 13. accipi videtur. Et de hoc ejus significato eo minus possumus dubitare, quo expressius Pythia fœmina Philippis dicitur Paulum & comites ejus cum vociferatione *multos dies* esse insecuta v. 16, 18. Isto autem commorationis tempore omni Paulus cum synergis suis occupatus fuit in evangelii præconio & in ecclesiæ constitutione, & quidem inter homines mere gentiles, uti probabile est. Et si Philippi etiam Judæos aliquot inquilinos in civium suorum numero habuerunt; synagogam tamen hi habuisse non videntur. Non enim in universa narratione de

de Philippensis ulla fit mentio ullius Judæi, multo minus synagogæ. Potius accusatorum clamor: *Hi homines turbant nostram urbem, cum Judæi sint.* v. 20. prodit, urbem Judæos colonos haud habuisse, saltem tanta frequentia, quanta eorum in multis aliis urbibus erat. Quid? quod c. XVII, 1. dicatur, Thessalonicæ fuisse *Synagogam Judæorum*, scilicet *διακριτικῶς*, ad differentiam aliarum Macedoniae urbium, quæ synagoga caruerint. Non desunt quidem interpretes magni nominis, qui vocem *προσευχή* c. XVI, 13. 16. *proseucha* de loco accipiunt, & quidem tali, qui fuerit instar synagogæ, seu qui synagogæ defectum suppleverit: sed hunc sensum non admittit verbum *ἐνομιζοτο*, solebat, utpote quod non de loco, sed de actu, accipiendum est. Conf. WITSIUM Meletem. Leid. p. 71.

§. IX.

Nunc autem inquirendum est, quinam extra urbem in certo quodam loco juxta fluvium ad precandum convenerint? *Judæos* fuisse, vix est credibile, uti ex iis, quæ jam dicta sunt, patet. Nec obstat: mentio *diei sabbatorum*. Hac enim locutione etiam certam hebdomadis diem, a Judaico sabbato diversam, notare, non est insolitum. Ipsa etiam Lydia non videtur fuisse natione & religione Judæa, sed gentilis fœmina. Nec gentiliū hic fuisse videtur conventus, quanquam ipsis alias solenne fuerit ad flumina sacrorum caussa convenire, & hic sabbatorum dies non incommode de die aliqua hebdomadis feriis sacris destinata accipi posset. Gentiles vero hic congregatos fuisse more solito, ut credamus, non facile permittit mentio *precum solennium* & cum Paulo conjunctarum, quarum gratia cœtus præcipue habitus fuit; uti & indicata ea virorum Dei consuetudo, quod ad preces istas ipsi eodem in loco cum aliis convenerint v. 16. conf. v. 18. ubi voces, *per multos dies*, ita referuntur ad sequelam fœminæ Pythiæ, ut simul respiciatur ad morem Pauli ejusque sociorum, non semel & iterum, sed sæpius, ad preces publicas euntium. Jam vero, si nec Judæi, nec gentiles precandi gratia hic congressi sunt; sequitur, christianos fuisse neophytos, eos ipsos, quos viri Dei primis statim diebus per evangelium Christo, tanquam palmites viti, inseruerant. Et huic expositioni favet illa dierum, seu temporum, aliquot nimirum evangelii præconio datorum, mentio, quæ v. 12. mentioni moris ad preces convenientium præmittitur. Et in hac sententia præeuntem habeo interpretem insignem, BENEDICTUM ARETIUM, qui rejecta utraque sententia, qua precantes vel gentiles, vel Judæi fuisse statuuntur: *Super est igitur, inquit, tertia sententia, quam veram esse judico, non convenisse huc nec Judæos, nec ethnicos, sed novos fideles, quos diebus superioribus (Paulus) convertit. Hi cum in urbe non facile convenirent, extra urbem, ut fit, locum cœtui ad flumen deputarunt, &c.*

K

§. X.

§. X.

Hæc hæctenus generatim de negotio evangelii inter Philippenses. Consideremus nunc speciatim *duas* istas *familias*, quas Spiritus Sanctus per Lucam peculiari recensione dignatus est, commemorato modo, quo ad Christum fuerint conversæ. Una erat *Lydia*, altera *præfæcti carceris*. *Lydia* nomen crediderim ex gentilitio factum esse proprium. Erat enim civis urbis Thyatirorum, ad regionem Lydiæ pertinentis. Et opulentam fuisse, fœminam, e pretiosissimo mercaturæ genere, porphyropolio, haud est obscurum. Nec enim res suas decoxisse dicitur. Id autem videtur paradoxon, quod ante conversionem dicatur *σεβουμένη τὸν Θεόν*, *colens DEUM*, maxime, si negetur, eam fuisse fœminam Judaicam, aut profelytam. Sed *profelytam* fuisse, nequaquam est improbabile, etsi Philippi synagogam Judaicam nullam habuerunt. Nec inter ipsas gentes defuisse veri Dei cultores, & quidem tales, qui posthabita idololatria non solum e meliori naturæ, sed etiam e gratiæ lumine, in quantum illud per antiquissimam traditionem & per commercia cum Judæis innotescere potuit, DEUM verum coluerint, omnis antiquitatis monumenta produunt. Et hac ratione ejusmodi homines erant profelyti, & veri Dei cultores, re ipsa, etsi sine ulla Judaismi professione.

§. XI.

Porro autem hic quæritur, quomodo paulo ante adserta sententia, quod conventus iste ad fluvium christianorum fuerit *νεοφύτων*, consistere possit cum exemplo Lydiæ, eo etiam ante christianismi professionem & conversionem oratum venientis? Sed facilis est conciliatio. Quod si enim mulierculæ multæ vel e sola curiositate ad rerum novarum spectaculum concurrere solent, & fortasse neque hic defuerunt; quid mirum erit, aut absolum, si dixerimus, Lydiam ex aliquo salutis suæ desiderio neophytorum cœtui se adjunxisse? *Cordis vero apertio* qualis fuerit, res ipsa indicat, uti & contrarium ejus. Cordi enim aperto opponitur cor clausum, immo durum & se ipsum obdurans & obfirmans. Obfirmare enim semet ipsum homo potest per repugnantiam morosam, oblatae veritati & gratiæ, repaguli instar, oppositam. At semet ipsum recludere & aperire nemo valet. Et quanquam hæc fœmina non plane destituta esset gratia Dei; eo tamen ejusdem affluxu novo adhuc egebat, qui ad fidem in Salvatorem mundi jam exhibitum & in universum evangelium erat necessarius. Quare Spiritus Sanctus inter audiendum in paupertatis spiritualis ordine fidem in ipsa accendit, & quidem, uti probabile est, inter tantos animæ motus, qui latere haud potuerunt, sed variis gestibus, præcipue largissimis lacrymis, maximam partem in DEUM eucharisticis, se reliquorum auditorum

sen-

sensibus exposuerunt. Id quod adhuc hodie interdum fieri in cœtu publico, ubi quis dicit *ὡς ἐξουσίαν ἔχω* cum demonstratione spiritus ac potentiae (Matth. VII, 28, 29. 1. Cor. II, 4.) experientia testatur, etsi, ob raritatem Paulinorum oratorum, rarius.

§. XII.

Lydiæ vero animus ea ratione patefactus totus patuit evangelio, utpote assertione ista vere & evangelice illuminatus, & ab ipso Deo edoctus; secundum illud Christi effatum verissimum: *qui ex Deo est, verbum Dei audit.* Jo. VIII, 47. Et quæ tam luculenta suscepti christianismi specimina ediderat, pro eo ordine, quem exoriens ecclesia hac in parte jam tum decenter constitutum habuit, mox per solennem baptismi ritum cœtui sanctorum fuit aggregata. Nec defuit illa familiæ suæ, sed ut etiam hæc Christo consecraretur per fidem & baptismum, omnem dedit operam, Paulo & ejusdem sociis ministerio suo quam promptissime iisdem subservientibus. Uno tamen actu aut die hæc facta esse non videntur; etsi a Luca stilo historico concisore simul paucissimis commemorantur. Ad familiam ejus quotnam personæ pertinuerint, ignoramus quidem; eam tamen paulo amplio-rem fuisse, fere e mercatura colligas. Maritus vero Lydiæ, si quem habuit antea, non videtur adhuc in vivis fuisse. Tandem suum erga veritatem evangelicam amorem, suumque proficiendi desiderium, testificatura, rogat viros DEI, ut apud se reliquo tempore divertantur, ipsos eo obsecrationis argumento constringens, quod illis vel invitis obsequium quasi extorquere potuit: *si judicatis, inquit, me fidelem Domino esse, introite in domum meam & manete.* Qua ratione cum apud renuentes instaret, tandem prævaluit, ita ut Lucas dicat: *καὶ παρεβιάσατο ἡμᾶς, & adegit vos,* sancta quadam amicaque vi adhibita. Vide exemplum simile discipulorum Christi Luc. XXIV, 29. Unde colligitur, eam etiam ædes habuisse ampliores, quæ, sine incommodo domesticorum suorum, capere potuerint hos quatuor viros, *Paulum, Silam, Timotheum & Lucam.* Act. XVI, 14, 18.

§. XIII.

Hæc de conversione familiæ Lydiæ, Hanc inter & gratiam conversionis, familiæ commentariensis collatam, intercessit *opus aliquod diaboli,* at destructum, ita ut divinis operibus illustrandis inserviret, & præfecto carceris occasionem daret religionem christianam amplectendi. Scilicet ancilla quædam, a cacodæmone, vatem agente, quem Lucas *πνεῦμα πύθωνος* vocat, obsessa & agitata, heris suis, qui ipsam sibi vindicaverant, prophetiæ *κακοζηλία* quæstum faciebat multum, virosque Dei, quando ad publicas preces cum neophytis christianis conveniebant, insecuta, hanc de iis confessionem, ingenti vociferatione per complures dies repetitam, ad

populum edebat: *Isti homines servi Dei excelsissimi sunt, qui annuntiant vobis vitam Domini.* Vide exemplum simile Marc. V, 6, 7, 8. Id quod cum ægerime ferret Paulus, cum puellæ miserrimæ, tum civium deceptorum ac evangelii causa, detrectans admittere testimonia maligni Spiritus, quibus is in fraudem veritatis cœlestis fidem sibi majorem apud superstitosam plebem quærebat; Spiritu Domini indutus ductusque, dæmonem ejecit per imperium, in nomine Jesu Christi in ipsum usurpatum. Act. XVI. 16, 17, 18. Quo viso heri, amissi quæstus causa in furorem acti, viros Dei, speciatim Paulum & Silam, pro præcipuis auctoribus habitos, obtorto quasi collo ad judicium rapiunt, ipsosque duplici postulante crimine, nempe turbata pacis publicæ, & temerata religionis avitæ, Romanæ urbi intolerabili. Et his vociferationibus mobilem turbam facile concitant ad seditionem: qua adactus magistratus sine ulla causæ cognitione damnat innocentes, jubetque eos nudari & expeditis virgis immaniter cædi, cæcos vero in carcerem detrudi & provide valideque asservari. Quæ jussa præfectus carceris capessens in interiorum eos locum conjicit, pedibus ipsorum insuper cippo adstrictis v. 19. - 24. Hæc erant initia evangelicæ expeditionis in Macedonia, mysterio crucis conformia, multoque fructu fœcunda, etiam ipsis neophytis, ad noscendam regni gratiæ indolem, valde salutaria, etsi primum infœta & admodum paradoxa. De hisce Pauli & Silæ afflictionibus agit locus 1, Thess. II, 2.

§. XIV.

Ecce vero rem summo admirandam opere! Mala carceris mansio præconibus Dei in paradysum convertitur. Hi enim ea adeo non contristantur, animumque despondent, ut potius vel in nocte media & in spississimis profundæ ac intimæ sedis tenebris, spiritus ac lætitiæ luce circumfusi, precibus hymnisque, per reliquas carceris mansiones resonantibus, Deum concelebrent, v. 21. Bene WITSIUS in h. l. *Tanta fuit in istis primævæ ecclesiæ proceribus pietatis constantia, & tam in adversis, quam prosperis, eadem semper animi æquabilitas. Tanta divina gratiæ intus corda demulcentis dulcedo, ut neque recentium dolor plagarum, nec carceris pædor, nec catenarum vincula, nec distentorum cippo crurum gravis molestia, gestientem in Dei laudes animum retundere potuerint. Personat cœlestibus odis squalentissimus carcer, non nisi stridentium Deoque & hominibus maledicentium diras sœvitas audire blasphemias. Tantum vere christianus cæteris omnibus distat mortalibus, ipsasque adeo inferorum portas in cœli atria convertit.* Hæc autem captivorum exultatio ipsius liberationis erat exordium. Mox enim ingenti terræ motu exorto ima carceris fundamenta, concutiuntur, reclusisque foribus singulorum vincula derepente solvuntur, & eorum etiam, qui propter mala facinora in ea conjecti fuerant; in ma-
nife-

nifestum documentum libertatis spiritualis, quam hi præcones evangelio annuntiant. v. 26. Qua rerum catastrophe δεσμοφύλαξ subito experrectus contremiscit, conspectisque, quod apertæ essent, carceris foribus, metu supplicii, e captivorum fuga, quam credebat, in se redundaturi, stringit gladium, semet ipsum eo peremurus. v. 27. Sed opportune intercedit Paulus, sublata ipsi voce acclamans, ut sibi ipse parcat, addita ratione, a captivorum omnium præsentia desumpta. v. 28.

§. XV.

Adhuc captivorum præfectus ipse peccatorum & diaboli vinculis constrictus fuerat. Ecce vero nunc in libertatis evangelicæ statum quam felicissime emergit; Etenim, thaumaturgica Dei manu agnita, arripit lucernam, & pro affectus sui impetu, in locum carceris intimum irrumpit, Pauli & Silæ pedibus se cum tremore advolvens, eosque, simul atque ad se rediit, foras in ades suas educens, reliquis captivis ut prbabile, est detentis quidem, ad Dominum tamen conversis. Omnium autem maxime ipse præfectus de salute fuit sollicitus; *Domini*, inquit ad eos, quos antea pro vilissimis ac sceleratis servis habuerat, *quid me oportet facere, ut salvus fiam?* Hac ratione ab iis, qui vitam ipsi naturalem servaverant, vitæ spiritualis ac æternæ viam edoceri desiderat. Et hæc ipsi promte ostenditur in commendata in Jesum Christum fide, in eodemque per præconium evangelii, pluribus verbis factum, accensa. Id quod eo factum est cum effectu, ut etiam domestici ejus ad unum omnes, ejusdem gratiæ fierent participes, & cum eodem in illa per baptismum rite confirmarentur, postquam pater familias captivis ardentissimæ caritatis officium in abluendis plagis præstiterat. Et eidem mox addidit epulas, sibi cum domesticis suis omnibus de fide in Christum magnopere gratulatus. Egregia sane vicissitudo. Præfectus lavat corpora, sanguinem flagris excitatum ac in iis concretum abstergens, eaque epulis reficit externis; Paulus eundem cum omnibus suis itidem lavat, sed animas potius, quam corpora, eas sanguine Christi, lavacro regenerationis quasi indito, a peccatis διακονικῶς emundans, & evangelii dapibus pascens. v. 34.

§. XVI.

Ecquis vero dubitaret, huic, uti & Lydiæ, familiæ defuisse infantes, eosque per baptismum simul christianorum sacris fuisse initiatos? Expresse enim dicuntur domestici baptizati, & quidem *omnes* in loco posteriori v. 15. 33. Quod si dicas, infantes procul dubio fuisse exceptos, tanquam doctrinæ, atque ita etiam baptismi, adhuc incapaces: respondeo, te falli magno pere. Præmittenda quidem erat institutio, sed apud adultos: quibus conversis & parvulos per preces Deo consecrantibus, istis etiam omnino debe-

batur baptismus, tanquam lavacrum regenerationis; utpote cujus tenelli eo erant capaciores, quo minus pro ætate sua Spiritui Sancto operanti ponebant obicem. Et hoc est, quod volunt verba Christi, discipulos in totum terrarum orbem ablegantis, quando: *πορευθέντες, inquit, μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς κ. τ. λ. profecti discipulos facite, seu in disciplinam meam suscipite, omnes gentes, ita ut eas baptizetis.* Ubi LUTHERUS quidem verbum *μαθητεύειν* reddidit per *lehren*: sed verbum istud est sensus latioris, & omnino etiam ad ipsum baptismum pertinet. Quemadmodum enim adulti per admissionem doctrinæ, baptismo deinceps obfignatam, fiebant christi discipuli; ita infantes per admissionem & collationem baptismi. Et per ritum solenniorem in disciplinam alicujus admitti, atque ita alicujus discipulum fieri, adeo non est absurdum, aut inusitatum, ut mos iste certis philosophorum sectis, præcipue Pythagoricæ, fuerit proprius. Si quis porro excipiat, dici quidem, baptizatam esse universam familiam, sed non addi, eidem inclusos fuisse infantes: respondeo, ejusmodi additione nequaquam fuisse opus, cum locutio generalis specialem quamvis contineat. Quod si vero excepti & posthac constanter excipiendi fuissent infantes, omnino addita esset expressa exceptio, ne quis existimaret, eos sub mentione domesticorum generali simul comprehensos fuisse. Certe contra dictamen sanæ rationis agit, qui ab affirmatione universali (v. g. omnes domestici sunt baptizati) detrectat illationem facere particularem (ergo etiam infantes:). E contrario autem ab eadem descendit ad exceptionem: ergo, (aut, sed) infantes excepti fuerunt. Id quod tamen probari nequit: quemadmodum inclusio probatione non eget, pro natura affirmationis universalis, particularem jam continentis. Nec est, quod quis pædobaptismum ex eo infringat, quod incertum sit, in his familiis adfuisse parvulos. Nam si incertum est, eos adfuisse, etiam æque incertum est, illos non adfuisse. Et quamvis hic defuerint, non defuerunt tamen in aliis omnibus. Paulus baptizavit etiam Stephanæ domum, & alii Apostoli innumeras familias alias baptizarunt, ita ut de iisdem valeret enuntiatio vel indefinita, *domum hujus & illius, vel universalis, omnes domus illius, baptizarunt.* Quis vero credat nusquam adfuisse sobolem tenellam? aut quis existimet, parentes, qui se Christo per baptismum consecrabant, ei per eundem prolem suam non obtulisse? Hæc *ὡς ἐν παρόδῳ* de pædobaptismo. Tractavi ac vindicavi hanc materiam ex instituto Parte I. voluminis Germanici, quod inscribitur *richtige Mittel-Strasse zwischen den Abwegen.*

§. XVII.

Exorta luce prætores urbis, præcipitati judicii sui pœnitentia ducti, & fortasse jam de terræ motu edocti, per ministros commentariensi captivorum

vorum

rorum dimissionem imperant. v. 35. 36. Sed hi, in bonæ causæ præsidium legibus humanis usuri, negant se discessuros esse, nisi ipsi iudices ipsos ex urbe deduxerint, hac ratione injuriam atrocissimam, civibus Romanis (in qua locutione a persona primaria, Paulo, indefinita, seu generalis, facta est denominatio) illatam aliquo modo amoliti. Quo audito illi, criminis sui pœnam metuentes, præcipue autem Dei digito, in terræ motu, qui amplius latere haud potuit, exporrecto, tacti, accedunt ipsi, & læsos quam humanissime rogant, ut urbe exeant. Parent viri Dei, sed salutata prius Lydia, fratribusque in christianismo confirmatis & Timotheo ac Luca, qui vinculo- rum societatem haud subierant, simul emigrantibus, v. 37. -- fin.

§. XVIII.

Prius vero, quam iter Pauli prosequamur, nonnulla hic adhuc observanda sunt de historia hac, uti & de *epistola ad Philippenses*, quod & quomodo una alteram illustret. Historia illustratur ex *epistola* sequentibus momentis, seu hæc ea, quæ sequuntur, suppeditat:

1. *Timotheum* in socio apud Philippenses ministerio se se iisdem insigniter probasse. Hunc enim etiam in ipsa *epistolæ* inscriptione, testificandi consensus gratia, sibi jungit Apostolus, & eundem se ipsis missurum esse promittit. c. II, 19. seqq.
2. In compellatione *sanctorum* v. 1. inter alios speciatim respici ad familias præfecti carceris & Lydiæ, generatim vero ad fratres, quibuscum ad preces publicas Act. XVI. convenisse dicuntur viri Dei, & quos discessuri salutarunt multa cohortatione Act. XVI. ult.
3. Præter duas istas familias Christo tantam Philippis ecclesiam fuisse collectam, quæ constitutum episcoporum & diaconorum ministerium requisiverit. *epist.* c. I. v. 1.
4. Evangelium a Philippensibus magna acceptum esse *προσωνία* & sinceritate: quia Apostolus commemorat, se nunquam non suavissimam & eucharisticam ejus rei memoriam tenere. v. 2.
5. Jam tum ante conversam Lydiæ familiam alios fuisse Christo lucrifectos, & quidem inde a primo statim adventus die: uti expresse indicatur. v. 4.
6. Philippenses in christianismo ejusdemque praxi fuisse constantes: id quod ex eodem loco, & e consequentibus, immo e tota *epistola*, liquet.
7. Philippensium conversionem non consistisse in nuda christianismi professione & in externis aliquot ritibus. Testatur enim Apostolus, ipsos ad ipsam evangelii communionem pervenisse v. 4. ita ut bonum opus in iis sit inchoatum in vera gratiæ participatione, v. 7. &c. Huc refer
asie.

- affectum Pauli erga ipsos tenerrimum, præcipue c. I, 7. & c. IV, 1. declaratum.
8. Philippenses Paulo fuisse addictissimos: quia non dubitat adserere, fore, ut in ipsis de adventu suo gaudium insigne excitetur v. 26.
 9. Philippensium ecclesiam suos habuisse ἀντιπροσβύτους, etiam post discessum Pauli. v. 28. & Philippenses mysterium crucis, quod in Paulo & Sila viderant, deinceps etiam in se ipsis sub perpesionibus variis expertos esse. c. I, 29. 30.
 10. Pauli ministerium in plantanda ecclesia Philippensi fuisse admodum laboriosum & sollicitum: id quod c. II, 16. duobus istis verbis, *currere & laborare* exprimit. Huc refer ἵσθι certare, seu pugnare e v. 27. c. I.
 11. Epaphroditum fuisse virum apostolicum multorum meritorum in ecclesia Philippensem, qui inter alios eam a Paulo conditam egregie rexit. c. II, 25. seqq.
 12. Ecclesiam Philippensium post abitum Pauli non parum fuisse tentatam corruptelis variis pseudapostolorum & pseudodidascalorum, præcipue judaizantium, c. III, 2. seqq. qui etiam in vita fuerunt impii. v. 18. 19.
 13. Inter Philippenses, præter duas istas Lydiæ & commentariensis familias, inter alios etiam *Evodiam* & *Syntychen* ad Christum fuisse conversas. c. IV, 2. & inter presbyteros fuisse *Clementem* quendam v. 3.
 14. Philippenses in disciplina Pauli admodum fuisse dociles & discendi cupidissimos: id quod quatuor verbis, *didicistis, accepistis, audivistis, vidistis* exprimitur. v. 9.
 15. Solam Philippensium ecclesiam esse, a qua Apostolus ea, quæ ad sustentationem vitæ necessaria sunt, acceperit. c. IV, 15, 16.

§. XIX.

Hæc sunt momenta illa argumenti epistolici, quæ historiam Lucæ de ecclesia Philippensium non parum illustrant. Historia vero quomodo epistolam diverso respectu declaret, per se jam manifestum est. Erat ista ecclesia quasi primogenita Pauli in universa Græcia, ad quam in primis per virum Macedonicum in nocturna visione divinitus erat arcessitus. Unde eam, tanquam primitias suas in Græcia, tenerrimo prosequeretur amore, eo etiam propter obsequium suum dignissimam. Lydia vero & præfectus carceris jam ante, quam epistola est scripta, videntur beate decessisse. Probabile enim (probabile, inquam, non demonstrabile) est, alias Paulum utriusque, tanquam exemplorum olim singularium, peculiarem mentionem facturum fuisse. Intercesserunt enim anni duodecim circiter secundum PEARSONIUM in Annal. Paulinis. Vix tamen est dubium, ex familiis istis plures adhuc, superstites fuisse. Ceterum ad hunc Pauli adventum in Macedoniam,

niam,

niam, & ad ejus præconium, in extremis Macedoniæ civitatibus, quæ Dalmatiæ, seu Illyrii, partes attingunt, referendus est locus Rom. XV, 19. ubi Apostolus testatur; *se inde ab Hierosolyma & circumjacentibus regionibus usque ad Illyrium, seu Illyricum, evangelium, seu omnia evangelio, replevisse.*

§. XX.

Philippis vero digressi per *Amhipolin & Apolloniam*, urbes meridiem versus vicinas, viri Dei veniunt **THESSALONICAM**, alteram Macedoniæ metropolin, quæ habebat synagogam judaicam c. XVII, 1. Hanc Paulus, contumeliis Philippensibus nequaquam fractus, pro more suo primum salutatur, & in ea tribus sabbatis scripturam sacram explicat, sermonibus suis omnibus ad christognosiam directis. Et hanc ea tradit methodo, ut primum exponat officium & utrumque statum Messia in ejus perpeffionibus, ac morte & resurrectione, deinde hoc ipsum cum justa demonstratione applicet ad Jesum illum, totius concionis caput & scopum. v. 2, 3. Nec fructus deerat hisce concionibus. Etenim statim Judæi nonnulli ad Christum convertuntur multo autem adhuc plures e Græcis profelytis utriusque sexus, qui synagogæ simul interfuisse videntur v. 4. quamquam hic locus ex parte etiam accipi possit de profelytis portæ, qui circumcissionem quidem non recipiebant, nec reliquæ legi Mosaicæ se adstringebant religiosius; ab idololatria tamen & a corruptis aliorum Græcorum moribus alieni, pro suo cognitionis modulo, Deum sincere colebant. Quales jam inde a temporibus Noachi, seu a Noachidarum dispersione inter gentes omnes non paucos fuisse, varia antiquitatis monumenta, aut vestigia, passim produnt. Certe de temporibus Apostolorum luculenta sunt in Actis testimonia. Et quamquam Paulus cum parastatis suis hic dicatur per *tria sabbata* in Judæorum synagoga docuisse; id tamen nequaquam intelligendum est exclusive, cum procul dubio diebus reliquis etiam toti fuerint in institutione privata partim Judæorum, partim etiam religiosorum Græcorum, immo eorum etiam, quotquot e simulacrorum cultoribus data occasione locum relinquebant evangelio.

§. XXI.

Judæi vero plurimi, ἀπειθεῖα & contumacia obfirmati, pravoque pro religione patria zelo agitati, adscitis hominibus nequam & circumforaneis, concitant universam plebem, urbemque totam tumultu replent. Et in hoc adoriuntur domum Jasonis Judæi, ad Christum procul dubio jam conversi, rati, se in ea evangelii præcones esse deprehensuros. His vero non deprehensis, quod fortasse furori cesserant, Jasonem & nonnullos alios e neophytis, & quidem advenis, ad magistratum in judicium rapiunt, eosque seditionis & criminis læsæ Cæsareæ majestatis postulant. Fidejussione autem

L

ab ac-

ab accusatis, de fidelitate erga Cæsarem & Romanum imperium facta, & a magistratu accepta, ipsi dimittuntur. Cum vero fratres, seu christiani Thessalonicenses, nihilominus timerent Paulo & Silæ, eos, ut & reliquos comites, ut probabile est, noctu clam emittunt Beroeam, aliam Macedonia urbem, meridiem, seu Atticam, versus sitam. v. 5. - 10. De phrasi Romani juris τὸ ἱλακὸν λαβείον, quam LUTHERUS minus commode, saltem minus significanter, redditit *Verantwortung*/ vide GROTIUM in h. l. Bene Syrus cum Arabe: & *acceperunt fidejussores*.

§. XXII.

BERO EAM delati statim agunt, quod res erat: h. e. ingrediuntur in synagogam Judæorum & auditores inveniunt dociles ac obsequentissimos utriusque generis & sexus, Judæos & profelytos. Et inter hos fuisse multos in sensu latiori tales, qui sine circumcissione suscepta ab idololatria abstinere solebant, non est dubium. Et hi ipsi eo tempore multis in locis etiam in synagogas admisi esse videntur. Qui cum ad Christianismum multo adducerentur facilius, quam absurdi & insani idolorum cultores, videmus, ipsum Judaismum, qui multos ab idololatria avocabat, christianismo viam stravisse; quemadmodum is per abusum eidem maxime fuit contrarius. Non exigua autem Beroensium laus est, quod in *scripturarum scrutatione* fuerint assidui, eum in finem, ut cognoscerent, an & quomodo præconium evangelii eum oraculis Mosis ac prophetarum, nec non cum legis figuris convenirent. Et insignem ipsos harmoniam deprehendisse, ex eventu & fructu saluberrimo, fide, est manifestum, v. 10. 11. 12. Nec est dubium, quin Apostolus, ut ostenderet, se neutiquam a religione Judaica genuina discedere, aut ab ea avocare quenquam, sed ad ejusdem scopum primarium, Messiam, referre omnia, more suo auditores suos studiosissime remisit ad scripturas veteris testamenti, demonstrans, eas, quod ad promissiones attinet præcipuas, finem ac complementum suum in Jesu, tanquam Christo, seu vero Messia attigisse. Quæ docendi ratio etsi validam convictionem gignebat; tamen Judæi jam convicti propria & uberiore scripturarum collatione ac meditatione ad majorem fidei plerophoriam, laudabili sane exemplo, contenderunt & saluberrime pervenerunt. Judæis autem Thessalonicensibus eo ex odiis adversus Evangelium advolantibus & tumultum excitantibus, neophyti christiani Paulum deducunt ad mare, quasi inde abnavigaturum (id quod sibi vult particula ὡς v. 14.) re autem vera itinere pedestri Athenas contendit cum comitatu aliquo, Sila & Timotheo Beroeæ remanentibus, sed a Paulo, ut ipsum confestim insequerentur, jussis. Lucas a Pauli latere haud discessisse videtur, v. 10. - 15.

§. XXIII.

§. XXIII.

Emendanda autem hic est LUTHERI versio in commate undecimo: ubi particulam *δέ* reddidit *αἰτιολογικῶς* pro *γὰρ* Denn: cum tamen hic particula adverbativa *δέ* convenientem faciat oppositionem inter Judæos Thessalonicenses & Beroenses. Deinde voces *εὐγενέστεροι τῶν ἐν θεσσαλονίκη* reddidit die *Edlesten unter denen zu Thessalonich*: quæ reddendæ sunt: *edler* (von edlern/oder bessern Gemüthe) als die zu Thessalonich. Non enim Beroenses Thessalonicensibus possunt annumerari. Nec cives utriusque urbis generatim inter se comparantur, sed Judæi tantum. Unde recte vertit Syrus: *Nobiliores erant illi Judæi, qui illic erant, quam Judæi illi, qui erant Thessalonica.* Sic etiam Arabs. Et bene notat BEZA in h. l. *Non dicit Lucas: εὐγενέστεροι θεσσαλονικέων, sed Ἰῶν ἐν θεσσαλονίκη, ut Judæos appareat a veris incolis discerni, servata vi articuli ἀναφορικῆ.* Deinde cum Lucas jam deduxerit Paulum & Silam Beroeam, cur ad Thessalonicensium historiam reverteretur? Præterea de Judæis seorsim hic agi declarat sequens versiculus, ubi seorsim fit mentio indigenarum civium, tum virorum, tum mulierum. Itaque propriam comparativi significationem servare malui. Sed quamvis *εὐγενής* de genere proprie dicatur; tamen cum comparatio hic videatur instituta non generis (erant enim omnes isti Judæi) sed virtutis ac pietatis, generosiores malui interpretari, quam nobiliores: cum constet apud Græcos translative τὴν εὐγένειαν ad mores & ad animum accommodari, ita ut *μεγαλοπρεπής, εὐγενής, γενναῖος* sæpe sint synonyma. Syrus autem & Arabs interpretes manifeste sententiam meam confirmant. Hæc Beza.

§. XXIV.

Consideranda nunc est harmonica ratio, quæ historiæ Lucæ, de ecclesia Thessalonicensium fundata, cum Pauli epistolis ad eam scriptis intercedit, & non parum lucis utrique adfert:

1. Paulus in plantanda ecclesia Thessalonicensium Silam ac Timotheum habuerat socios. Unde eorum nomine ipsam simul salutat. 1. Thess. I, 1. Eadem est ratio epistolæ posterioris c. I, 1. Et ex ipsa narratione Lucæ manifestum est, *Silvanum* in epistola esse ipsum illum *Silam*. Scripsit vero epistolam priorem altero statim anno ab ea condita, & posteriorem tertio, secundum PEARSONIUM in Annalibus Paulini.
2. Thessalonicenses insigni *προθυμία* præconio evangelii locum reliquerant. Act. XVII, 4. Unde Paulus testatur, se jucundam ipsorum memoriam habere, eamque cum Sila & Timotheo in precibus indefessis pro ipsis edere. 1 Thessal. I, 2.
3. Non solum Paulus cum reliquis evangelii præconibus improborum vexationibus fuit expositus, sed totus etiam cætus fidelium neophytorum, Et hic invicto eas animo sustinuit, iisdem se nequaquam frangi passus,

- passus, sed iis cotis instar in polienda & in exercenda fide, caritate ac spe usus. Ideo Paulus ei non dubitat tribuere *ἔργον τῆς πίστεως, κόπον ἀγάπης, ὑπομονὴν ἰῆς ἐλπίδος*: quæ verba sane significantissima sunt. 1 Theff. I, 3. Immo in sequentibus tam egregio ipsos encomio ornat, ut manifestum sit, Lucam in narratione sua omisisse plurima, ex epistolis supplenda.
4. Sub initium quidem evangelium a Thessalonicensibus recipiebatur sine turbis hostium, in externa tranquillitate: at deinceps inter multas afflictiones. Et hæc nequaquam imminuerunt gregis numerum, nec abstinuerunt alios, quo minus nomina sua Christo darent; quandoquidem Paulus testatur, multos evangelium recepisse sub multis afflictionibus, cum gaudio Spiritus Sancti, adeo ut Philippenses *typi facti sint omnium fidelium in Macedonia a septentrione, & in Achaja a meridie*. v. 6. 7. 8. Huc pertinet egregia illa laus, qua c. II, 12. 13. afficiuntur. Vide porro in primis v. 14. 19. 29. IV, 9. 10. 2 Theff. III, 1.
 5. Lucas quidem præter Judæos nullam facit mentionem idololatrarum ad Christum converforum: at illorum tamen insignem fuisse numerum, ex eo liquet, quod Apostolus 1 Theff. I, 9. scribat, *ipso converfos esse ab idolis ad serviendum Deo vivo & vero*.
 6. Ad conciones Pauli Philippenses quod attinet, Lucas rem tantum, seu argumentum præcipuum, doctrinam de Christo, commemorat Act. XVII, 2. seqq. At Paulus dicendi modum & suum dicentis affectum pluribus exponit 1 Theff. II, 2. seqq. 7. seqq. item v. 17. 19. Nullam sane Apostolus epistolam teneriore scripsit affectu, quam eas ad Thessalonicenses. Unde quo inter ipsos animo versatus sit, haud est obscurum, Conf. c. III, 6. seqq.
 7. Lucas unum tantum tumultum refert v. 5. seqq. at Paulum varia afflictionum genera diverso tempore subiisse, vel ex eo colligas, quod scribit, se evangelium prædicasse cum parrhesia in multo certamine. 1 Theff. II, 2.
 8. Lucas prætermittit mentionem laborum Pauli, quos hic noctu & interdium manu sua ad sui, & fortasse etiam sociorum suorum, sustentationem peregit, ut evangelium poneret *ἀδύπατον*, nec cuiquam esset oneri: sed de his agit Paulus 1 Theff. II, 9. 2 Theff. III, 8. 9. Et cum Lucas narret, Paulum in Jasonis ædibus fuisse quaesitum, vero est simillimum, in iis ipsum suam *σκηνοποιίας* artem exercuisse.
 9. Lucas indolem hostium evangelii Thessalonicensium describit præcipue respectu externi furoris c. XVII, 5. seqq. Paulus vero ratione similitudinis, quam illa habeat cum hostilitate adversariorum in Judæa. 1 Theff. II, 14. 15. 16.

10. Lu.

10. Lucas narrat, Timotheum a Paulo, Thessalonica & Beroea Athenas proficiscente, relictum fuisse Beroeæ cum Sila, & ab eodem mox Athenas revocatum. Ipse vero Paulus 1. Thess. III, 1. seqq. scribit, se Thessalonicensium causa maluisse Timothei ministerio Athenis carere, & ipsum ad istos sub afflictionibus confirmandos illinc Thessalonicam remisisse, nimirum postquam Beroea Athenas rediisset: quod Lucas prætermittit. Et cum Timotheus, inde ad Paulum jam Corinthi degentem (c. XVIII, 5.) reversus, ipsi optima quæque de illorum statu retulisset, rursus tenerrimum affectum suum pluribus verbis aperit. 1. Thess. III, 6. seqq.
11. Quid Thessalonicensibus post discessum Pauli contigerit, Lucas prætermittit. At Paulus id indicat, repetita mentione cum afflictionum, tum constantiæ sub istis insigniter probatæ & declaratæ. 1. Thess. II, 14. III, 3, 4. 2. Thess. 4, 5, 6, 7. Non est dubium, quin adversarii isti Thessalonicenses, qui, ut suum adversus Paulum furorem effunderent, ipso ad Beroenses profecto, eosdem statim adibant & in turbas coniciebant, Thessalonicam reversi in ecclesiam neophytorum variis modis fuerint acerbi ac injurii.
12. Lucas non recenset modum, quo ecclesia Thessalonicensium sit formata. Hunc autem indicat Paulus 1. Thess. V, 12, 13. ubi ipsis reverentiam & obsequium erga doctores & antistites commendat, hoc ipso innuens, illos gregi Domini statim fuisse præfectos.
13. Et cum in florentissimo esset statu ecclesia illa, eidem nec dona Spiritus Sancti extraordinaria defuerunt 1. Thess. V, 19, 20, 21, etsi Lucas nulum eorum mentionem injiciat.
14. Quantum vero fructum epistola prior Athenis missa inter Thessalonicenses tulerit, posterior indicat statim sub initia c. I, 3. 4. ubi ipsos ab incremento fidei, & caritatis nec non patientiæ, insigni collaudat.
15. Nec a pseudodidascalorum infidiis & corruptelis Thessalonicenses immunes, at incorruptos tamen, iis temporibus mansisse, ex iis patet, quæ 2. Thess. II, 2, 3. leguntur. Videntur illi inter alia crimine falsi se obstrinxisse, in litteris Pauli nomine scriptis. Qui sane protervus imposturæ modus fuit.
16. Ingens autem certamen fuisse Paulo Athenis cum improbis & contumacibus, fidei repugnantibus, indicatum vide 2. Thess. III, 2.
17. Exstitisse tamen inter Thessalonicenses homines aliquot ἀτάκτους, tanquam lolia & steriles avenas inter triticum, Paulus non dissimulat, nec iis parcit, sed censuram adversus ipsos commendat, at evangelio dignam 2. Thess. III, 6-15.

18. Capita Apostolicæ institutionis quænam fuerint, conspicitur ex historia cum epistolis collata. Historia commemorat doctrinam de Christo. Epistolæ centrum hoc doctrinæ universæ multis in partibus extendunt ad peripheriam suam. Intellego autem ea tantum, ad quæ Paulus provocat, tanquam e vivæ vocis institutione jam accepta, uti sunt:

Doctrina evangelii generatim 1. Thess. I, 5, 6, 8. II, 4, 8, 9, 13.

Doctrina de vocatione, de regno Dei & de sanctimonia vitæ ea digna 1. Thess. II, 12.

Doctrina de mysterio crucis in tolerandis pro Christo afflictionibus. 1. Thess. III, 3, 4.

Doctrina de vita, generatim ad typum evangelii conformanda. c. IV, 1, 2.

Doctrina de rebus novissimis, adventu Christi &c. c. I, 10. V, 1, 2. 2. Thess. I, 10. c. II, 5, 15.

Doctrina de fati ecclesiæ, & speciatim de futura ingenti apostasia a fide 2. Thess. 5, 6.

Huc pertinet generatim mentio acceptarum & servandarum traditionum, quibus intelligit ὑποτάξασθαι doctrinæ universæ, nec non disciplinæ ecclesiasticæ. 2. Thess. II, 15. cujus pars agebat de coercendis illis, qui ἀτάκτως & περιέργως ambulabant. c. III, 10, 11.

§. XXV.

Revertimur ad cursum Pauli evangelicum. Beræa ATHENAS, Atticæ metropolin, deductus indignissimo ferebat animo, urbem istam ubique idolis refertam, & idolomania totam, quanta erat, esse immerfam. Quare, spiritu adversus impietatem istam excandescens, non expectatis, quos Beroeæ reliquerat, collegis, statim ab ea miseros homines avocare cœpit, facto tamen initio in synagoga, ubi Judæis & profelytis evangelium prædicavit. Et cum in publico quoque foro, ubi magna hominum frequentia esse solebat, ad obvios quosque diceret, incidit in philosophos nonnullos Epicureos & Stoicos. Qui quia pro pseudophilosophiæ suæ indole ac principiis a religione erant alienissimi, ab ipsis irrisus pro spermologo, seu absurdo nugatore, ab aliis pro novorum deorum nuntio, habebatur. Immo auditores isti circumforanei omnis generis Paulum apprehensum duxerunt in Areopagum, qui eminentior & præstantior urbis pars erat, & forum judiciale confessumque judicum præcipuorum continebat, pro curiosissima & novitatis cupidissima Atheniensium indole, ex eo audituri, quam novam adferat doctrinam. Act. XVII, 16. 21. Cui occasione non incommodæ ille serviens, publice magna cum parrhesia dicit, quod res est. Annuntiat ipsis DEUM illum, cui cæco consilio aram erexerant, incognitum,

tum, ita ut ipsos a simulacrorum cultu absurdissimo avocet, & viam, qua ad communionem cum Deo aditus detur, in ordine pœnitentiæ commonefret, subjuncto gravissimi ponderis argumento, ab extremo judicio ita defumto, ut simul attingeretur doctrina de morte & resurrectione Christi, & de fide ex oblatis gratiæ viribus in ipsum concipienda. v. 22 - 31. Non vero est dubium, quin Paulus hæc omnia, quorum summam tantum exposuisse videtur Lucas, pluribus exposuerit,

§. XXVI.

Ad illustrandum hunc Pauli sermonem sequentes faciant observationes:

1. In Paulo parrhesia insignis conjuncta erat cum non minori moderatone & prudentia. Excanduerat quidem spiritu adversus idolomaniam; non tamen per plateas discurrit sublatis clamoribus, nec simulacra diruit ac conculcat; sed eorum cultores de cultus sui vanitate gravi oratione convincit.
2. Ignotus ille DEUS, cui Athenienses peculiarem aram erexerant, procul dubio fuit verus DEUS Israelitarum; quemadmodum ipsa Pauli interpretatio indicat. Audiverant Athenienses jam dudum multa & optima quæque de Deo Judæorum: quæ vero notitia cum esset obscurior, etiam DEUM illum honoraturi jam tum antiquioribus temporibus ei aram dicarant, inscriptam Θεῷ ἀγνώστῳ. Conf. v. WITSIUS Melet. Leid. p. 83. & CALOV. in h. l.
3. Voce *sanguinis* v. 26. intelligitur *ortus & origo natalium*, more loquendi etiam poetis usitatissimo. Et *sanguinis* dicitur *unus*, seu *unius*, respectu Adami.
4. DEUS proponitur tanquam *palpabilis*, respectu notitiæ ejus manifestæ, seu e natura etiam facile colligendæ, sed a cæcis tamen Atheniensibus prætermittæ, aut corruptæ, speciatim per præjudicia philomoriæ Epicureorum ac Stoicorum. Palpare, seu attrectando quærere & incedere, proprie cæcorum est.
5. In DEO (ratione præsentis ejus generalis, secundum quam non est *procul a nobis*, sed nobis proximus & intimus) *vivimus & movemur* (ab ipso vitam & motum habentes: immo) *existimus*, ita ut ei, tanquam creatori & conservatori, ipsam existentiam nostram debeamus. Et is adeo non abest a rebus creatis, quemadmodum architectus abesse solet a domo, a se structa, ut non solum *ab ipso*, sed etiam *in ipso vivamus, moveamur & existamus*; alio tamen sensu in regno naturæ, alio in regno gratiæ.

G. He.

6. Hemistichion illud v. 28: τὸ γὰρ καὶ γένος ἑσμεν, est ARATI, poetæ Solensis, sub initium Phænomen. Astronomicorum. Quod Aratus de Jove dixerat, id Paulus recte Jehovah tribuit, utpote quem gentiliū saniores Jovis nomine intellexerunt.

§. XXVII.

Eventus concionis erat diversus, in aliis risus ac contemptus, in aliis vero admiratio, conjuncta cum desiderio plura audiendi; quod tamen minus sincerum fuisse videtur; quandoquidem Paulus Athenas mox reliquit. In nonnullis tamen aliis ipsa fides in evangelium producta est. Et in horum numero erat *Dionysius ὁ Ἀρεοπαγίτης*, quod officii & dignitatis nomen est, magistratui eximio, qui in Areopago, seu Martio pago, de capitalibus aliisque gravioris momenti rebus, judicia exercebat, competens. *Solon primum constituit Areopagitas*, verba sunt CICERONIS offic. L. I. c. 22. Illa vero, quæ de hujus Dionysii itineribus, miraculis & libris Hierarchiæ vulgo feruntur, commenta sunt Pontificiorum, ipsis Pontificiis prudentioribus fatentibus, nominatim LAUNOJO, SIRMONDO, PETAVIO, ELLIE DUPIN. Non tamen dubitandum est, Dionysium auctoritatem suam, qua pollebat, contulisse ad rem religionis christianæ ornandam. Et fortasse factis aliquot egregiis præclarum inter christianos nomen fuit: sed ea, ut pro suo quisque ingenio fingat, sine monumentis antiquitatis, nostrum non est. *Damarin* vero, quæ etiam conversa dicitur, Dionysii fuisse conjugem, incertum est, cum Lucas pronomen αὐτῆς omittat. Unam tamen e primariis Atheniensium matronis fuisse, non est dubium, cum præ aliis omnibus sui sexus nominata sit. Verisimile est, etiam in conversione horum contigisse singularia quædam, sed a Luca, uti plurima alia, omissa. Quamdiu Paulus Athenis fuerit moratus, non potest quidem certo defini: videtur tamen ad minimum aliquot hebdomadas, si non menses aliquot, ibidem substitisse. Nam ibidem primum Timotheum & Silam expectavit, donec Beroea, ubi relictī erant, advenirent: id quod sine mora aliqua fieri non potuit, quia illis, qui Paulum illinc Athenas deduxerant, prius Athenis Beroeam erat revertendum; siquidem per hos Paulus Timothei & Silæ adventum urfit. c. XVII, 15. Deinde postquam advenerant, Paulus Athenis maluit solus relinquere, eosque misit inde Thessalonicam i Thess. III, 1, 2. quod Lucas non commemorat. Timotheus vero inde reversus (v. 6.) Paulum non amplius Athenis, sed inde jam digressum Corinthi invenit. Act. XVIII, 5. Atque ita interjecto ista spatio longiore ecclesia Atheniensium formari potuit, iis etiam, qui plura audiendi desiderio tenebantur, si sincerum illud fuit c. XVII, 27. uberius instructis. Athenis Paulus per Satanam fuit impeditus, quo minus ipse Thessalonicenses posset revisere.

visere.

visere. Unde sui loco Timotheum & Silam misit. 1. Theff. II, 17, 18. c. III, 1. seqq.

§. XXVIII.

Hæc gesta sunt Athenis. Inde profectus Paulus venit CORINTHUM non longe distitam, quam CICERO pro lege Manilia *lumentotius Græciæ vocat*. FLORO L. II. c. 16. *Corinthus est Achajæ caput, Græciæ decus, inter duo maria, Jonicum & Ægeum, quasi spectaculo exposita*. Et hinc dicta est ἀμφιθαλάσσιος, *bimaris*, in medio Isthmo sita, duos habens portus, Cenchræum ad mare Ægeum, & Lechæum ad mare Jonicum, ideo mercatura per Asiam & Europam florentissima, opulenta & simul valde luxuriosa: deleta quidem a Romanis duce L. Nummio, eodem, quo Carthago evertebatur, tempore; at a Julio Cæsare instaurata mox pristinum splendorem recuperavit, adeo ut summæ advenis admirationi esset, & magnificentia sua peregrinos spectatum invitaret. Unde HORATIUS Epist. L. I. ep. 17.

Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

CHRYSOSTOMUS Præfat. 1. ad Corinth. Corinthum vocat πόλιν μεγάλην καὶ πολυάνθρωπον, καὶ πλάττῃ καὶ σοφίας ἕνεκα θαυμαστὴν, καὶ ἑλλάδος τὸ κεφάλαιον, *urbem magnam, frequentissimam, opibus ac philosophiæ studiis admirandam, & Græciæ caput*. De urbis pulchritudine vide STRABON. Geograph. L. X. & CICERO. orat. in Rullum c. 32. item de Nat. Deor. Lib. III. sub fin. Conf. SUETON. de Corinthiorum luxu, per Tiberium circumciso, in vit. Tib. c. 14. De veteris autem Corinthi ære, ejusque pretio, consule PLINIUM Hist. Nat. L. XXXIV, 2. & PLUTARCH. libello de oracul. Pyth.

§. XXIX.

Corinthi Paulus statim sub adventum percommode, nec sine singulari Dei providentia, incidit in Judæum quendam, nomine *Aquilam* (a metaphraste illo V. T. qui sub Adriano vixit, diversum) & gente Ponticum, qui cum conjuge sua *Priscilla* (quæ 2. Tim. IV, 19. Prisca vocatur) ex Asia migraverat Romam, ibique religionem christianam fuerat amplexus: inde vero ab imperatore Claudio cum Judæis & Christianis aliis expulsus Corinthum concesserat paulo ante Apostoli adventum. Act. XVIII, 1, 2. Edictum hoc Claudii etiam SVETONIUS commemorat in vita ejus c. 25. *Judæos, iniqui, impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit*. Chrestum hunc *Christum* esse, vix esse potest dubium. Hunc vero homo paganus tumultum facit auctorem ex calumnia, vel potius ex ignorantia, seu errore, quod audiverat, *Christi* causa motus oriri & augeri inter Judæos, hisce eos, qui evangelium de ipso prædicatum amplectebantur, gravissimo odio prosequen-

M

sequen-

sequentibus, & apud magistratum accusantibus. Cui malo ut mederetur imperator, posthabita causæ cognitione, edictum promulgavit de Judæis urbe expellendis, christianis sub communi Judæorum nomine procul dubio simul comprehensis. Bene GISBERT. CUPERUS in notis ad librum Lactantii de mortibus persecutorum p. 126: *Per Chrestum procul dubio Christum, Dominum nostrum, intelligit: eumque ita vocabant, quia Chrestus erat nomen Romanis usitatum, uti ex Inscriptionibus & Ciceroe L. II. ad famil. 8. patet.* De edicto autem Claudii hæc habet DIO CASSIUS *Histor. Roman. L. X. Cum Judæi, inquit, adeo iterum Romæ frequentes fierent, ut difficulter sine tumultu propter multitudinem urbe possent exigi, & ἐξήλασε μὲν, non ejecit quidem eos, patriis tamen legibus viventes convenire vetuit.* Quod testimonium facile conciliatur cum locis Lucæ & Svetonii, si dicamus, mandatum illud imperatoris mox fuisse suspensum, & executione caruisse. Et hoc est, quod comprobatur locus alter Lucæ Act. XXVIII, 17. seqq. ubi Judæorum Romæ a Paulo convocatorum fit mentio. Quid? quod idem c. XIX, 21. memorat Pauli desiderium Romanos videndi. Quod indicio est, jam scivisse ipsum, Christianos Romæ tolerari. Ceterum pertinet huc locus Rom. XVI, 3. ubi Apostolus Romanos Aquilæ & Priscillæ nomine salutatur, subjuncto egregio ipsorum encomio, Conf. 1. Cor. XVI, 19. 1. Tim. IV, 19.

§. XXX.

Apud Aquilam & Priscillam Paulus hospitium nactus est Corinthi percommodum. Erant enim utrique natione Judæi, religione christiani & opere manuario textores tabernaculorum, seu aulæorum ac velorum, quæ ad tentoria & res similes adhibebantur. De hac Pauli arte jam dictum est supra Sect. I. cap. 1. Et hanc ipsam jam alibi strenue exercuerat, præconio Evangelii junctam, speciatim Thessalonica. vide 1. Theff. II, 9. 2. Theff. III, 8. ubi testatur, se eidem noctu etiam fuisse operatum: quamquam, pro more loquendi Hebræis usitato, *nox vespertini & matutini temporis pars est.* Plane peculiare fuit Paulo, quod, cum publicis cujusvis ecclesiæ sumtibus vivere posset, ut alii Apostoli, de jure suo cesserit, partim ut sine ullo vel minimo auditorum onere versaretur in præconio evangelii, partim ut pseudapostolorum insidias ac calumnias eo retunderet efficacius. Illi enim ventri serviebant, quærentes, quæ sua erant, quamvis aucupantes occasionem obtrectandi. Confer omnino 2. Cor. XI, 12. Hæc de Pauli *παρέργω*. Ἔργον ejus erat in Evangelio Christi inter Judæos & gentes diffundendo. Et in hoc etiam Corinthi præcipuam posuit operam. Nam singulis sabbatis synagogam ingressus disputabat cum *Judæis & Græcis*, ita ut ipsis veritatem evangelii persvaderet. v. 4. Græcorum autem nomine hic intelligendi sunt profelyti, etiam latiori sensu tales, de quibus supra in aliis

aliis

aliis locis. Græcos enim idololâtras ut hic intelligamus, non permittere videtur mentio synagogæ, uti & series sermonis Lucæ; utpote qui demum v. 6. memorat, quâ ratione Paulus a Judæis ad gentes se converterit. Quamquam nihil obstat, quo minus verba commatis 4. posteriora: ἐπειθέτε Ἰουδαίους καὶ Ἕλληνας, generatim accipiamus de utriusque generis auditoribus, quos Paulus Corinthi habuerit intra & extra synagogam.

§. XXXI.

Interea Timotheus & Silas, quos Beroea Athenas reversos Paulus Athenis denuo in Macedoniam miserat ad Thessalonicenses Act. XVII, 15. 1. Thess. III, 1. 2. Thessalonica redierant, & Paulum non amplius Athenis, sed jam Corinthi invenerant. Act. XVIII, 5. Ubi cum ipsi optima quæque nuntiarent de statu ecclesiarum Macedonicarum, præcipue Philippensis, 1. Thess. III, 6 occasione nuntii istius lætioris Paulus ingenti Spiritus Sancti impulsu agitated sanctoque pii zeli fervore exæstuans, Judæis demonstrabat, Jesum illum notissimum esse Messiam, patribus promissum ac dudum expectatum. Act. XVIII, 5. Judæis autem ad blasphemix crimen usque obnitentibus, Paulus, vestibus suis in eos excussis, ipsos deserebat: *Sanguis*, inquit, *super caput vestrum, mundus ego posthac ad gentes vadam.* Sic verbis & factis testabatur, immunem se esse ab eorum exitio, suæ ipsorum pertinaciæ imputando. Excussio vestium, seu pulveris vestibus adhærescentis, symbolum erat sublati omnis commercii, conveniens cum symbolo excussorum pedum c. XIII, 5. Matth. X, 14. Marc. VI, 11. Luc. IX, 5. Phrasis: *sanguis super caput vestrum*, alias de homicidis dicitur. Sed ea hic etiam emphasin suam habet, quam non inepte OECUMENIUS in h. l. ita exprimit: Τὸτο λέγει ὁ Παῦλος, ἐκτιναζόμενος τὰ ἱμάτια κ. τ. λ. Hoc dixit Paulus excussis vestibus, ut non verbo solum, sed & opere eos terreret; ideoque cum hoc vehementius protulisset: *sanguis vester super caput vestrum, ab eis discedit.* Est autem ac si diceret: unusquisque eorum, qui a Christo, qui vita est, discedunt, se ipsum judicatur occidere, transiens a vita ad mortem, sanguinem suum quodammodo fundens per cædem, quam sibi ipsi infert. Hoc itaque dicit: Quoniam vos ipsos incredulitate jugulatis, hujus facti vos ipsi causam subite, quam ego culpa caream. Hinc autem colligere licet, quod, qui se ipsum jugulat, judicium homicidæ subit ac supplicium apud Dominum.

§. XXXII.

Paulus a Judæis repudiatus, & gentium salutem nunc impensius curaturus (Conf. supra c. XIII, 46.) ipsum etiam hospitium, quod adhuc in domo Aquilæ & Priscillæ habuerat, mutavit, non quod ab iis esset offensus, sed ut iis parceret, ne sua causa Judæorum odiis premerentur, & ut Græcorum animos sibi conciliaret, demonstraretque, se ipsorum præcipue esse

Apostolum. Ideoque divertit in domum *Justi* cujusdam, natione Græci, at Dei cultoris sinceri, ab idolomania alieni, atque ita profelyti, latiore sensu talis, qualis erat Cornelius Cæsareæ. Et cum hujus *Justi* ædes synagogæ essent contiguæ, vicinia ista Paulus procul dubio usus est ad Judæorum invitationem, ut eorum, qui melioris erant indolis, animos oblata occasione sibi ac evangelio conciliaret. v. 7. Nec enim existimandum est, ea, quæ verbis & gestibus adversus Judæos declarata fuerant, generatim ad omnes pertinuisse. Quod quo minus statuamus, obstat exemplum *Crispi*, archisynagogi, utpote qui cum universa familia sua in Dominum credidisse dicitur v. 8. cujus exemplum tam eximium quin alii etiam, evangelio excitati, secuti fuerint, non est dubium; etsi Græcorum applausus, cum ipsa fide conjunctus & baptismi ritu confirmatus, major fuerit ac frequentior, seu a pluribus datus. *ibid.*

§. XXXIII.

Quanquam Paulus robusto esset animo, eumque gereret afflictionibus quibusvis superiorem; tamen non mansit sine lucta. Et hanc Corinthi videtur habuisse graviolem. Quid? quod Paulus hoc ipsum ipse fateatur 1. Cor. II, 3. Quare ne ea ipsius alacritas frangeretur, aut aliquantum retusa imminueretur, Dominus, majorem, qui instabat, tumultum, prævidens, ipsi adstitit, peculiari illum prosphonesti per nocturnam visionem dignatus: *Noli, inquiens, timere, sed loquere & ne taceas*; addita ratione duplici, una a divina parastasi, omne discrimen amolitura, altera ab insigni lucrificandorum multitudine, quam DEUS Corinthi habeat, desumta: *Propterea quod ego sum tecum, & nemo adorietur te, ut affligat te; quoniam populus est mihi multus in hac urbe.* v. 10. Confer Jo. XVII, 6. Qua divina exhortatione excitatus & quasi armatus, divinoque præsidio munitus, Paulus Corinthi annum unum & sex menses est commoratus, totumque istud temporis spatium in plantanda & ordinanda ecclesia quam saluberrime transegit, & ita quidem ut etiam ad acquirenda ea, quæ ad vitam tolerandam necessaria erant, manuum suarum operi in *σκηνοποιία* vacaret. Act. XVIII, 9, 10, 11. Conf. 1. Cor. IX.

§. XXXIV.

Judæi vero, incremento evangelii in majoris obstinationis ac hostilitatis occasionem verso, factaque conjuratione, Paulum in judicium rapiunt summum ipsius Achajæ proconsulis, *Gallionis*. Erat is frater *Seneca* natu major, in juventute *Novati* nomen habens, at postea, ubi per adoptionem in Julii Gallionis familiam transferat, Gallio dictus. Eidem Seneca inscripsit libros de *Ira* & de *vita beata*, in epistolis ipsum *dominum suum* honorifice vocans. Qui cujus indolis fuerit, ex hoc Senecæ testimonio liquet, quan.

quando in *Præfatione ad Natural. Quæstion. L. IV. Gallionem, inquit, fratrem meum nemo non parum amat, etiam qui amare plus non potest. Cæpisti mirari comitatem & incompositam suavitatem: quæ illos quoque, quos transit, abducit, gratuitum etiam in obvios meritum. Nemo enim mortalium uni tam dulcis est, quam hic omnibus: cum interim tanti naturalis boni vis est, uti artem simulationemque non redoleat.* De eodem, cum Achajæ esset præfectus, epist. CIV. hæc habet: *istud mihi in ore erat Domini mei Gallionis, qui cum in Achaja febrem habere cæpisset, protinus navem adscendit, clamitans, non corporis esse, sed loci morbum.* Conf. PEARSON. in *Annal. Pauli ad annum Chr. LIII.* Ad hujus Gallionis tribunal proconsulare ducitur Paulus, eique temeratae Mosaicæ legis, mutatique divini cultus, crimen impingitur v. 12. 13, Paulum autem causam dicturum antevertit Gallio, rei cognitionem in negotio religionis plane detrectans, tanquam ad se, causarum civilium judicem, haud pertinentem v. 14. 15. 16. Qua ratione animum prodidit moderatum quidem, at simul justo leviolem, de religione Judæorum & christianorum revelata, quam tamen muki alii Latinorum Græcorumque consideratione dignissimam habuerant, uti & de liberatione Pauli, parum sollicitum, etli data occasione admodum eximia. Quo responso accepto Græci gentiles, a Judæis instigati coram ipso tribunali insurgunt in *Sosthenem*, synagogæ principem, Crispi collegam, vel ejus loco moti successorem, eumque cædunt, quod Judæorum causam frigidius egisset, immo Paulo faveret, fortasse publice etiam pro innocentia ejus testimonio dicto. Gallio autem hic rursus boni judicis officio deest, injurias istas nec verbis, nec factis, seu pœnis, castigans. Videtur sibi ipse a tumultu metuisse.

§. XXXV.

Corinthei Paulus scripsit *epistolas ad Thessalonicenses*, omnium, quæ in codice novi fœderis exstant, primas. Et priorem quidem, postquam Timotheus, quem cum Sila Athenis Thessalonicam, ipse eo redire impeditus 1 *Thess. II, 17. 18.* miserat 1 *Thess. II, 1. 2. 3.* cum eodem, inde ad Paulum, jam Corinthei agentem, reversus florentem ecclesiæ istius statum ipsi descripserat 1 *Thess. III, 6. seqq.* Act. XVIII, 5. Hoc enim nuntio excitatus statim priores ad eam litteras dedit: quemadmodum ex eodem loco 1 *Thess. III, 6. seqq.* colligitur. Et hanc ipsam ab causam, quod *Timotheus & Silas*, seu Silvanus, a Paulo Thessalonicam missi & inde reversi eidem Corinthei optima quæque de Thessalonicensibus narraverant, & ibidem a latere ejus habebant Act. XVIII, 5. non suo tantum, sed conjunctim eorum etiam nomine epistolam inscripsit. Et posteriorem epistolam, in qua ad priorem provocat c. II, 15. itidem *Corinthei* esse scriptam, ex hoc colligitur indicio, quod Apostolus, cum eam scriberet, adhuc Timotheum & Silam habebat in contubernio.

M. 3.

bernio.

bernio suo, seu in præconii societate, ideoque ipsorum etiam nomine hanc quoque epistolam inscribit. Certe eam Athenis datam non esse, uti subjuncta scribarum clausula habet, ex eo manifestum est, quod ne prior quidem, etsi eandem habet clausulam, ibi scripta est, cum Paulus eam scribens jam tum Athenis discesserat, ut jam ostensum est. Ipsi librarii pro certo supposuerunt, utramque eodem in loco exaratam fuisse, & quidem Athenis, ex eo, quod reditus Timothei terminum fixerunt Athenis, secundum loca Act. XVII, 15. 1 Thess. II, 1. 2. 6. qui tamen figendus erat Corinthi secundum locum 1 Thess. II, 6. conferendum cum Act. XVIII, 5.

§. XXXVI.

Dispiciendum nunc est, ane etiam hoc historiarum momentum, quod utraque epistola ad Thessalonicenses Corinthi scripta est, cum statu Pauli Corinthiaco collatum, aliquid lucis adferat partim epistolis, partim rebus Pauli Corinthiacis. Declarabo illud aliquot observationibus.

1. Paulus in utriusque epistolæ inscriptione sibi jungit *Silam & Timotheum*, quia illi Athenis Thessalonicam missi 1 Thess. II, 1. seqq. ad ipsum redierant Corinthum Act. XVIII, 5. quod quidem jam antea notatum est.
2. Quia Paulus, cum has epistolas scriberet, degebat Corinthi, metropoli Achajæ, ideo in priori c. I, 7. 8. testari poterat, Thessalonicenses factos esse typos fidelium in Achaja, utpote ad quos Evangelium inde e Macedonia cum egregia *ἰωδία* personuerit.
3. Paulus, Corinthi ad Thessalonicenses scribens, eo confidentius poterat ad operas suas manuaris provocare 1 Thess. II, 9. 2 Thess. III, 8. quo constantius iisdem Corinthi vacabat Act. XVIII, 3. 1 Cor. IX.
4. Timotheo & Sila a Thessalonicensibus reversis Paulus vehementiori Spiritus afflatu incitabatur ad evangelium Judæis prædicandum Act. XVIII, 5. Qui affectus quomodo excitatus sit, Paulus indicat 1 Thess. III, 6. seqq. ubi scribit, se insigniter erectum & recreatum fuisse iis, quæ Timotheus de egregio Thessalonicensium statu retulerit.
5. Lucas quidem non memorat, Paulum etiam ante adventum Timothei & Silæ Corinthi adversa esse expertum Act. XVIII, 1-5. At Paulus hoc indicat 1 Thess. III, 6. 7. 8. 9. testificatus, se per ipsum Timothei adventum multa consolatione fuisse perfusum in omni sua afflictione & necessitate. Hunc vero confirmati animi affectum per subsequitas novas afflictiones, quas Lucas Act. XVIII, 6. refert, denuo fuisse diminutum, ex illa colligitur prophonesi, qua ipsi trepidanti Deus animum addidit, eodem Luca teste v. 9, 10. *No time*, inquit, κ. τ. λ.
6. Paulum Corinthi & aliis in locis plus impedimentorum & difficultatis invenisse in constitutione ecclesiæ, quam Thessalonicæ, liquet ex 2 Thess. III, 1. 2.

III, 1. 2. ubi simul ipsorum se precibus commendat, ut ab hominibus absurdis & malignis, qui fidei obicem ponant, liberetur. Ceterum Paulum jam ante, quam Corinthi epistolas scripsit ad Thessalonicenses, plures alias scripsisse ad alios evangelii causa, e clausula ista posterioris epistolæ colligitur, ubi: *salutatio, inquit, mea Pauli manu: hoc est signum in OMNI epistola: sic scribo.* Hoc autem monitum ideo speciatim huic posteriori epistolæ subjungit, quia c. II, 2. mentionem fecerat litterarum, a pseudapostolis suo Pauli nomine suppositarum. Eas vero Pauli epistolas, quas Deus ecclesiæ non conservavit, nec eidem necessarias esse judicavit.

§. XXXVII.

Hæc hæctenus de statione Pauli in Achaja, quam habuit Corinthi, A qua priusquam discedamus, restat, ut consideremus, quomodo ex illa illustrari possit utraque, quam ad Corinthios scripsit, epistola, nec non ex his ipsa historia.

1. Paulus, anno post plantatam Corinthi ecclesiam sexto, Ephesi ad eam scribens in ipsa inscriptione sibi jungit *Sosthenem*, nimirum illum ipsum synagogæ principem, qui Corinthi veritatis evangelicæ causa a Græcis e Judæorum instigatione coram proconsulari tribunali fuerat cæsus. Act. XVIII, 17. Ex quo tempore is adeo in christianismo, afflictione illa confirmatus, profecit, ut Paulus non dubitaret eundem Ephesi, ubi ab ipsius latere hærebat, sibi tanquam collegam in epistola adjungere. 1 Cor. I, 1.
2. Paulus 1 Cor. I, 4. seqq. prædicat *divitias illas spirituales*, quibus Corinthii ditati fuerint per receptum evangelium Christi. Et ad has ipsas eo feliciter ac facilius pervenire potuerunt Corinthii, quo diutius apud ipsos commoratus erat Paulus, nimirum annum unum & sex menses Act. XVIII, 11. quod spatium fortasse numerandum est ab illo Dei alloquio nocturno, quod Lucas v. 9. memorat.
3. *Crispus* ille, quem Paulus sacro baptismi fonte abluit, 1 Cor. I, 14. quis fuerit, indicat Lucas c. XVIII, 8. eum vocans synagogæ principem, *Sosthenis* antecessorem, vel collegam. Gaji vero, quem Paulus 1 Cor. I, 14. *Crispo* jungit, Lucas nullam facit mentionem; uti nec familiæ *Stephanæ*, quam Paulus memorat 1 Cor. I, 16.
4. Præter *Crispum* & alios Judæos, etiam multi Græci dicuntur *baptizati*. Act. XVIII, 8. Paulus vero negat, se eis baptismum contulisse. Ergo in hoc negotio occupatus fuit Lucas, uti & *Timotheus* & *Silas*, utpote qui jam tum Thessalonica redierant Act. XVIII, 5. Nec improbabile est, etiam *Aquilæ* in eodem suas fuisse partes, uti & piæ ejus conjugi, *Priscillæ*,

- scillæ, quantum quidem ad baptismum foeminarum attinet, cui illa saltem subserviisse videtur, quemadmodum τὸ πρέπον verecundiæ postulabat.
5. Corinthus abundabat *philosophis* & litterarum studiis, sed vanissime collocatis; ideo Paulus 1 Cor. I. & II. animos inde avocat, suum isti vanitati exemplum in prædicato evangelio opponens.
 6. Paulus scribit, se apud Corinthios fuisse in *infirmi- tate*, & in *timore ac tremore multo* 1 Cor. II, 3. Hoc quidem præterit Lucas Act. XVIII. indicat tamen, Paulum excitatum esse ad parrhesiam & ad prædicandum ἀφόβως, primum afflatu aliquo Spiritus Sancti vehementiore, deinde divino alloquio: *ne time* &c. v. 5. 9. 10. Unde, tanquam e consequenti antecedens, de Pauli sibi relictæ timore & hæsitatione facile potest judicari. Et quod priori ad Corinthios epistola vocat infirmitatem, timoremque ac tremorem, id in epistola ad Thessalonicenses priori, quam Corinthi scripsit, ipsi est θλίψις καὶ ἀνάγκη, *afflictio & necessitas*, c. III, 7. & ibidem 2 Thess. III. v. 2. expetit *liberari ab absurdis & malignis hominibus*.
 7. *Ditati* quidem erant Corinthii bonis & donis spiritualibus, sed ita tamen, ut hærerent circa prima christianismi *elementa*, & non nisi merum *lac* ipsis esset præbendum 1 Cor. I, 5. III, 1. 2. Id quod mirum est eo magis, quo diutius Paulus in constituenda ecclesia commoratus est, secundum testimonium Lucæ Act. XVIII, 11. nimirum annum integram & sex menses.
 8. Lucas simpliciter tantum refert, Paulum *docuisse Corinthios verbum Dei* c. XVIII, 11. sed hoc Paulus egregie declarat, quando inter alia testatur 1 Cor. III, 6. seqq. se plantasse ecclesiam Corinthiacam, se fundasse & struxisse eam super fundamentum unice verum, JESUM Christum.
 9. Paulus scribit c. IV, 17. se Timotheum ad Corinthios evangelii causa remisisse: Lucas, Timotheum Pauli fuisse parastatam in ecclesia plantanda. c. XVIII, 5. Unde ipsis usui esse poterat eo majori.
 10. Indicatum est supra, Corinthios, pro urbis splendore & rerum omnium affluentia, maxime deditos fuisse *superbiae, luxuria & scortationi*. Et hoc est, quod Apostolus in priori epistola passim reprehendit, ab isto cœni volutabro, ne ad illud revertantur, ipsos dehortans. c. IV, 6. seqq. 18. 19. V, 1. 9. 11. VI, 9. 10. 13. seqq. VII, 2. seqq. X, 8.
 11. Lucas commemorat, multos Græcos Corinthi fuisse conversos, Judæorum conversorum nulla mentione facta, nisi Crispi & Sosthenis. At ibidem multos quoque Judæos evangelio credidisse, liquet ex epistola priori

priori

priori c. VII, 18. 19. ubi de circumcissione & præputio, olim tali, dicit, quod res est.

12. Lucas refert, Paulum ad *Aquilam ὁμότεχνον* Corinthi divertisse, & operi manuario vacasse præter evangelii præconium, c. XVlll. v. 3. Et hoc est, quod Paulus pluribus declarat 1 Cor. IX. 2 Cor. XI, 7. seqq. Unde colligitur, ipsum etiam postea, cum Judæorum causa ædes Aquilæ reliquisset, in eodem instituto perseverasse nimirum in ædibus Justi. v. 7.
13. Paulus Corinthi ita fuerat versatus, ut Corinthiorum conversio ipsi esset sigilli instar in apostolatu. 1 Cor. IX, 2.
14. Corinthus, in Isthmo inter Mare Ionicum & Aegeum sita, certamina varii generis Martialia habebat in ipso Isthmo. Unde Paulus ad ea, tanquam ad rem notissimam, provocat 1 Cor. IX, 24. seqq.
15. Traditiones a Paulo per annum & sex menses acceptæ Act. XVlll, 11. 1 Cor. XI, 2. erant capita doctrinæ & disciplinæ ecclesiasticæ.
16. Quemadmodum Paulus baptismum in ecclesia Corinthiaca administrandum curaverat Act. XVlll, 8. 1 Cor. I, 14. seqq. ita eidem etiam ritum solennem sacrae cœnæ tradidit 1 Cor. XI, 23.
17. Plurimam Corinthiorum converforum partem antea fuisse gentiles, auctor est Lucas Act. XVlll, 6. 8. & confirmat Paulus 1 Cor. XII, 2. scribens, ipsos, tanquam gentiles, olim idola muta coluisse.
18. Lucas quidem non commemorat charismata, quibus ecclesia Corinthiaca fuerit instructa: At in hac materia multus est Paulus 1 Cor. XII. & XIV. Unde de aliis ecclesiis eadem fere possunt supponi, etsi nec Paulus in epistolis multam charismatum mentionem faciat.
19. Lucas generatim refert, Paulum Corinthiis verbum Dei prædicasse c. XVlll, 11. & Judæis quidem speciatim, Jesum esse verum Messiam. Hoc autem doctrinæ evangelicæ centrum Paulus egregie declarat 1 Cor. passim, præcipue c. I, 30. III, 11. XV, 1. seqq.
20. Stephanum cum suis, quibus Paulus ipse baptismum contulit, primitias fuisse inter conversos in Achaja, atque ita etiam Corinthi, Lucas non memorat; sed Paulus 1 Cor. XVI, 15. Unde denuo perspicitur, Aquilam, Romanum illum advenam, ad quem Paulus Corinthi divertebat, jam tum Romæ fuisse conversum. Et Stephanum istum in presbyterorum numero deinceps fuisse, ex eo colligas, quod Paulus Corinthiis submissionem & obsequium erga ipsum & plures alios injungit. v. 16.
21. Aquilam vero & Priscillam, in quorum ædibus Paulus Corinthi primo tempore diversabatur, Act. XVlll, 2. Corinthi non retinuisse sedem fixam, sed inde Ephesum migrasse, liquet e salutatione, quam, inde

N

ipso-

- ipforum nomine Corinthiis nuntiat c. XVI, 19. Huc pertinet ipsa Lucæ narratio c. XVIII, 18. qua cum Paulo Corinthe discessisse dicitur.
22. Paulus Timotheum sibi etiam in inscriptione epistolæ posterioris ad Corinthios jungit, quia ipsum in ecclesia ista plantanda habuerat paratam, & quia deinceps ipsum ad illam cum priori epistola remiserat 1 Cor. IV, 17. & nunc, posteriorem in Macedonia scribens, ipsum a latere rursus habebat.
23. Lucas refert, Timotheum & Silam Thessalonica venisse ad Paulum Corinthum. Unde illustratur locus 2 Cor. I, 19. ubi Apostolus scribit, Jesum Christum, filium Dei, esse Corinthiis prædicatum a se & Sila ac Timotheo. De modo prædicationis sincero & simplicissimo vide denuo 2 Cor. I, 12. II, 17. & de ejusdem efficacia 2 Cor. III, 3.
24. Ecclesia Corinthiaca etsi præcipue e conversis gentilibus constitit secundum Lucam Act. XVIII, 6. 7. tamen admodum fuit labefactata per pseudodidascalos judaicæ gentis 2 Cor. XI.
25. Lucas non enarrat miracula, quibus Paulus doctrinæ suæ veritatem inter Corinthios demonstraverit: at ea edita esse, Paulus ipse testatur, ad Corinthiorum notitiam provocans. 2 Cor. XII, 12.

§. XXXVIII.

Nunc iter Pauli prosequamur. Corinthe, ubi post tumultum a Gallione haud sedatum adhuc diu subsisterat Act. XVIII, 18. cum Aquila & Priscilla per ambages itineris Hierosolymitani in Syriam navigaturus, fratribus valere jussis, descendit Cenchreas, in portum Corinthi Asiaticum, ubi Christiani erant Rom. XVI, 1. ibique pro ratione voti caput suum tondet. Ephesum vero, Corinthe orientem versus oppositam, delatus ingreditur synagogam & in ea religionis christianæ semina spargit. Rogatus, ut diutius ibidem maneret, non annuit, caussatus, instantis festi (paschatos, ut probabile est) dies Hierosolymæ sibi agendos esse, subjuncta reditus sui promissione. Atque ita conscensa nave venit Cæsaream, non Cappadociæ, aut Ciliciæ, sed Palæstinæ, quæ secundum CALOVIUM in h. l. 170. miliaria ab Epheso distat. Cæsarea vero *adscendit*, nempe Hierosolymam, de cujus aditu hoc verbum usurpari solet, & *visitavit ecclesiam*. Hic vero non diu moratus descendit *Antiochiam*, unde ante annos quatuor cum Sila ad expeditionem evangelii Asiaticam & Græcanicam fuerat digressus Act. XV, 40.

41. Narratio Lucæ hic admodum concisa est.

§. XXXIX.

Paucis hic considerandus est locus Lucæ de *tonsura Cenchreenf*, v. 18.

- 1) Quæritur, *cui ea tribuatur?* Verbum *κείραμενος* referri potest vel ad *Aquilam*, cujus nomen *αΐσιος* præcedit, & ideo nomini Priscillæ postpositum esse

esse videtur, quia construendum erat cum participio *κείραντες*: vel ad *Paulum*, respectu habito partim ad nomen ipsius & verba paulo remotius antecedentia, partim ad verba commatis 19, quæ de Paulo, ut præcipuo sermonis subjecto, dicuntur, & cum verbo *ἔιχε*, quod de tonso dicitur, eandem habent structuram. Unde hunc sensum priori præfero. 2) Quæritur, quale votum fuerit? Plerique de Naziræatu interpretantur. Sed hæc sententia suis premitur difficultatibus, etsi GROTIUS id facile dem, extra Judæam Judæos legi Mosis ceremoniali non adeo fuisse adstrictos. SALMASIUS cum aliis nonnullis habet pro voto civili Judæorum peregrinantium: non ante capillum tondebo, quam ad illum locum pervenero. Sed huic sententiæ obstat, quod Paulus in hoc itinere portum Cenchreensem non habuerit pro itineris sui termino, ad quem tetenderit, sed potius pro eo, unde sit digressus. Quare mihi placet sententia doctissimi PETITII Var. Lect. cap. III. sciscitentis, verba: *nam habebat votum*, non continere causam tonsuræ, sed accelerati discessus & itineris, & referenda esse ad eam mentis destinationem, qua Paulus certas ob causas firmiter decreverit circa instans festum Hierosolymæ comparere, quemadmodum mentem suam Ephesiis, ipsum detinere volentibus, declaraverit. v. 21. Tonsuram vero dictus auctor refert ad eam Pauli consuetudinem, quod omnia factus sit omnibus, ita ut Paulus, cum antehac apud Corinthios gentiles, apud quos comam alere signum fuerit hominis ingenui, comam aluisset, Hierosolymam aditurus eam more Hebræorum deposuerit. Corinthios fuisse comatos pugnare quidem videtur cum loco 1 Cor. XI, 14. sed expirat hæc difficultas, si distinguas inter cæsariem marium mediocrem, & comam mulierum valde promissam, quæ, viros dedecebat.

§. XL.

Restat, ut ad ductum Lucæ, paucis subjungatur historia *Aquile & Priscille*, nec non *Apollo*. Notitia *Aquile & Priscille* his absolvitur momenti:

1. Ortu erant Judæi & natione Pontici, e Ponto regione minoris Asiæ, quæ ad Pontum Euxinum sita ab ortu habebat Colchidem & Armeniam, ab occasu Galatiam & Paphlagoniam, a meridie Cappadociam.
2. Hi, incertum, qua de causa, migrant Romam, ibique religionem christianam amplectuntur.
3. Roma vero per edictum Claudii (quod tamen mox suspensum fuit) cum Judæis & christianis aliis expulsi veniunt Corinthum, paulo ante Pauli adventum, ibique habitant, peculiari domicilio conducto.
4. Corinthi Paulo advenæ hospitium præbent, & per ejus ministerium, quod res ipsa comprobat, aucta cognitionis & fidei mensura, in religione

- gione christiana insigniter confirmantur. Et quia ὁμότεχνοι erant, conjunctim in σκηνοποιία occupati sunt. Vide hæc quatuor momenta Act. XVIII, 2. 3.
5. Paulum Corinthe abeuntem deducunt navali itinere Ephesum usque Act. XVIII, 18.
 6. Ephesi commorantur diutius, Paulo inde in Palæstinam digrediente. v. 19. 20. 21.
 7. Cum Apollos, Judæus Alexandrinus, jam tum religionis christianæ rudimentis imbutus, Ephesum venisset, eaque docuisset publice, eum ad se vocatum in religione christiana uberius instruunt. Act. XVIII, 24. 25. 26.
 8. Ephesi adhuc agebant, cum Paulus eo reversus Act. XIX, 1. priores litteras ad Corinthios scriberet: unde eorum nomine ipsos salutat. Erant enim Corinthiis, inter quos annum & sex menses amplius habitaverant, (Act. XVIII, 2. 11. 18.) notissimi. 1 Cor. XVI, 19.
 9. Deinceps, cum audivissent, Judæos & Christianos, exolescente edicto Claudii, Romæ tolerari, reversi sunt Romam. Unde Apostolus ad Romanos scribens eos salutat & singulari ornat encomio, quod pro ipsius salute suam ipsorum cervicem supposuerint, nimirum Ephesi præcipue Rom. XVI, 3. 4.
 10. Denique redierunt in Asiam, ubi hæserunt a latere Timothei. Quare Paulus in posteriori ad Timotheum epistola eos salutat. c. IV, 19. Quæ profectuum serie observata multa scripturæ loca illustrantur, quæ alias sine serie ista collata multum difficultatis habent.

§. XLI.

Nunc etiam nonnulla de *Apollo* addenda sunt:

1. Erat is gente Judæus, patria Alexandrinus, vir disertissimus, spiritu ac pietatis studio fervens, olim discipulus Joannis baptistæ, ab eodem in nomen Jesu Christi baptizatus, & in scripturis, pro suo christognosia mensura, potens. Act. XVIII, 24. seqq.
2. Hic post discessum Pauli venit Ephesum, ibique in synagoga Judæorum ferventi spiritu evangelium Christi prædicat. ibid.
3. Cum vero cognitio ejus adhuc vario laboraret defectu, pro disciplina Joannis; Aquila & Priscilla, qui Paulum Corinthe Ephesum deduxerant Act. XVIII, 18. ipsum advocatum uberiori de Messia & ejus regno notitia instruunt. Quam is demisso animo promptissime & cum gaudio admittit. ibid.
4. Uberiori christognosia instructus proficiscitur in Achajam Corinthum, & a christianis Ephesinis ecclesiæ Corinthiæ de meliori nota commendatur. ibid.

§. Co.

5. Corinthi ecclesiae prodest plurimum, collatis Scripturarum testimoniis Judæos quam efficacissime convincens, Jesum illum Mariæ filium, doctrina & miraculis inclytum, esse verum Messiam, patribus promissum. *ibid.*
6. Tanta deinceps auctoritate apud Corinthios vixit, ut ecclesiae Corinthiacae in doctorum partes scissae pars quaedam ab ipso denominaretur, graviter id improbante Paulo, Apollon tamen laudante, quod a se plantata rigasset. 1 Cor. I, 12. III, 4. 6. Quo posteriore loco de Apollo rigante quemadmodum egregie illustratur locus Lucae Act. XIX, 27. 28. sic hic eodem redditur illustrior.
7. Corintho Apollos profectus est Ephesum ad Paulum, fortasse ad ipsum missus cum Corinthiorum epistola, cujus fit mentio 1 Cor. VII, 1. Cum vero Paulus Corinthiis responderet epistola priore, Apollos detrectavit ad ipsos statim redire, reditu dilato. 1 Cor. XVI, 12. In Creta ipsum fuisse a latere Titi, & inde a Paulo una cum Zena in Macedoniam arcesitum, e Tit. III, 9. discimus.
8. Quae fuerit dissensionum inter Corinthios occasio, quae ratio, e LIGHT-FOOTO non inepte ita declarat HERMANNUS WITSIUS *Meletem. Leidens. p. 105.* LIGHTFOOTUS observat Ecclesiam Corinthiacam fuisse bipartitam, ac constitisse partim ex Judæis, partim gentilibus conversis. Pars gentilitia forte Pauli nomen praeferebat, ut patris ac patroni Christianorum ex gentibus, & ab Aquila & Priscilla, Pauli discipulis, edocta. Pars altera Cepha, qui circumcisionis Apostolus & circumcisorum fautor erat, ac Christi, qui & ipse non nisi Judæis predicaverat. Ultraque iterum bipartita fuisse videtur. Ex gentibus quidam Paulum praecipue laudaverunt, utpote primum apud ipsos Evangelii fundatorem, cujus sermo simplex & stylus humilis, tradendis doctrina Christiana rudimentis perquam idoneus, ipsis res non verba sectantibus apprime placuisset. Alii Apollon praetulerunt, ut doctorem profundiorum, elegantiorum, comitiorum: quippe qui ad sublimiores ipsos meditationes eveberet, & simul oratorio magis dicendi genere uteretur. Qui vero ex Judæis erant, eorum aliqui Petrum maxime coluerunt ob rationem modo allegatam: alii Christi nomen praetulerunt, fortasse ipsum in doctorum ordinem redigentes, eoque gloriantes, quod coram in patris suis predicantem audiverint. Nihil enim impedit, quo minus tales aliquot Judæi Corinthi tunc exstiterint. Paulus quamvis improbet factiosas ejusmodi denominationes, tantum tamen abest, ut invidet Apollon sibi equiparari, & a quibusdam atque in quibusdam anteponi, ut contra in laudes ipseus exspatiatur, nihilque magnifice de ipso sentiri vetet, modo ne excedantur limites ministri.

Not. Hæc hæctenus de historia Pauli usque ad eum vitæ articulum, quo epistolas illas, quæ adhuc hodie existant, scribere cœpit. Quæ cum e conditione locorum gentilium, ad quæ missæ sunt, vulgo videri soleant foliis gentilibus conversis scriptæ esse, re autem vera Judæis christianismo addictis magna ex parte destinatæ sint, appendicis loco huic capiti subjungam doctam Cl. JO. BRAUNII, Theologi Batavi, Disquisitionem, in qua hoc argumentum ex instituto tractavit. Legitur illa in Selectis Sacris p. 6. seqq.

SYNOPSIS.

<p><i>In epistolis Apostoli de Judæis maxime fuerunt solliciti. §. I.</i></p> <p><i>Etsi per multi eorum, ad quos epistola scripta sunt, fuerunt gentiles. §. II--V.</i></p> <p><i>Precipua tamen in iis ratio habitæ est Judæorum, longe lateque dispersorum, §. VI--VIII.</i></p> <p><i>Id quod, eos fuisse dispersos habitasse, etiam e sacris litteris probatur. §. IX. X.</i></p>	<p><i>Judæi ubique fere locorum Synagogas habuerunt. §. XI.</i></p> <p><i>In quibus evangelium prædicarunt Apostoli. §. XII.</i></p> <p><i>Non solum Judæos, sed gentiles etiam adversarios experti. §. XIII.</i></p> <p><i>Judæi facilius potuerunt ad Christum adduci quam gentiles. §. XIV. XV.</i></p> <p><i>In primis illi, qui inter gentes erant dispersi. §. XVI.</i></p>
--	---

§. I.

Maxima difficultas, quæ & multorum jamdiu torfit ingenia, & ad quam multi impingunt, est: utrum viri isti *sancti*, vera fide ad *Jesum Christum conversi*, quos Apostolus in Epistolis alloquitur, fuerint *Gentiles* natione, an vero *Judæi*? an potius utriusque nationis? Sunt qui circa hæc misere halucinantur, sibi que persuadent, aliisque inculcare summopere student, eos fuisse *Gentiles*, ad religionem in *Jesum Christum conversos*, quod nonnullorum scriptis aliquoties animadverti, & ore mihi plus semel est oppositum; unde factum est, ut sensum, ab Apostoli intentione toto cælo dederint diversum, in plurimis ejus Epistolarum locis. In quem errorem eo facilius delapsi sunt, cum *Romani, Corinthii, Galatæ, Ephesii, Philippenses, Colossenses, & Thessalonicenses*, in medio *Gentilium*, non in *Judea* sedes suas habuerint. Erant enim civitates celebres, *Roma, Corinthus, Galatia, Ephesus, Philippi, Colossus & Thessalonica*, urbes atque regiones *Italia, Græcia & Asia*, extra *Judeam*, in medio *Gentilium*. In eodem errore doctissimus quoque hæsit Ludov. Capellus, *Appendice ad Hist. Apostolorum pag. 44.* Atque, inquit, *pleræque omnes Pauli Epistola scriptæ sunt ad gentes ad Christi fidem conversas.* Sed male, ut ex sequentibus meridiana luce clarius fiet. De *Judæis Paulum maxime fuisse sollicitum*, eosque in magnos incidisse errores, velo

velo Moſis occæcatos, nec jugum ſervitutis a ſe deponere potuiſſe, ut ſeria & graviffima admonitione perpetuum & fere ubique, ad deſerendam legem carimonialem opus habuerint, ex omnibus fere Epiftolis probabimus.

§. II.

In omnibus iſtis Eccleſiis multos fuiſſe natione *Gentiles* non ſolum profelytos, ſed & ex ipſa Gentili ſuperſtitione ad Chriſtum converſos, dubitari neutiquam poteſt. Cum autem Apoſtoli Evangelium prædicaverint *Gentilibus*, non minus quam *Judeis*, etiam poſtea ad eos Epiftolas ſcripſerunt, ut in doctrina & moribus ſani conſervarentur, in fide & pietate indies creſcerent & augerentur. Eſt Chriſtus primum Apoſtolos miſerit ad ſolos *Judeos*, addita etiam prohibitione, ne abirent ad *Gentiles*, Matth. X, 5. 6. Quamvis Chriſtus ſupremus iſte medicus venerit, ut ſanaret & ſervaret Iſraelem ante reliquos populos omnes, Matth. XV, 24. cum *neceſſum fuerit, Judeis primum exponi verbum Dei*, Act. XIII, 26, 46. nihilominus tamen & ipſis *Gentilibus* tandem exponi debebat, prædicentibus id ipſis Prophetis, Eſ. II, 2. 3. & XI, 9. & XXVII, 9. & XLV, 23. & XLIX, 6. Pf. XXII, 3. & XXIV, 5. & LXXVI, 5. Dan. II, 34. & VII, 13. 14. Vide & Actor. XIV, 46. 47. & XV, 16. quod etiam ſumma diligentia præſtiterunt Apoſtoli. Noverant DEum nunc eſſe DEum *Gentilium*, non minus quam *Judaorum*, Rom. III, 29. Prædicarunt Evangelium *ſtultitiam Græcis*, æque ac *ſcandalum Judeis* 1. Cor. I. *Potentiam ad ſalutem omni credenti, primo quidem Judeis, deinde tamen etiam Græcis*, Rom. 1, Sed & *dona Spir. S.* effuſa ſunt ſuper *Gentiles* non minus quam ſuper *Judeos* Act. XX, 45. & XV, 8. & *porta fidei Gentilibus aperta eſt* Act. XIV, 27. Ipſi *Gentiles Verbum DEI recepiffe, credidiſſe, & ad reſpiſcentiam adducti dicuntur* Act. XI, 1. 18. Ob eandem cauſam *Judæi* vocantur *credentes ex circumciſione*, ut a *Gentilibus* credentibus diſtinguerentur. Act. X, 45. *Gentes vero fratres ex Gentilibus.* Act. XV, 23. Vehementer etiam gavifi fuerunt, Deumque glorificarunt, audientes ſibi Evangelium eſſe prædicandum. Act. XIII, 48. multique crediderunt Act. XIV, 1. 2.

§. III.

Ideo Evangelium *Gentilibus*, inter quos erat *Cornelius*, potenter prædicatum eſt a Petro Act. X, 34, 35. & III, 46. - 48. & XIV, 1. 8. 14. --- & XV, 3. 7. 14. ut non recte judicaverint ſancti e *Judeis*, *Petrum non debuiſſe abire ad Gentiles.* Act. XI, 1. & XV, 3. Id Petro cœlitus juſſum fuit elegantiffimo ſymbolo, per linteum omnibus animalium generibus repletum. Act. X, 12. ut inde diſceret: quemadmodum, abolita lege cibaria, nunc libertatem acceperat omnia animalia tangendi & comedendi, non obſtante veteri præcepto, quod in Eccleſia Judaica audiri ſolebat, *netangas, ne comedas.* Col. II, 16, 21. ita & omnes *populos, gentes & nationes* in poſterum, in doctrina

ctrina

strina veritatis Evangelicæ edocendos esse, & in futurum cum omnibus pacem & fraternam charitatem esse colendam.

§. IV.

Si ullus Apostolorum, sane & Paulus Evangelium prædicavit *Gentilibus*, ubique locorum, in *Italia*, in *Græcia*, in *Syria*, in *Asia*, in *Arabia*, & inde (non solum *Hierosolymis*) usque in *Illyricum* & *Romam*. Rom. XV, 19. Act. 19, 20. Prædicavit in *Pisidia Antiochia*, in *Iconia*, ubi multi *Gentiles* erant & *profelyti*. Vide Act. XIII, 4. 14. 42. 43. & XIV, & XV. 3. 16. & XX, *Lystrensibus Gentilibus* Act. XIV, 8. *Bereensibus Græcis* Act. XVII, 12. *Atheniensibus*, ubi erant *Philosophi Stoici*, *Dionysius Arcopagita* & *Damaris* credebant. Act. XVII, 16. -- Prædicavit per totam *Aham*, cum *Judeis*, tum *Græcis*, id est *Gentilibus* Act. XIX, 10. Nec mirum, cum ad *Gentes* fuerit missus, Act. XXII, 21. Rom. I, 5. ut non in merito se ipsum dixerit ἀπόστολον καὶ διδάσκαλον ἐθνῶν Rom. XI, 13. 1. Tim. II, 7. 2. Tim. I, 11. factum se *debitorem Græcis & Barbaris* Rom. I, 14. 16. Ideo inter reliquos *Gentiles*, non minus quam inter *Romanos*, *habuit utilitatem* Rom. I, 13. Dum esset apud *Corinthios*, decreverat se *a nunc abiturum ad Gentiles* Act. XVIII, 6. Intellexit nempe se Evangelium prædicaturum, non tantum *Judeis*, quos ibi alloquebatur, sed & *Gentilibus* ubique locorum.

§. V.

Quandoquidem Apostoli *Gentilibus* Evangelium prædicarunt, non mirum esset, si diceretur, etiam ad eos Epistolas fuisse conscriptas, ut in veritate confirmarentur. Quid? Nonne ipse primus conventus *Hierosolymitanus* curam habuit maxime *Gentilium*, ut Apostoli ipsi ipsis sententiam per epistolam exposuerint, & sanctos legatos ad eos miserint? Videatur Act. cap. XV, 1 -- 30. Habemus ibi sane epistolam excellentissimam Apostolorum, ad solos *Gentiles* in Christum credentes scriptam.

§. VI.

Nihilominus tamen Ecclesias istas, ad quas Apostoli præsertim Paulus Epistolas suas scripsit, magis ex *Judeis*, quam ex *Gentilibus*, fuisse collectas, existimamus. Nam etsi inter *Gentiles* vixerint, quibus etiam Evangelium prædicatum fuit, nulla tamen est ratio, ob quam credamus, eos fuisse *Gentiles*, aut ex *Gentilibus* conversos, magis quam natione *Judeos*: cum doctis ex historiis undique constet, temporibus Christi & Apostolorum, *Italiam*, *Græciam*, *Asiam*, *Ægyptum* *Judæis* ubique abundasse: ut facile credam iis qui tradunt, tempore Apostolorum, majorem fuisse numerum *Judeorum* in *Ægypto*, quam tempore *Mosis*.

§. VII,

§. VII.

Dispersi fuerunt in omnes fere partes totius orbis habitabilis, in *Parthiam, Mediam, inter Elamitas, in Mesopotamiam, Cappadociam, Pontum, Asiam, Phrygiam, Pamphyliam, in Ægyptum, Lybiam, Cyrenam, Italiam, Cretam, & Arabiam*: uti constat vel ex illis tantum, qui die Pentecostes, ad celebrandum festum Hierosolymis convenerant. Actor. II. In *Syria, Damasci, in Græcia, Athenis, in Phœnicia, Cypria, & Antiochia, Pisidia, in Iconia, Salami, Berea, Troade, Perge, Derbe, & inter Lystrenses*, habitasse ingentem numerum Judæorum, clarissimum est, ex Actis Apostolorum, cap. 9, 11, 13, 14, 15, 17, 18, 19, 20. Plurimos quoque fuisse, *Roma, Corinthi, Ephesi, Philippic, Colossis, Thessalonice, & in Galatia*, ad quos Paulus scripsit Epistolas, ex iisdem Actis patet. Cap. 17, 18, 19, 20, & 28. Clarius hoc demonstrabimus, ubi quamlibet Ecclesiam atque Epistolam, ad quam Paulus scripsit, seorsum examinaverimus.

§. VIII.

Quid? Nonne *Judæi* dicuntur in toto fuisse mundo? Testatur hoc exsertis verbis rex *Agrippa*, apud *Josephum, de bello Judaica, libr. 2.* Non enim (ait Rex alloquens Judæos) est in toto orbe populus, in quo non ex vobis pars quadam sit. Quare colligit, caute esse agendum cum Romanis, ne per seditionem irritentur, totaque natio patiatur, non solum Hierosolymis & in tota Judæa, sed & per totum terrarum orbem, ubi magno numero reperiebantur. Idem *Josephus Antiqu. Jud. Lib. XIII. cap. III. ab Asia Regibus Judæos honoratos testatur, & Seleucum Nicanorem in conditis a se per Asiam & inferiorem Syriam urbibus, in ipsa denique metropoli Antiochia, jus civitatis eis dedisse, voluisseque pari ibi cum Macedonibus ac Græcis conditione degere, quo jure nunc quoque vivunt inter eos homines.* Legantur sequentia. De ingente Judæorum numero in Ægypto, tempore Maccabæorum, vide *Maccab. IV. Philo Judeus, De Legatione ad Cajum*, pluribus in locis, plurima habet, ex quibus manifesto constat: Judæos per omnes provincias Asiæ, Africæ & Europæ fuisse dispersos; Jus Civitatis habuisse, in *Prosenachis, Synagogis, & Academiis*, Legem & Traditiones Patrum docuisse, & antiquo quidem more, jam tempore Cæsaris: *Tiberium mandasse omnibus Provinciarum presidibus, ut in omnibus Civitatibus huic Genti parcerent. Babylonem & multas alias Satrapias a Judæis teneri. In Provinciis Asiæ Syriæque, in omnibus Civitatibus habitare Judæos. Jam tempore Cæsaris, antiquo more, eos cæcus fecisse contulisseque pecunias, quas mitterent Hierosolyma.* Memoria digna sunt, quæ habet ibidem: *Illud etiam cogitabat, quam populosa esset hæc natio, non ut aliæ comprehense unius regionis spacio, sed totum pene orbem passim incolens. Diffusa est enim per continentis provincias omnes atque insulas, adeo (NB.) ut non multo pauciores sint indige-*

digenis. Non minus digna sunt quæ idem paulo post habet, de Judæorum multitudine, per orbem disperforum: Pro sancta vero Civitate, hæc adferre licet; eam, uti dictum est, meam esse patriam metropolim, non unius regionis Judææ, sed & plurimarum, propter colonias, quas olim misit in finitimam Ægyptum, Phœnicien, Syriam, tum aliam, tum eam quæ Cælo nominatur: etiam longius in Pamphiliam, Ciliciam, in multas Asia regiones, usque in Bithyniam & in Ponti sinus. Eodem modo in Europam, Thessaliam, Bœotiam, Macedoniam, Ætoliã, Atticam, Argos & Corinthum, in plurimas & precipuas Peloponensi partes. Non tantum continentis regna Judæorum coloniis plena sunt, sed & insularum celeberrima Eubœa, Cyprus, Creta. Silentio prætereo transeuphratenses; omnes enim, parva excepta parte Babylonis aliarumque præfecturarum, regiones, quæ optimum habent agrum, Judæos habent cultores. Igitur si mea patria tuam exorat clementiam, non una civitas, sed myriades aliæ beneficentiam experientur, in omnibus terræ habitabilis tractibus: in Europa, Asia, in Lybia, locis insulares, maritimi & mediterranei. Quis ex hisce non clarissime videt, Judæos, tempore Apostolorum, & jam multo antea dispersos fuisse, per totum fere terrarum orbem per Europam, Asiam & Africam? Non fuisse exules aut profugas ob persecuciones tempore Christi & Apostolorum ortas, sed jam tempore priorum Imperatorum, veteres ubique fuisse colonos, ab ipsis Judæis Imperatoribusque colonias ad omnes orbis partes habitabilis fuisse deductas.

§. IX.

Post Alexandri M. expeditionem jam magnus numerus Judæorum erat in Græcia, ut in ejus exercitu etiam stipendia fecerint. Ptolomæus quoque Lagus magnam Judæorum multitudinem statim post Alexandri obitum, in Ægyptum traduxit, illisque Alexandria jus civitatis dedit. *Joseph, contra Apion. lib. I. & Antiquit. libr. XII. cap. I.* De his legatur sive verus sive fabulosus *Aristeas*. Nonne Ptolomæus alter nempe Philadelphus Judæorum legem in græcam converti curavit linguam? procul dubio non tam ad ornatum suæ bibliothecæ, quam in usum Judæorum, qui habitant in Ægypto, & alibi in Græcia, & in Asia, ubi lingua græca, post Monarchiam græcam sub Alexandro M. familiaris facta fuerat, teste Cicerone in oratione, *pro poëtâ Archia*; quare & omnes fere populi, præter Judæos, *Graci* dicuntur, eoque nomine Judæis opponuntur ab Apostolo. Et hoc, certissimum est, quamvis Judæi omnes mercaturæ non fuerint dediti, ut qui vivebant a mari remoti, fertilem occupantes agrum rei agrariæ & pecuniariæ incumbentes, testante eodem *Josepho*, nihilominus tamen dubitari nequit, istum populum, saltem multos ex eo mercaturæ addictissimos fuisse, jam inde a temporibus Salomonis, qui naves misit in orientem usque in insulam *Ophir*, id est *Ceilon*, ut a viris doctis explicatum est, & regna vicina,

vicina,

vicina. Hæc cum magna usura commode fieri non poterant, nisi Judæorum quidam inter istos populos sedem figerent, ad observanda tempora, commoditates ad majora lucra. Postea *Josaphatus* & *Ochozias* Reges *Jehudæ* & *Israelis*, paratis navibus merces mittebant in Pontum ac emporia *Thraciæ*. *Ioseph. Antiq.* l. 9. cap. 1. Quis non colliget ex captivitatibus, primo *Salmanassaris*, qui decem tribus integras transtulit inter peregrinos populos, & postea ex *Babylonica*, factum esse, ut multi *Judæi*, integræ familiæ, pluribus in locis sedes fixerint, numerosam prolem paulatim procreaverint, ad tantum multitudinem accreverint, ut indigenis numero vix cederent, quemadmodum supra ex *Philone* audivimus? Fixas itaque sedes, & suas habitationes, ubique locorum, in Europa, Asia atque Africa, jam ab antiquissimis temporibus, habuerunt *Judæi*.

§. X.

Testatur idem verbum Dei. Paulum *lites movisse inter Iudæos per mundum habitabilem* legimus *Act. XXIV, 5.* Non itaque sine causa dicebatur in *dispersione Græcorum Jo. VII, 35.* quare & *græci* ibidem vocantur, quia inter *Græcos*, pluribus in locis, habitabant, quemadmodum & *Græci*, ob eandem rationem nominantur. *Act. IX, 29.* ubi *Belgæ* non male vertunt, *De Griekse Joden* id est *Iudæi Græci*. Apud *Petrum* 1. *Ep. Cap. I, 1.* legimus de *electis*, qui sunt *dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ*, cum dispersi fuerint, non solum per *Græciam & Italiam*, sed & per *Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam*; nisi hos credamus mixtos ex *Judæis & Gentilibus*, per omnes istas terras dispersos. *Jacobus Apostolus* clavis verbis docet, intelligendos esse *dispersos Iudæos*. Loquitur enim de *duodecim tribubus*, quas, sine alio epitheto, *dispersas* tantum dicit, non quod solum inter aliquot populos dispersi fuerint, sed inter omnes gentes: *duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione Jac. I, 1.* Dicuntur autem *Judæi dispersi*, non quod inter *Gentiles* fuerint exules ad evitandam aliquam persecutionem, quales fuerunt illi, qui ex *Judæis* conversis, a *Saulo*, ne in crudelibus ipsius inciderent manus, aufugerunt, de quibus *Act. VIII, 1. 4.* Vide etiam *cap. XI, 19.* sed qui in locis istis fixas jam diu habuerunt sedes, aut potius ibi nati fuerunt, quales fuerunt *Parthi, Medi, Elamitæ*, habitantes in *Mesopotamia*, in *Cappadocia, Ponto, Asia, Phrygia, Pamphylia, Ægypto* in partibus *Lybiæ & Cyrenæ, Romani Cretes & Arabes*, quemadmodum ibi legimus.

§. XI.

Hi omnes fuerunt *Iudæi*, vel natione ex *Israele* oriundi, vel religione, quales erant *Profelyti. Act. II, 8.* Non autem in istas terras profugerant, nec exules ibi habitaverunt; sed domicilia in istis locis habuerunt fixa, juribusque civitatum gaudebant; uno verbo, nati ibi fuerunt, ipsis fatentibus

tibus Act. II, 8. πῶς ἀκούομεν ἕκαστος τῆ ἰδίᾳ διαλέκτῳ ἡμῶν ἐν ἧ ἐγενήθημεν. Πάρθοι καὶ Μῆδοι καὶ Ἑλαμίται. *Quomodo audimus sua quisque lingua, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Elamita, & quæ sequuntur. Talis & ipse Paulus fuit, Iudeus natione, ex tribu Benjaminis. Rom. XI, 1. Phil. III, 5. Hebraeus natus ex Hebrais, utroque nempe parente Iudeo, patre & matre: non ex patre Hebræo & matre gentili, vel ex matre Hebræa & patre gentili, quales istis temporibus reperiebantur, inter quos & Timotheus ex patre græco, sed matre Iudæa. Act. XVI, 1. quos sancti Judæorum nepotuli כּוּחַלְכּוּחַ profanos dicunt, & de quibus Talmudici operose in codice Kidduschim: Paulus, inquam, etsi Judæus ex patre & matre, tamen, ipso fatente, natus erat Tarsus Cilicie. Act. XXI, 39. & XXII, 3. Manifestum igitur est, Iudeos tempore Apostolorum, per totum fere terrarum orbem fuisse dispersos, non minus quam hodie nostris temporibus, post deletam Remp. Judaicam.*

§. XII.

Sed & ubique sua habuerunt loca publica, ubi sacra faciebant. Vix ulla erat civitas gentilium, in Asia, Syria, Arabia, Græcia, Italia, in quibus non fuerint Synagogæ æque ac in ipsa Judæa. Habuit sane Moses in qualibet civitate, qui eum docebant singulis Sabbathis in Synagogis. Quod si quis intelligat de civitatibus, non solum in Iudæa, sed & de aliis sub imperio Romano, forte non longe a vero aberrabit. Synagogas fuisse Damasci, Salami in Cypria, Antiochia, in Iconia, Thessalonica, Berea, Athenis, Corinthi, Ephesi, testatur Lucas. Act. IX, 2. & Cap. 13. 14. 17. 18. & 19. De Proseucha Philippensi Act. XVI, 12. 13. Tacebo Synagogas Hierosolymis Libertinorum, Cyreniorum, Alexandrinorum, eorum qui erant in Cilicia & in Asia, de quibus Act. VI, 9. Hi populi non minus in patria, quam Hierosolymis in Judæa, suas habuerunt Synagogas. De Libertinorum Proseuchis, etiam trans Tiberim, jam tempore Augusti, videatur Philo Judæus de legatione ad Cajum. Sed & sua templa & fana habuisse in Ægypto non minus constat. Non mirum si & ibidem Synagogas dicamus. Neapoli, variisque regionibus aliis fuisse Proseuchas & Synagogas, Samaritanorum aliorumque Judæorum, docet Epiphanius de hæresi Massalianorum ab initio. Romæ Synagogam fuisse in ædibus Aquille & Priscille, est valde credibile, si attendamus ad Rom. XVI, 5. Act. XVIII, 2. & 1 Cor. XVI, 19. Sic & Colossis & Laodicea, suas habuisse in ædibus privatorum, colligitur ex Ep. ad Coloss. IV, 16. Talis fuit in ædibus Philemonis versu 2. Sed quis ignorat fuisse ecclesias, i. e. Proseuchas & Synagogas ubique inter gentiles? Testatur Apostolus Paulus Rom. XVI, 4.

§. XIII.

§. XIII.

In omnibus istis locis Evangelium prædicarunt Apostoli, & in ipsis quidem Synagogis. Sane plurimis in locis, viros sanctos docuisse, non solum data occasione, sed deliberato consilio, ad majorem fructum, in ipsis, inquam, synagogis, ex Evangeliiis, Actis & Epistolis, manifesto patet. Fateor id non factum fuisse sine magna difficultate: cum miseri operculo Mo-
 sis occæcati, se veritati omnibus viribus opposuerint. Erat enim Evan-
 gelium *scandalum Judæis*, non minus quam *stultitia Gentilibus* 1 Cor. I. A *Judæis*
 ejiciebantur ex synagogis, ipso servatore prædicente Luc. VI, 22. Joh. IX, 22.
 34. 35. Fuerunt *Judæi*, qui Stephanum martyrio affecerunt. Act. VI. & VII.
 Quænam *Judæorum* fuerint molimina *Damasci*, ut perderent Apostolos, do-
 cet Lucas. Act. IX, 23. 24. Omni studio quærebant Paulum, & ne crudelibus
 suis manibus evaderet, *portas civitatis clauserunt*. Id a *Judæis* fuisse factum,
 claris verbis docetur ibidem. *Judæi* invidi *Antiochiæ* fuscitarunt mulieres
 pias & honoratas cum primoribus civitatis, ut persequerentur Paulum &
 Barnabam, ut e sua regione ejiceretur. Act. XIII, 45. Nonne fuerunt *Judæi*
 qui tam acriter sese opposuerunt in *Iconia*, & qui incitarunt gentiles adver-
 sus fratres? Act. XIV, 2. 4. 5. *Judæi* sane fuerunt *Antiochenes* & *Iconienses*
 qui populum impulerunt contra Paulum, ut eum lapidarent. commate 5.
 & 19. Qui *Thessalonicæ* turbam incitarunt in Paulum & Silam, & qui eos
 accusarunt, alium habere Imperatorem quam Cæsarem, *Judæi* fuerunt Act.
 XVII, 5. 6. 7. A *Judæis* persecutionem passi sunt, *Ephesi* & alibi in *Asia* Act.
 XIX, & XX, 19. Sed & Paulus vehementer conqueritur de *falsis fratribus*, per
 quos intelligit, *Judæos ex circumcissione* Phil. III. Et in periculo fuit a *falsis fra-*
tribus. A *Judæis* quinquies accepit *quadragenas plagas, una minus*. 2 Cor. II, 25. 26.
 Nec mirum est Apostolos tanta passos a *Judæis*, tot ipsis ab eis opposita fuis-
 se obstacula, in prædicatione Evangelii: cum & ipsum Christum, regem
 gloriæ, quem Apostoli prædicarant, crucifixerint. Patet itaque Evan-
 gelium non sine multis magnisque difficultatibus prædicatum fuisse inter
 Judæos.

§. XIV.

At non *Judæi* solum se opposuerunt; idem a *Gentilibus* factum fuisse
 se, non minus ex verbo Dei constat. Erat sane Evangelium de Christo
 crucifixo *stultitia Gentilibus*, non minus quam *scandalum Judæis* 1 Cor. I. Paulus
 fuit in periculo a sua natione, id est *Judæis*; sed & a *Gentilibus* 2 Cor. II, 26.
 A *Judæis* in Apostolos facile se incitari passi sunt. Act. XV, 5. 19. *Gentiles*
Philippis non solum prædicationi restiterunt, sed & magna contumelia af-
 fecerunt Apostolos, qui Evangelium annunciarunt, *virgis eos cedebant, multis*
 plagis

plagis percutiebant, in carcerem projiciebant. Act. XVI, 20. 21. Idem factum est Ephesi. Quanta ibi passi sint mala a *Gentilibus* idololatriis, per Demetrium suscitatis, patet Act. XIX. Sancti inter Thessalonicenses gravia passi sunt a propria natione, id est ab ipsis *Gentilibus*, æque ac a *Judeis* 1 Thess. II, 14. Nisi locus iste de *Judeis* intelligendus sit, de quo suo tempore. De hisce vide quoque Lucam. Act. XVII. Horrenda passus est Paulus Romæ, immo ipsam mortem per tyrannidem Neronis. Proscripti ab Imperatoribus, immo eorum crudelitate mortem fere omnes obierunt. Colligo itaque non minus Evangelio restitisse *Gentiles*, quam *Judæos*.

§. XV.

Inde facile crederem, minori difficultate ad Christum adduci potuisse *Judæos*, quam *Gentiles*. Saltem certum est, habuisse causas, quibus ad fidem in Christum converterentur, quas non habuerunt *Gentiles*. Istis, non hisce, DEUS dederat verbum & statuta sua, mysteria redemptionis manifestavit, Redemptorem per tot Prophetas, tot typos, tot picturas, per tot sæcula promisit, de quibus, non sine causa, gloriatur Psaltes Ps. CXLVII. & post eum Paulus inter tot loca, Act. XIV. ad Romanos cap. III. *Judeis* datum fuerat non *Gentilibus* observare *signa temporum*, quando quo tempore, sub qua Monarchia, quo loco, qua matre, ex qua familia nasciturus sit Messias, docente ipso servatore Mat. XVI. ut inde facile potuerint colligere, tempus beatum illud jam adesse, Messiam revera venisse, aut numquam venturum; quæ sane *Gentiles*, hæcenus in profundissimas ignorantia atque idololatriæ tenebras dejectos, latebant.

§. XVI.

Prius itaque edocendi erant de hominis miseria ob peccatum, inde egredi propriis viribus neminem posse, nec Deo unquam litari taurorum, hircorum, agnorum, aliorumque animalium sanguine, sed solum supremum Deum, supremæ satis facere justitiæ parem dignumque esse: adeoque a Deo peccatoribus *θεάνθρωπων* esse promissum ad æternam animarum, amara & ignominiosa morte crucis, acquirendam redemptionem. Istum redemptorem vera fide esse amplectendum, in remissionem peccatorum, & ad obtinendam vitam æternam. Hæc omnia *Gentilibus* erant *stultitia*: cum hæcenus omnia eos latuerint. Et quamvis etiam fuerint *σκάνδαλον* *Judeis*, tamen id intelligendum est de impiis mundanis solum, qui *Mosi* & *Prophetis* non credebant Joh. V, 38. usque ad finem, non de piis sanctisque, qui ad prophetias & typos attenti fuerunt, quibus annumerari possunt *Josephus*, *Simæon*, *Zacharias*, *Nicodemus*, *Josephus Arimatheus*, multique *Judæorum* alii, non ex vulgo, sive *populo terra* tantum; sed ex ipsis etiam primoribus & sacerdotibus,

dotibus, de quibus Luc. I. & II. Joh. III. Luc. XIII. Matth. XXVII. Joh. XIX. Act. VI, 7. Duo Gentilibus inculcanda fuere: Primo promissum fuisse ab ipso Deo ejusmodi Messiam, sive redemptorem Deum & hominem. Ipsum Deum nasciturum, hominem futurum, & immortalem moriturum; deinde jam venisse, eum esse *JESUM Nazarenum*, filium *Mariæ*, Hierosolymis crucifixum. At nonnisi hoc unum proponendum fuit sanctis *Judæis*, Tempus, quo Messias promissus debuit nasci, elapsum esse, diutius eum non esse expectandum, redemptorem istum sive Messiam promissum jam venisse, illumque esse *JESUM Nazarenum*. Multo igitur facilius ad fidem adducendi fuerunt, quam cæci idololatræ *Gentiles*.

§. XVII.

Addo, verisimile esse: *Judeos*, qui habitabant istis temporibus inter *Gentiles*, in *Asia*, *Græcia*, *Romæ* & alibi, ad veritatem Evangelicam minori difficultate adduci potuisse, quam qui Hierosolymis & in reliquis *Judææ* civitatibus sua habebant domicilia: cum hi splendore Hierosolymorum, forma Reipublicæ, umbra alicujus jurisdictionis magni Synedrii, & gloria sacerdotii, quod ante oculos quotidie habebant, majori fascino excæcati difficilius, veteribus relictis, ad Christum converti potuerint, quam, qui ingentia propagationi Evangelii fuerunt obstacula, Sacerdotes, Scribas, Pharizæos, & reliquos Principes populi Hierosolymitani aliarumque Terræ Sanctæ civitatum. Hi omnem moverunt lapidem, ut progressus veritatis Evangelicæ ubique sufflaminarent, ne, populo ad Christum converso, honores, auctoritatem, redditus, atque lucra amitterent, quæ alibi in *Asia*, in *Italia*, in *Græcia*, inter gentiles locum non habuerunt, ut tot ibi impedimenta Apostoli non habuerint. Hinc facile colligi posse existimo, Apostolos cæterosque Christi doctores, apud *Judeos* inter gentiles dispersos, majores fecisse progressus, quam apud eos, qui habitaverunt Hierosolymis, aut alibi in *Judæa*. Neminini itaque mirum videri debet, si affirmamus, Apostolos omni animo, omni contentione atque labore, in eo fuisse, ut ad Christum adducerent *Judæos* illos, qui domicilia sua habuerunt inter *Gentiles*: quod non solum concionibus, & prædicatione præsentibus præstiterunt, sed & absentes per Epistolas.

CAPUT

CAPUT IV.

DE

EXPEDITIONE PAULI PER ASIAM ET
GRÆCIAM ITERATA USQUE AD VINCULA
HIEROSOLYMITANA ET CÆSAREANA.

Act. XVIII, 23. XIX. XX. XXI, 1 -- 14.

SYNOPSIS.

Paulus Antiochia digressus Galatiam & Phrygiam obit. §. I.

Et inde venit EPHESUM, ubi tribus annis commoratur. §. II.

Hic aliquot Joannis discipulis charismata Spiritus Sancti impertit. §. III.

Docetque publice primum in synagoga Judæorum, deinde in schola Tyranni. §. IV.

Confundit exorcistas, maligne æmulos. §. V.

Cum eventu confessionis & crematorum librorum. §. VI.

Epheso in Macedoniam iturus Timotheum præmittit. §. VII.

Hic etiam Paulus scribit priorem epistolam ad Corinthios. §. VIII.

E qua loci, ubi scripta est epistola, consideratione aliquot epistolæ loca illustrantur. §. IX.

Ephesi etiam epistola ad Galatas scripta est. §. X.

Ibidem Paulus detentus fuit diutius motibus Demetrii, fabri Dianæ. §. XI.

Tandem Epheso discedit Troadem & inde

in Macedoniam, ubi Titi adventu recreatur. §. XII.

Et illum ad Corinthios cum posteriore epistola remittit, seu præmittit. §. XIII.

Quæ temporis notatio epistola multum lucis adfert. §. XIV. XV.

Paulus Macedoniam ad Illyricum usque Evangelio replet. §. XVI.

Inde vero digressus venit Corinthum, & ibi scribit epistolam ad Romanos. §. XVII.

Quæ ex hac loci & temporis notatione in aliquot locis illustratur. §. XVIII. XIX. XX XXI. XXII.

Paulus Hierosolymam navigaturus ob insidias revertitur in Macedoniam & inde proficiscitur Troadem. §. XXIII.

Ubi Eutychem ex animam in vitam restituit & inde venit Miletum. §. XXIV.

Quorsum presbyteros Ephesinos arcescit, eosque egregio sermone instruit. §. XXV.

Cujus præcipua momenta notantur. §. XXVI.

Inde vero vebitur Tyrum, Ptolemaida, Cæsaream & Hierosolymam. §. XXVII.

§. I.

Apollo Corinthi agente Paulus Antiochia, quorsum Epheso per itineris Hierosolymitani ambages venerat Act. XVIII, 21. 22. & ubi aliquamdiu fuerat commoratus, denuo digressus, obit regiones minoris Asiae, speciatim Galatiam & Phrygiam, ecclesias, quas in iis priore

priore expeditione plantaverat, revivens ac in fide christiana confirmans. Act. XII, 23. Id quod paucissimis quidem verbis a Luca narratur, sed procul dubio non sine magno gravissimarum rerum cumulo factum est. Pertinet huc locus 1 Cor. XVI, 1. ubi Apostolus scribit, *se ecclesiis Galatiae praecepisse, ut pecunias colligerent in usum sanctorum*, h. e. ecclesiae Hierosolymitanæ egentioris v. 3. Quam ipsius egestatem deprehenderat in postrema ejusdem visitatione, inter alia procul dubio effectam per communionem bonorum, quam illa inde a prima pentecoste peculiare ob causas, præcipue ob peregrinorum multitudinem inierat. Conf. Gal. II, 10. ubi pauperum Hierosolymitanorum cura Paulo ab aliis apostolis commendata fuisse dicitur.

§. II.

Peragratis superioribus minoris Asiæ partibus Paulus, promissi sui de reditu dati Act. XVIII, 21. memor, redit Ephesum, Ionicarum urbium clarissimam, situ inter Europam & Asiam medio, portu commodissimo, nec non magnitudine, mercatura, opulentia & incolarum frequentia florentissimam. Hic substitit diutius, tanquam in loco, qui, ut altera Corinthus, aliquod quasi Asiæ & Europæ compendium habebat, & evangelio inter Judæos & Græcos longe lateque spargendo commodissimus erat. Ipse Paulus Act. XX, 31. memorat, se triennium Ephesi docuisse. Quæ temporis determinatio quomodo cum ea, quam Lucas habet c. XIX, 8. 10. conciliari possit, videndum est. Primum ponuntur tres menses, quibus Apostolus docuit in synagoga, c. XIX, 8. Deinde dicitur biennium prædicasse in schola Tyranni v. 10. Reliquis novem mensibus videtur diversis in locis ejusdem urbis, partim etiam in vicinia, docuisse. Tantus enim doctrina & miraculis campus ipsi erat apertus, ut una Tyranni schola auditores capere non posset. Et ad posteriores hosce menses commode refertur residuum illud commorationis spatium, quod, in Macedoniam profecturus, dilato discessu, & Timotheo ac Erasto præmissis, in Asia, seu Ephesi, adhuc transegit. v. 21. 22. Atque ita non opus est, ut cum HERMANNO WITSI O Meletem, Leid. p. 112. & aliis ad complendum istud triennium referamus commorationem Pauli priorem, cum eo venisset Corintho Act. XIX, 18. 19. 20. Hæc enim brevissima fuit.

§. III.

Consideremus nunc Pauli res in negotio evangelii Ephesi gestas. Vix eo venerat, cum, Deo ita moderante, statim incideret in societatem aliquam discipulorum Joannis, seu christianorum tenuiter adhuc doctrinæ evangelicæ elementis imbutorum. Quod cum animadverteret Paulus, ipsos interrogabat, ane sub initiationem sui, ad confirmationem fidei, Spiritum Sanctum, seu charismata ejusdem singularia, credentibus eo tempore con-

P

ferri

ferri solita, acceperint? Illi negant, dicentes adeo sese nondum participes factos esse charismatum ejusmodi, ut ne quidem audiverint, ea existere, seu conferri cuiquam. Act. XIX, 1. 2. Spiritum Sanctum sæpe pro donis extraordinariis, speciatim prophetiæ & linguarum, sumi, nemo nescit. Vide Act. X, 44. seqq. &c. Ita etiam Jo. VII, 39. *Hoc dixit Jesus de Spiritu Sancto, quem credentes acceperunt erant. Nondum enim erat (seu aderat effusus) Spiritus Sanctus, quia Jesus Christus nondum erat glorificatus.* Et hoc sensu Spiritum Sanctum baptizatis multis fuisse collatum, notum est ex historia Apostolorum, & ex hoc ipso discipulorum Joanneorum exemplo. v. 6. Et hanc ipsorum ignorantiam excusabat non solum res ipsa, sed istud etiam catechismi judæici caput, secundum quod didicerant, Spiritum Sanctum (h. e. dona ejusdem singularia, præcipue prophetica, loquendi more Judæis usitatisimo) inde a temporibus Zachariæ & Malachiæ ab ecclesia Judæica esse ablatum. Hunc vero jam tum restitutum esse, negant, sibi esse compertum. Unde colligitur, istos ex Asia advenas Judæos in Judæa baptismum quidem suscepisse sub & a Joanne, ac mox inde esse digressos in Asiam, & nullam adhuc rerum evangelicarum notitiam accepisse. Quare Paulus, non dubitans, illos baptismi, tanquam universalis initiationis symboli, participes esse factos, porro percontatur: *In quid igitur estis baptizati?* h. e. in quam doctrinam, seu in cujus doctrinæ de Christo confirmationem, & in cujus fidei obsecrationem? utrum in prima ejus elementa, secundum ministerium Joanneum? an vero in ejus complementa, secundum ministerium apostolicum? Illi respondent: *in Joannis baptisma*, servata Paulini sermonis structura, hoc sensu: a Joanne baptizati sumus. Quo audito Paulus Joannis ministerium ac baptismum comprobatur; ubi procul dubio pluribus differuit de convenientia baptismi Joannis & Apostolorum, nec non de incrementis, quæ res evangelicæ inde ab eo tempore ceperint. v. 4. 5. Probe autem hic notandum est, comma hoc utrumque pertinere ad sermonem Pauli, ita ut membro ejus priori agatur de ipso baptismo Joannis, posteriori autem de iis, qui illum susceperint, in fidei, quam in Jesum Christum conceperant, confirmationem: *ἀκούσαντες δὲ, audientes vero*, inquit, h. e. (pro natura verborum sensus) obsequentes, seu pœnitentiæ ordinem ingredientiæ, *baptizati sunt in nomen Domini Iesu.* Confer omnino Luc. VII, 29. 30. ubi idem audiendi verbum de obsequentibus & baptismum Joannis suscipientibus adhibetur, in oppositione ad non audientes, qui ibidem dicuntur consilium Dei adversus semet ipsos repudiasse. Hac ratione conjungendum esse utrumque comma, non solum indicat res ipsa, sed etiam positus particularum relativarum *μὲν* v. 4. & *δὲ* v. 5. Quæ cum ita sint, illi, qui v. 5. tribuunt narranti Lucæ, aberrant a re ipsa & a proprietate sermonis grammatica, & prater-

prater-

præterea Anabaptistis aliquod erroris sui præsidium præbent, quasi illis, qui a Joanne jam tum baptizati fuerant, baptismus denuo fuisset collatus. Et miror, virum clarissimum, HERMANNUM WITSIUM, G. I. VOSSII auctoritate motum, Meletem. Leid. p. 108. seqq. istis sua judicii suspensione frigidam suffundere. Taceo hac ratione patrocinium accipere eos, qui statuunt, baptismum Joannis etiam re ipsa diversum fuisse a baptismo Christi apostolico. Plenius vero instituti a Paulo cum essent hi discipuli, adhibito *χειροθεσίας* ritu, Spiritum Sanctum, seu charismata ejusdem eminentiora, acceperunt, sibi de iisdem, & præcipue de uberiori *χριστογνωσίας* mensura, procul dubio impense gratulati. v. 6. 7.

§. IV.

Paulus tam egregio ministerii sui inter Ephesios initio facto, fideque publica per istam collatorum charismatum *θαυματουργίαν* sibi conciliata, fidenti animo ingreditur synagogam Judæorum, & his magna cum parthesia Christum prædicat, iis, quæ ad regni ejus œconomiam & indolem pertinent, non large minus, quam perspicue & efficaciter, expositis, v. 8. Sed hic Apostolus in complurium obsequio non nullos experitur adversarios, qui, præjudiciis de regno Messia, cum civili pompa erigendo, occupati, se ipsos adversus evangelium per *ἀπειθεϊαν* obfirmant, eique ad blasphemiam usque publice contradicunt. Quare Paulus, infirmorum offensionem metuens, universum discipulorum cœtum a refractariis istis, res suas sibi habere jussis, segregat & cum iisdem ædificationis gratia quotidie convenit in scholam Tyranni cujusdam, sive alicujus principis Ephesiorum jam defuncti, qui olim ex amore litterarum locum aliquem publicum philosophis ad juventutis institutionem donaverat; sive civis alicujus primarii, qui, nomine proprio Tyrannus dictus, litterario hoc beneficio innotuerat. Quod si existimas, fuisse sectæ alicujus philosophicæ magistrum, sed ad Christum conversum, si adhuc superstes fuerit, non repugno, cum ad conjecturam hic redeant omnia. In hac Tyranni, quæ nunc Christi facta erat, schola Paulus duobus docuit annis, undique ex Asia, ut evangelium audirent, magno numero ad ipsum confluentibus Judæis & Græcis. Nec exiguam Deus Paulo, & præcipue evangelio, auctoritatem conciliabat per varii generis miracula, ab ipso edita. Eorum enim tantus erat numerus, & tanta Paulini ministerii efficacia, ut sudaria etiam & semicinctia, quæ corpus Pauli contigerant, ægrotis, qui ipsum Apostolum adire non poterant, vel per contactum adplicata morbos expellerent & malignos spiritus. v. 10. 11. 12.

§. V.

Hæc dum aguntur, incidit quorundam exorcistarum *κακοζηλία*. Gens Judaica, seu degener quædam Judaicæ gentis progenies, pro superstitione.

stitutione sua jam dudum dedita erat incantationibus, malos genios, vel etiam morbos, qui ab ipsis immisfi credebantur, certis adjurationum formulis a male affectis pellere satagens. Vide JOSEPHUM Antiquitatum L. VIII. c. II. ubi is hoc impietatis genus, tanquam peculiarem artem divinumque donum Salomoni tribuit, nec fabulari dubitat, ab ipso scriptos adjurationum modos relictos esse. Quod maleferiati quidam ipsi etiam Christo arte ista falso credita obstrepere haud sint veriti, notum est ex historia evangelica. Ex horum genere *Scœva* cujusdam ἀρχιερέως, seu primarii sacerdotis, in ordine aliquo sacerdotali principis, filii septem, homines circumforanei, Ephesum delati, Apostoli gloriam, quæ evangelii erat, affectata θαυμασπυρία æmulabantur. Cum enim viderent, Paulum, invocato nomine JESU Christi, admiranda opera patrare, idem conabantur, ad dæmoniacos: *adjuramus vos, inquentes, per IESUM, quem Paulus prædicat.* Verum enim vero non impune ferunt improba hæc & irreligiosa conamina, sed verbis & factis castigantur. Etenim cacodæmon, nullo ipsos loco habens: *IESUM, inquit, nosco, & Paulum novi: vos vero, homunciones, quinam estis?* Et statim verba acuens armansque verberibus, subserviente obsessi corpore, in ipsos irruit, eosque adeo depexos dat ac dedolatos, ut vestibus nudati plagisque faucii se quam contumeliosissime e domo dæmoniaci proripiant. Utinam in non minorem sui emendationem, quam in evangelii gloriam; oppositis, cum juxta se posita essent, tam egregie elucescentibus. v. 13-17.

§. VI.

Qui stupendus eventus simul atque enotuit Ephesi civibus, Judæis ac Græcis, sanctus terror occupavit omnes, magnisque laudibus nomen Domini JESU Christi celebratum est. Conf. Act. V, 11. Immo ipsos utriusque generis neophytos adeo perculsos tenebat divinum illud in exorcistas editum judicium, ut, malefactorum suorum conscientia denuo territi, ultro venirent ad Paulum, & eorum confessionem ἐμετανοήτως ederent. Inprimis vero magicis artibus dediti erant Ephesii, adeo ut ἐφέσια γράμματα, *Ephesie litteræ*, de iisdem jamdudum in proverbium abiissent. Qui cum de hac etiam impietate convincerentur, pœnitentiam suam genuinam testaturi, libellos suos magicos, quos superstiose lectitaverant, in unum compertatos publicis flammis exurebant. De pretio videantur GROTIUS & CALOVIUS in h. l. Dicitur illud æquasse summam 6000. florenorum, aut, ut alii malunt, imperialium. Adeo pretiosi dedecorum, ut cum poeta loquar, emtores fuerant! Quod si hodie orbis litterarius, qui se jactat de Christi nomine, in universum ad ipsum vere converteretur, crediderim fore, ut non exigua librariæ supellectilis pars fata ista Ephesina subiret. Istitis vero evangelii causa tam præclare gestis Lucas hoc subjungit epiphonema:

Adeo

Adeo potenter verbum Dei crevit & invaluit! v. 20. Interea venerat Petrus Corinthum, & Corinthiorum nonnulli ei nimium adhærescebant. Conf. epist. Clementis.

§. VII.

Ecclesia Ephesina sic constituta & amplificata Apostolus impulsu Spiritus Sancti agitât consilia longissimorum itinerum, evangelii causa faciendorum, & primum quidem per *Achajam* & *Macedoniam*, ubi ecclesias jam antea plantaverat, deinde *Achajam* denuo transeundo in *Palæstinam*, & tandem in *Italiam*, etiam Romanam ecclesiam videndi desiderio flagrans. Cujus eventum quomodo in vinculis habuerit, infra suo loco videbimus. Pertinet huc locus 2 Cor. I, 15. 16. ubi idem proficiscendi propositum declarat, addens, id impeditum atque ita iter suspendendum fuisse. Conf. 1 Cor. XVI, 5. seqq. Cum vero diutius ipsi hærendum esset in Asia, speciatim Ephesi, præmisit Timotheum & Erastum, Act. XIX, 22. qui cum Corinthi mansisset, ejus nomine Paulus Romanos salutât, ibidem ad ipsos scribens Rom. XVI, 23.

§. VIII.

Paulus Ephesi diutius permanere permotus hoc tempore, cum a Corinthiis accepisset litteras, iis respondet & priorem ad eos scribit epistolam, eamque illis Epheso per Timotheum transmittit: quemadmodum constat ex 1 Cor. IV, 17. item e c. XVI, 10. ubi v. 8. 9. indicat, se diutius permansurum Ephesi, quam scilicet antea constituerit Act. XIX, 21. Et quemadmodum ibidem denuo Timotheum Corintho expectavit, ita est probabile, eum inde rediisse Ephesum ante discessum Pauli 1 Cor. XVI, 10. 11. Immo non potest non eo rediisse, cum Epheso in Macedoniam iturus eundem Timotheum præmisisse dicatur. Act. XIX, 22. Qui temporis articulus egregie illustrat tempus scriptæ epistolæ, ejusdemque scopum. Cum enim Apostolo nondum concederetur coram cum Corinthiis agere, per litteras cum ipsis egit, atque id eo magis opportune, quo brevius ante ab ipsis acceperat epistolam, in ea de variis momentis consultus. Et hanc epistolam ad Paulum tulisse videtur Apollos. Vide PEARSON. Annal. Paulin. ad annum æræ vulg. LVII. Hic enim primum venerat Ephesum & in christianismo confirmatus concesserat Corinthum. Corintho autem ipsum missum esse, certe denuo venisse, oportet Ephesum. Nam Apostolus 2 Cor. XVI, 12. testatur, se frustra ipsum Ephesi (coll. v. 12.) hortatum esse, ut ad Corinthios rediret. Fortasse Paulus ideo eo statim reverti noluit, ne videretur favere iis, qui nomine ipsius ad schisma abutebantur. Cum Apollo Corintho venisse videntur *Stephanas*, *Fortunatus* & *Achaicus*. 1 Cor. XVI, 17. Et hi una cum Timotheo ac Erasto, tradita iis epistola ad Corinthios priore, Corinthum remissi

missi sunt, ut colligitur e v. 18. consentiente subscriptione librariorum. Unde denuo confirmatur, epistolam priorem ad Corinthios scriptam esse Ephesi. Idem porro quam luculentissime comprobatur c. XVI, 19. ubi Paulus Corinthios salutat nomine ecclesiarum Asiæ, & quidem sensu strictiori sic dictæ, h. e. Ionicæ, quarum præcipua erat Ephesina; nec non nomine Aquilæ & Priscillæ, quæ Paulo Corintho Ephesum abeunti se se comites adjunxerant, & ibidem, Paulo illinc in Palæstinam & Syriam proficiscente manserant. Act. XVIII, 18. 19. Eisdem Paulus Antiochia Ephesum reversus ibidem adhuc invenit. Quæ cum ita sint, mirum est, librariorum subscriptionem pro Corintho posuisse Philippos Macedonia, cum tamen de Macedonia, tanquam adhuc adeunda, fiat mentio 1. Cor. XVI, 5.

§. IX.

Præterea e loco scriptæ hujus epistolæ, seu Epheso & ex Historia Lucæ de eo narrata, illustrari potest locus ille c. XV, 32. ubi Paulus scribit, se Ephesi habuisse *ἠνεσιμαχίαν*, seu se oportuisse ibi *ἠνεσιμαχεῖν*. Hanc enim vocem cum NICEPHORO L. II. c. XXV. & aliis proprie non esse accipiendam, facile liquet e silentio Lucæ; utpote qui nihil tale commemoravit, rem vero tanti momenti, si vere accidisset, in narratione rerum Ephesinorum alias satis proluxa non prætermisurus fuisset. Rectius itaque hanc vocem accipimus improprie de adversariis Pauli plane effertis, præcipue de Judæis istis, quibuscum in synagoga disceptavit, & a quibus, cum ad blasphemiam usque veritati repugnarent, christianorum cœrum sejunxit Act. XIX, 9. Vide Tit. I, 12. ubi improbi κακὰ θηρία, malæ bestię vocantur. Item Epist. IGNATHI ad Romanos, ubi scribit, se terra marique noctu & interdium cum bestiis a Syria Romam usque pugnare. Demetrii vero motus ista *ἠνεσιμαχίας* mentione non notati sunt, quia epistola ante scripta est, quam illi excitati erant. Præterea ad illustrationem *ἠνεσιμαχίας* Ephesinæ & afflictionum Asiaticarum pertinent sequentia loca ex epistola posteriori ad Corinthios, quibus mala ista Asiatica externa & interna commemorat. c. I, 4 - - 7. in primis v. 8, 9, 10. c. II, 4. ubi dicit, Corinthios sibi, afflictio jam satis, afflictionem majorem addidisse, ideoque epistolam priorem affectu afflictissimo scriptam esse. Porro huc pertinet hæc locorum collatio: Lucas Act. XIX, 21, 22. memorat Pauli propositum in Macedoniam & Achajam ad Corinthios proficiscendi, Ephesi conceptum. Idem comprobatur ipse Paulus in epistola ad Corinthios priori, tribus in locis c. IV, 18, 19. XI, 34. XVI, 5, 6. Quod si vero conferantur loca 1. Cor. XVI, 5, 6. & 2. Cor. I, 15, 16. apparet contradictio quædam. Nam priori loco Paulus negat, se Epheso per Achajam & Corinthum iturum esse in Macedoniam; At in posteriori loco ait, se per Achajam voluisse proficisci in Mace-

Mace-

Macedoniam, ideoque, cum Achajam non transisset, e Macedonia scribens, consilii sui mutationem excusat. Quæ loca vix aliter conciliari poterunt, quam si dicatur, loco posteriori non respici ad locum 1. Cor. XVI, 5, 6. sed ad promissionem adventus sui aliam, nimirum eam, quam in epistola illa deperdita, cujus mentionem facit in priori illa adhuc hodie existente c. V. fecit. In ea enim omnino promississe videtur, se Epheso venturum esse in Achajam ad Corinthios, & inde iturum in Macedoniam. Cum vero interea audivisset de Corinthiorum dissidiis, iis per epistolam novam, quæ nunc prior est, mederi maluit, quam per adventum. Quare, ut parceret Corinthiis, adventu dilato, scriptaque epistola Epheso statim ivit in Macedoniam. Hæc de conciliatione istorum locorum necessaria & satis convenienti, ut arbitror; de qua interpretes non video esse sollicitos. Quæ D. BALDUINUS in 2. Cor. I, 15, 16. habet, an ad conciliationem sufficient, alii viderint. Ceterum de epistola Pauli ad Corinthios omnium prima ac deperdita, nec non de censura ejusdem adversus incestuosum, vide WITSIUM Melet. Leid. p. 121. seqq.

§. X.

Ad stationem Pauli Ephesinam quam commodissime refertur scripto epistola ad Galatas. Cujus temporis hic character est, quod Apostolus ecclesias Galaticas plantaverit in expeditione illa, quam anno Christi LI. post concilium Hierosolymitanum cum Sila in Asiam & Græciam obierat. Act. XVI, 6. & quod eas anno ejusdem æræ LIV. Antiochia profectus rīgaverit c. XVIII, 23. XIX, 1. Jam vero scribit ad eos c. I, 6. se mirari, quod TAM CITO se siverint transferri in aliud evangelium. Unde colligitur, ipsum hoc proximis annis Ephesi scripsisse, postquam e Galatia & Phrygia eo pervenerat & ubi tribus annis commoratus est. Act. XIX, 1. seqq. Nec est dubium, quin Apostolus monito isto generali Gal. VI, 10. de beneficentia erga domesticos fidei exercenda, speciatim Galatis in memoriam revocaverit illud caritatis officium, quod iisdem erga egentiores Hierosolymitanos coram commendaverat. 1 Cor. XVI, 1. Ad perpesiones vero, quas Paulus in Asia hac expeditione sustinuit, pertinet illa earum commemoratio generalis, quæ 2 Cor. I, 8.-11. habetur.

§. XI.

Dictum est §. VII. discessum Pauli, quem ad longiora itinera proposuerat sibi, Ephesi fuisse impeditum & dilatum: hujus vero moræ causa extitisse videtur præcipua tumultus iste a Demetrio excitatus. Hic arte ἀργυροκόπος, faber argentarius, fecerat adhuc argenteas adiculas, instructas simulacro Dianæ, ad effigiem templi, & simulacri falso crediti. Quod quia jam inde a multis seculis colebatur, sacrificuli illud a Jove e cælo esse demis-

demissum imperitæ multitudini persvaserant. Aediculas istas pretio haud levi redimebant Dianæ cultores ditiores, quotquot idololatriæ causa ex universa Asia Ephesum invisebant, aut eam commercii causa adibant; ita ut maximus inde quæstus rediret non solum Demetrio, sed ὁμοτέχνους etiam cunctis, & omnibus superstitionis artis ministris numero plurimis. Quare hos convocatos argumento præcipuo, ab utili ducto, ad tumultum accendit, ita ut incondito clamore sublato voci ferarentur: *Magna est Diana Ephesiorum!* Act. c. XIX. v. 23-28. Eo plebs urbis universa, domibus & latebris suis excita, effero impetu ruit in tumultum, cui involvuntur Gajus & Aristarchus, e Macedonia, Pauli comites, Paulo, ne eidem sese exponeret, a christianis & ipsis Asiæ principibus nonnullis, retracto. v. 29--32. Et cum Judæi animadverterent, evangelii causa has turbas fieri, occasione isti, ut ipsi etiam Paulum accusarent & tumultum culpam a se amolirentur, servituri, Alexandrum quendam ex ordine suo protrudebant. Sed hunc, cum Judæum esse cognoscerent, audire detrectabant, tanquam spretæ Dianæ pariter reum, infano clamore sublato & per duas horas continuato: *magna est Diana Ephesiorum* v. 33. 34. Quare in medium procedens ὁ γραμματεὺς h. e. Romani proconsulis cancellarius, seu secretarius status, uti hodie loquimur, tandem prudenti oratione fluctus istos componit. v. 36--40.

§. XII.

Paulus tandem exacto triennio, cum Ephesini motus, quos Demetrius excitaverat, compositi essent, Epheso discescit in Macedoniam, & in itinere medio inter alias Troadensem ecclesiam invisit, ibique novum sibi ad propagationem evangelii ostium apertum esse invenit Act. XX, 1. 2. 2 Cor. II, 12. Sed cum ibidem Titum, antea ad Corinthios cum commendatione missum (2 Cor. VII, 14.) non inveniret, uti existimaverat, mox inde per mare Aegæum discescit in Macedoniam. Act. XX, 1. 2. Hic adventu Titi, qui de emendato Corinthiorum statu optima quæque narrabat, in statu suo externe & interne afflicto, a spirituali tamen lætitia haud sejuncto, plurimum recreatus est. 2 Cor. VII, 4--7. 13. 15. Hic etiam Hierosolymitanorum fratrum egestatem beneficentiæ Macedonum etiam atque etiam commendavit, largiore stipe sublevandam, quemadmodum promiserat Gal. II, 10. & eo quidem cum effectu, ut eorum liberalitatem ac προθυμίαν summam non possit non Corinthiis collaudare, eosque hoc exemplo ad imitationem excitare. 2 Cor. VIII, 1. seqq. Et cum Titus Paulo Corinthiorum προθυμίαν indicasset, eamque Paulus Macedonibus prædicasset, eundem cum alio quodam fratre, qui Lucas fuisse videtur, ad Corinthios e Macedonia remisit, sibi que præmisit, cum præcipue in finem, ut stipem apud ipsos colligerent. 2 Cor. VIII, 6. 10. 16. 17. 18. 22. 23. 24. IX, 2. 3. 4. 5. Interea vero

vero

vero etiam Timotheus e loco, qui determinari nequit, in Macedoniam venit ad Paulum: quod ex eo colligitur, quia Apostolus in inscriptione posterioris epistolæ ad Corinthios sibi jungit Timotheum, quem olim in plantanda ecclesia Corinthiaca socium habuerat Act. XVIII, 5.

§. XIII.

Posteriores vero epistolam ad Corinthios a Paulo scriptam esse, cum Epheso profectus ageret in Macedonia Act. XX, 1. 2. manifestum est. Nam 1) c. I, 8. commemorat afflictiones suas, in Asia, quo nomine præcipue Ephesus intelligitur, toleratas ac jam tum superatas, haud obscure respiciens ad Ephesinam illam *Ἐφεσίου*, de qua in epistola priore c. XV, 32. Ephesi scripserat. 2) Paulus quidem constituerat Epheso venire Corinthum & Corintho ex Achaja progredi in Macedoniam & inde Corinthum reverti. Sed consilium hoc mutare coactus primum adiit Troada, & inde processit in Macedoniam, ideoque ex Macedonia, incertum e quo loco, fortasse Philippis, scribit ad Corinthios, & indicatis ambagibus istis, moram istam excusat, 2 Cor. I, 15. 16. 17. coll. c. II, 12. 13. 3) Paulus expresse commemorat, Titum Corintho ad se venisse in Macedoniam & se recreasse læto de Corinthiis nuntio c. VII, 5. seqq. eundemque a se e Macedonia Corinthum esse remissum, aut potius præmissum ad stipis jam promissæ collectionem. c. VIII, 6. seqq. 16. seqq. IX, 3. 4. 5. 4) Paulus itidem expresse indicat, se, dum scribat epistolam eam, adhuc esse in Macedonia c. VIII, 1. IX, 2. Annum autem circiter inter epistolam priorem & posteriorem intercesse, constat, e c. VIII, 10. IX, 2. conf. 1 Cor. XVI, 1. Non itaque hic aberrat librariorum subscriptio, quæ Philippos Macedoniae habet pro loco scriptæ epistolæ & Titum ac Lucam pro ejusdem latoribus.

§. XIV.

Hæc autem temporis, quo scripta est hæc epistola, notatio plurimum lucis affert ipsi epistolæ, speciatim in duabus materiis, una de collectione stipis, altera de periculis & afflictionibus Pauli longa serie, at brevissime tamen, recensitis. Ad materiam priorem quod attinet, ad ejus illustrationem modo dicta illa temporis notatio sequentia momenta subministrat: 1) Apostolum, antequam collectionis negotium ordinaret, venisse Hierosolyma, ubi jam antea inter ipsum ac reliquos, quotquot præsentibus erant, Apostolos ita convenerat, ut Paulus Hierosolymitanorum egestatem, quam inter alia bonorum communio effecerat, inter gentes sublevatum iret. Gal. II, 10. 2) Apostolum in hoc caritatis officio magno cum studio versatum esse, commendata beneficentia erga egestes istos, speciatim in ecclesiis Galatiæ 1 Cor. XVI, 1. 2. Macedoniae 2 Cor. VIII, 1. seqq. & Achajæ ibid. item 2 Cor. IX, 1. 2. seqq. Rom. XV, 25. seqq. 3) E tot regionibus procul dubio ingen-

Q

ingen-

ingentem summam auri ac argenti collatam fuisse, maxime si consideres cum modum colligendi, qui post tantam commendationem in conventibus sabbaticis a singulis factus est, certe in Achaja 1 Cor. XVI, 2. tum encomia ista, quibus Paulus citatis locis ecclesiarum & *εὐδοκίαν* & liberalitatem ornabat. 4) Ex instituto isto multis hominum millibus, quæ Hierosolymæ & in vicinia egebant, succurendi patefcere, rem fuisse magni momenti, & Paulum de ea non sine causa pluribus verbis agere. 5) Eundem iisdem in locis merito esse sollicitum de modo tam largum beneficium fideliter transferendi, atque ita ipsum gravi de causa, ut adversus omnem suspitionem & obtrektorum calumnias se muniret, sibi de comitibus & testibus fidem publicam habentibus prospexisse 2 Cor. VIII, 18. seqq. 6) Mysteriorum crucis etiam hac in parte patefieri, quod, cum Paulus cum Apostolis reliquis in plantandis ecclesiis ad evangelii confirmationem, multa & magna ediderit miracula, ipsi non fuerit datum, sanctorum inopiam corporalem per *σωτηρίαν* levare. Voluit enim DEUS illam crucis scholam esse perpetuum fidei, abnegationis, spei, patientiæ & beneficentiæ gymnasium. De collectione Antiochena, quæ hanc diu præcesit, vide Act. XI, 29. XII, 25.

§. XV.

Considerabimus nunc alteram materiam, seu *recensionem perpesionum Pauli*, quam exhibet in Epistola hac posteriori ad Corinthios c. XI. v. 25. seqq. De qua generatim notandum est: 1) Exempla ejusdem non quærenda esse ultra historiam capitis XIX. Actorum, & ultra initium capitis vigesimi: siquidem hoc & reliqua capita continent res gestas epistola ista posteriores: unde sine manifesto parachronismo ex his nihil referri potest ad feriem istam malorum epistolicam. 2) Lucam, ut multa alia, sic etiam multas Pauli divexationes omisisse; cum Spiritui Sancto non placuerit nobis integrum rerum apostolicarum volumen exhibere. Transcribam huc nunc ipsum textum Pauli, eumque notis illustrabo parentheticis, e quibus constare possit, quæ Lucas recensuerit, nec ne.

v. 23. *In laboribus copiosius* (labore manuum laboribus apostolici muneris cætenatis addito Act. XVIII, 3. conf. 1 Corinth. IV, 12. IX. 1 Theff. II, 9. 2 Theff. III, 8) *in verberibus supra modum* (verbera seu plagas ab iis, quæ in sequentibus commemorantur, distinctas, Lucas non refert. Videntur hic intelligi plagæ, tumultuarie & simul privatim sine auctoritate magistratus publica illatæ.) *in carceribus abundantius* (secundum Lucam semel tantum, Philippis Act. XVI, 23. seqq.) *in mortibus*, seu periculis mortis, *frequenter* (primum Damasci c. IX, 23. seqq. deinde Hierosolymæ c. IX, 29. & Antiochiæ in Pisidia c. XIII, 14. 50. Porro Iconii c. XIV, 5. Lystris c. XIV, 19. Thessaloniciæ c. XVII, 5. 10. Beroæ, v. 13. 14. Corinthi c. XVIII, 12. Ephesi c. XIX, 13.)

v. 24.

- v. 24. *A Judæis quinquies quadragenas plagas una minus accepi* (de quo Lucas plane nihil commemorat.)
- v. 25. *Ter virgis casus sum* (secundum Lucam semel tantum, nimirum Philippis c. XVI, 21, 22.) *semel fui lapidatus* (Lystris c. XIV, 19.) *ter naufragium feci* (de quo Lucas itidem tacet: cum ea, quæ de itinere Romano c. XXVII, XXVIII. narrantur, huc non pertineant;) *noctem ac diem in profundo egi* (scilicet nave ex parte jam fracta.)
- v. 26. *In itineribus* (longis, molestis & periculosis, de quibus passim Lucas, non tamen omnibus ac singulis) *sæpe: in periculis fluminum* (de quibus nihil in Actis) *in periculis latronum* (neque de his quidquam;) *in periculis ex genere* (scilicet meo h. e. a Judæis; vide loca de periculis mortis citata. Conf. c. XIII, 45. XVIII, 6. XIX, 9. de Judæorum acerba contradictione) *in periculis ex gentibus* (sed a Judæis plerumque in ipsum concitatis; vide c. IX, 23, 24. coll. 2 Cor. XI, 32. XIII, 50. XIV, 2, 5, 19. XVII, 5, 8, 13. XVIII, 12, 17. A solis tamen Græcis profecta esse videntur, quæ traduntur c. XVI. de fatis Philippensibus: nec non de Atheniensibus c. XVII, 18, 19, 32. & de Ephesinis c. XIX, 24. seqq.) *periculis in civitate* (præcipue Hierosolymæ, uti & Damasci, & aliis in locis, de quibus Lucas passim, respectu tamen præcipuo ad *Hierosolymam* habito, utpote quæ Judæis κατ' ἐξοχὴν erat civitas) *periculis in deserto* (speciatim Arabiæ, postquam Damasco discesserat c. IX, 24.) *periculis in mari* (sine naufragio quidem, at gravissimis tamen, quæ ortæ fuerunt e tempestatibus, vel e piratarum insidiis; de quibus itidem tacet Lucas; talia tamen generali navigationum & itinerum mentione omnino simul intelligit.) *periculis inter falsos fratres* (speciatim Antiochenos illos ac Hierosolymitanos c. XV, 1, 5. coll. Gal. II, 4.
- v. 27. *In labore & molestia* (in defatigatione & miseria multa, quæ cum laboribus ministerii apostolici & manuum, supra v. 23. memoratis fuit conjuncta) *in vigiliis sæpe, in fame & siti, in jejuniis sæpe, in frigore & nuditate* (quæ sunt reliquarum calamitatum adjuncta, a Luca itidem haud commemorata speciatim.) Ceterum quando Paulus c. I, 19. scribit, *evangelium Corinthiis prædicatum fuisse a se, nec non a Silvano, seu a Sila, & Timotheo*; conferendus est locus Act. XVIII, 5. ubi idem perhibetur a Luca.

§. XVI.

Hæc de epistola Pauli posteriore, ad Corinthios scripta e Macedonia. Ubi quid præterea egerit Apostolus, Lucas generatim his indicat verbis: *obiit partes illas & exhortatus est discipulos multo sermone, significans Paulum non solum in negotio evangelii fuisse occupatissimum, sed etiam, hortulani & agricolæ instar omnes ac singulos campi sui Macedonici agros curata lu-*

Q 2

stra-

stratione visitasse, iis, quæ ad statum ecclesiarum plenius formandum pertinebant, non prudenter minus, quam fideliter ordinatis. Atque ita e Macedonia redux ad Romanos omni jure scribere poterat, *se inde ab Hierosolyma & circumjacentibus regionibus usque ad Illyricum*, quod Macedoniam attingebat, *evangelium*, seu loca quam plurima evangelio, *impleviffe* Rom. XV, 19. Quo autem animi statu affectuque in Macedonia versatus fuerit Paulus, indicatum vide 2 Cor. I, 4. seqq. VII, 5. 6. E Macedonia vero digressus venit in Græciam sensu strictiori sic dictam, h. e. in Atticam & Achajam, Corinthios præcipue revisurus, quemadmodum ipsis utraque epistola promiserat. Et hic tres substitit menses cum amplissimo ecclesiarum fructu Act. XX, 2. 3.

§. XVII.

Corinthi, inde mox discessurus hoc ipso tempore Apostolus scripsit *epistolam ad Romanos*. *Eam hoc tempore datam esse*, ex hisce liquet indiciis clarissimis: 1) Paulus, cum epistolam hanc Romam mitteret, *evangelium ad Illyricum usque*, h. e. per Macedoniam propagaverat Rom. XV, 19. 2) Non amplius locum inveniebat in istis Græciæ regionibus, ideoque Romam adire desiderabat v. 23. coll. cum Act. XIX, 21. ubi sibi proposuisse dicitur, visitata Macedonia & Achaja, Hierosolymam & inde Romam adire. 3) In eo erat, ut Hierosolymam abiret, & quidem eo delaturus stipem, in Macedonia & Achaja jam tum collectam v. 25. 26. 27. 31. *Corinthi* vero datam fuisse epistolam, ex eo per se liquet, quod data est in Achaja, cujus metropolis erat Corinthus, ubi Paulus uti antea, ita nunc etiam, præcipue moratus est. Idem constat ex eo, quod Phœbæ, Kenchreenfis ecclesiæ ministræ, Romam proficiscenti, tradita est epistola eo perferenda. Rom. XVI, 1. 2. oppidulum vero, Kenchreas, portum fuisse Corinthiorum ad Saronicum maris Aegæi sinum 70. studiis ab urbe distantem, nemo nescit. Nec non inde id liquet, quod hospitem suum vocat *Gajum* v. 23. Is vero habitabat Corinthi, ibidem a Paulo baptisate in christianismo confirmatus. 1 Cor. I, 14. Atque ita vera est librariorum subscriptio, utpote idem comprobans.

§. XVIII.

Inquirendum nunc est, an ex hac loci ac temporis determinatione & generatim ex Actorum Lucæ collatione, adhuc alia hujus epistolæ loca possint illustrari, speciatim ex ejusdem exordio & conclusione. In *exordio* Apostolus indicat se Romam nondum vidisse, magno autem desiderio teneri Romanam ecclesiam visendi, præterea significans, suum ad ipsos veniendi consilium adhuc sæpius fuisse impeditum. c. I, 9. seqq. Id quod repetit c. XV, 22. 23. Et hoc est, quod bene congruit cum illo Lucæ loco Act. XIX, 21. ubi is refert Pauli propositum Ephesi conceptum de videndis Romanis,

manis,

manis, itineribus, Macedonico, Achaico & Hierosolymitano, finitis. Et quandoquidem inde a tempore indicati a Luca propositi usque ad mox infecutum tempus scriptæ ad Romanos epistolæ & significati crebrioris impedimenti, pro ratione consilii Romanos demum post revisam Macedoniam, Achajam & Palæstinam, videndi, impedimentum nullum habere potuit locum; manifestum est, Paulum jam ante complures annos (uti ille Rom. XV, 23. expresse memorat) Romam adeundi propositum mente secum agitasse.

§. XIX.

Hæc vero observatio gignit aliam, non spernendam, ut arbitror: scilicet de *tempore plantatæ ecclesiæ Romanae*. Quod si enim Paulus jam tum in medio fere apostolatus sui cursu scribit, suum ad Romanos veniendi consilium jam ante multos annos fuisse agitatum, sed sæpe factum esse irritum, & illud ipsum egregiam illam & longe lateque sparsam de Romanorum fide famam, quam laudat c. I, 9. supponit; omnino sequitur, Romanam ecclesiam unam esse e primis omnium, atque ita fundatam statim post dispersionem discipulorum evangelizantium, quæ Stephani mortem excipiebat. Act. VIII, 1. 2. Immo non dubito origines ejus altius repetere, statim ab ipso ascensionis Domini anno. Cum enim in magna illa Judæorum multitudine, quæ, præeunte effusione Spiritus Sancti, per concionem Petri primam conversa est, & indies crevit, etiam Romani fuerint advenæ, gente Hebræi, & fortasse haud pauci; Act. II, 10. quis dubitaret, ex illis saltem nonnullos finito festo mox Romam esse reversos, atque ita christianismum urbi intulisse? Quam egregium autem in statum primo statim tempore pervenerit ecclesia Romana, liquet ex ipsorum fama c. I, 8. ex ordine ecclesiastico bene constituto c. XII, 6. 7. 8. & e Pauli elogio c. XV, 24.

§. XX.

Nec illud hic prætermittendum est, quod Lucas Act. c. XVIII. narrat, Judæos, atque ita etiam christianos, edicto Claudii Roma fuisse expulsos. Jam vero, secundum PEARSONIUM & alios, hoc edictum promulgatum est anno Claudii XII, æræ vulgaris a nato Christo LIII. & epistola ad Romanos secundum eosdem autores scripta est anno, æræ istius LVII. exeunte. Unde colligitur, edictum illud ab executione sua mox fuisse suspensum, probabiliter jam tum ante mortem Claudii, quæ in annum a Christo nato LIV. incidit. Nam Paulus jam dudum ante, quam epistolam scriberet, Romanos evangelii causa in ipsa urbe invisere voluit, eorum, quæ sub Claudio gesta erant, non nescius. Ea enim ipsi Aquila & Priscilla, qui Roma expulsi Corinthum concesserant, & ibidem paulo post adven-

adventum suum advenientem Paulum susceperant, procul dubio enarrarunt. Act. XVIII, 2. 3.

§. XXI.

In ipso epistolæ corpore quid e definito scriptæ epistolæ tempore illustrari queat, equidem non invenio, nisi quis huc referri velit locum illum c. XIII, 1. seqq. de officiis subditorum erga magistratum & hujus erga illos. Ista enim ut urgeret Paulus, ipsi data fuisse videtur occasio ex ipso Claudii de expellendis Judæis ac christianis edicto: siquidem in eo procul dubio istis crimen attentatæ seditionis fuit impactum. Quare Apostolus locum istum communem de magistratu & subditis in epistola ex instituto tractavit, etiam κατ' ἀνθρώπων declaraturus, christianæ religionis principia a seditione esse alienissima. Neque nullius momenti esse videtur hæc observatio, quod Paulus in nulla alia epistola materiam istam tractet, nimirum tam explicite & ex professo, quia noverat, penes Romanos, & inter eos penes Cæsarem, eo tempore esse summam rerum, non solum in occidente, sed etiam in oriente.

§. XXII.

De collatione stipis per Galatiam & Græciam in gratiam Hierosolymitanorum facta Rom XV, 25. seqq. jam dictum est supra §. XIII. collatis locis 1 Cor. XVI, 1. 2. 2 Cor. VIII, 1. seqq. 2 Cor. IX, 1. 2. seqq. Gal. II, 10. Cum vero in eo esset Paulus, ut Hierosolymam adiret, & a Judæis mortem sibi imminere prævideret, Romanorum deprecationem sibi expetit, ut ab istis liberatus ad ipsos venire possit c. XV, 31. Prosequemur nunc paucis reliqua historiæ momenta, quæ in conclusione epistolæ ad Romanos occurrunt. 1) Non solum ipsa Corinthus cætum Dei amplissimum habebat, sed oppidum etiam ejusdem maritimum, portu insigne, Cenchreæ, ecclesiam habuit, cujus διάκονος ministra, *Phæbe*, Romam missa est, ut hanc epistolam ad Romanos, in comitatu aliorum, perferret. c. XVI, 1. 2. 2) *Prisca* (quæ alias *Priscilla* dicitur) & *Aquila*, qui e Ponto Romam, & Roma expulsi Corinthum venerant Act. XVIII, 2. 3. & Paulum Ephesum deduxerant v. 5. ibique Paulo inde digresso morati Apollon instruxerant v. 18. 19. 20. 21. 24. 25. 26. Romam redierant. Quare Paulus eos salutatur & insigni encomio ornat. v. 3. 4. 3) *Epanetus* refertur ad primitias Achajæ, qui cum *Stephana*, de quo idem dicitur, 1 Cor. XVI, 15. primus fuit credentium. Hic una cum *Aquila* & *Priscilla* videtur Romam migrasse Corintho. 4) Personæ, quæ inde a v. 6. usque ad v. 15. inter Romanos salutantur, videntur ipsi antea, cum Roma sub Claudio essent expulsæ, in Græcia & Asia coram, partim etiam per litteras aut famam, innotuisse. coll. c. 1, 8. XVI, 19. & Romanæ ecclesiæ presbyteri fuisse, immo ex parte eam plantasse: id quod, speciatim de *Andronico* & *Junia*,
jam

jam ante Paulum conversis, probabile est, v. 7. 5.) Paulus litteras scribens in comitatu suo habebat Timotheum, & Sopatrum, seu Sosipatrum Act. XX, 1.-4. Unde ipsorum nomine Romanos salutat. 6.) *Gajus* ille Rom. XVI, 23. fuit Corinthiacus iste 1. Cor. I, 14. qui aut a Derbenfi illo Act. XX, 4. fuit diversus, aut patria Derbensis.

§. XXIII.

Revertamur nunc e diverticulo in viam, seu ad itinerum Pauli cursum. Constituerat Apostolus navali itinere recta adire Syriam & inde porro Palæstinam ac in ea Hierosolyman: sed mox intelligit, sibi in ista navigatione insidias strui a Judæis, ad necem Pauli procul dubio etiam cupiditate istius thesauri, quem is Hierosolyman deportaturus erat, allectis & nefarie conspirantibus. Quare Paulus mutato cursu revertitur in Macedoniam, inde in Asiam proprie dictam, & hinc porro in Syriam iturus, itineris comites nactus *Sosipatrum*, seu Sopatrum Beroensem, *Aristarchum* & secundum Thessalonicenses, *Gajum* Derbensensem & *Timotheum*, cum Asianis *Tychico* & *Trophimo*. Quos Philippis in Macedonia præmisit Troada, ubi illi Apostolum expectarunt. Et huc ille cum Luca & Tito (2. Cor. VIII, 16, 19.) & aliis nonnullis intra dies quinque advenit, ibique septem dies est moratus. Act. XX, 3, 4, 5, 6.

§. XXIV.

Paulus Troade discessurus prima hebdomadis die, (vide Matth. XXVIII, 1. 1. Cor. XVI, 2.) quæ Joanni Apoc. I, 10. est *dominica*, solennem habuit conventum, ἀγροκλασίας eucharisticæ, seu sacramentalis & concionis causa. Hic accidit res memoratu dignissima. Nam Paulo, qui post-ridie erat discursurus, sermonem ultimum ad mediam noctem usque in cœnaculo, quod multis lucernis illustratum erat, protrahente, adolescens quidam, *Eutychus* nomine, ad fenestram confidens profundo obruitur somno, & e tertia contignatione prolabitur, cum repentinae mortis eventu c. XX. v. 7-9. Quare Paulus interrupto sermone illico descendit, in exanimem procidit, eumque ita complexus, ut Elias filium viduæ Sareptanæ 1. Reg. XVII, 2. & ut Elifæus illum Sunamitidis 2. Reg. IV, 34. *ne tumultuemini*, inquit, sed bono estote animo: *anima enim ipsius in ipso est*, innuens, vitam exanimato jam tum redire. Bene BEZA in h. l. *Sic Paulus locutus est vel in ipso editi miraculi momento, vel de re mox secutura certissimus. Sic Christus, & quidem Dominus vitæ & mortis, quamvis de vere mortua puella: non est, inquit, mortua, sed vivit Matth. IX, 24.* Quo facto Paulus rursus ascendit, habitoque sacræ cœnæ, actu etiam communi cibo se cum sociis reficit & ad iter parat, adolescente interea in cunctorum solatium adducto. Sermonem autem post sumtum cibum denuo habito discessit, pedibus, ut cum

cum

cum Deo solus eo liberius versaretur, petens *Assum*, urbem Myſiæ, quo Lucas cum reliquis itineris comitibus nave iverant, Paulum ibidem recepturi v. 10 -- 13. Quo recepto pervenerunt *Mitylenen*, civitatem littoralem Inſulæ *Lesbi*, & inde, porro ad inſulam *Chium*, & poſtridie ad *Samum*, inſulam *Epheso* oppoſitam: quumque apud *Trogylium*, promontorium *Joniæ*, paululum eſſent commorati, ſequenti die, *Epheso* præ feſtinatione prænavigata, *Miletum*, celebrem *Joniæ* urbem, delati ſunt. v. 14, 15, 16.

§. XXV.

Quandoquidem vero Apoſtolus, ut circa feſtum pentecoſtes, ad quod maximum Judæorum numerum confluere noverat, *Hierofolymæ* evangelium prædicare poſſet, *Ephesum* præterierat; præbyteris *Ephesiæ* eccleſiæ *Miletum* arceſſitis dixit, quod res erat, & eccleſiæ ſtatus præſens ac proxime futurus poſtulabat. Act. XX, v. 17. - fin. De qua Pauli oratione hæc generatim bene monet *ARETIUS* in h. l. *Hic aperit ſe Paulus, qualis fuerit orator inter fideles oratores, quanta innocentia vitæ ornarit evangelium ſuum, qua diligentia docuerit veritatem, quo ſpiritu contempſerit omnia pericula, veritatis nomine ſubeunda, quanto etiam deſiderio affectus fuerit erga omnes eccleſias, inprimis erga Ephesiæ. Præterita, præſentia, futura omnia expendit, ut miniſtros paſſim relinqueret quam vigilantiffimos, ſana doctrina tenaciſſimos, & vitæ innocentia quam inſtructiſſimos. Quæ omnia præſens oratio luculenter nobis ob oculos ponit; digna non ſolum aureis literis, ſed quæ foribus omnium miniſtrorum adſcribatur, ut exeundo & intrando ob oculos jugi memoria illam habeant, & tanquam ad ſpeculum vitam ſuam in hac contemplantur.*

§. XXVI.

- Oratio hæc Pauli habet permulta notatu digniſſima. Potiora ſunt:
1. *de prædicandi aſſiduitate*, publice & privatim ſine ulla intermiſſione inter multas afflictiones præſtita v. 18, 19, 20, 31.
 2. *De ſumma doctrina chriſtiana*, quod Deus ſuo ipſius ſanguine eccleſiam ſibi acquiſiverit, in ordine pœnitentiæ per veram fidem recipienda v. 28. Conf. v. 24, 32.
 3. *De omni iſtius ſumme*, tanquam centri, peripheria & extenſione, ita ut nihil, quod ulla ratione ad patefactum ſalutis conſilium pertineat, ſit prætermiſſum v. 20, 27.
 4. *De vitæ innocentia & conſcientiæ puritate*, in munere fideliffime ſervata v. 18, 19, 26, 33. Huc ſpeciatiſſimè refer ſubſidium laboris manuarii, fere ſupra imitationem poſiti v. 34, 35.
 5. *De afflictionibus ſibi in Judæa imminentiſſimis*, & a Spiritu Sancto per prophetas, quos plantatæ eccleſiæ habebant, paſſim prædictis, ſed a Paulo haud reformidatis v. 22, 23, 24.

6. De

6. De cura gregis Domini presbyteris probe inculcata v. 28, 31.

7. De pseudodidascalis & lupis inter ipsos Ephesios exorituris v. 29, 30.

Ceterum Pauli scientiam, de Ephesiis non amplius videndis, fuisse tantum probabilem, ex iis liquet, quæ infra occurrent de itineribus ejus ultimis, vincula ejus Romanensia priora insecutis. Habita vero oratione illa pathetica Apostolus non sine largis auditorum lacrymis prolixoque affectu ab iisdem divellitur, & deductus navem conscendit. Act. XX, fin.

§. XXVII.

Mileto digressus Paulus cum comitibus suis in Syriam tendens re-cto cursu venit ad *Coum*, maris mediterranei insulam, Cretæ & Carix, seu in ea Halicarnasso, oppositam, Æsculapii cultu, nec non Hippocratis & Apellis natalibus, celebrem; sequenti die *Rhodum*, solis cultu & colosso impie nobilitatam, illinc mox *Pataram*, urbem Lyciæ maritimam & præcipuam. Hic navem, quæ in Syriam erat trajectura, nacti, Cypro ad sinistram relicta, Tyrum, Phœnicix metropolin, appulerunt. Tyri nave onera sua exponente inveniunt fratres, seu christianos, apud eosque septem dies commorantur. Inter hos erant propheta, qui Apostolo non minus, quam illi in Asia c. XX, 23. prædicebant adversa, ipsi Hierosolymæ obventura, addita e proprio affectu suo dehortatione, ne Hierosolymam adscenderet, rati, se hanc quoque ex inspiratione Dei proferre, & ignari istius divini afflatus, quo Paulus jam tum spiritu vincus, seu vincula prævidens, eo properabat. c. XXI, 1-4. Ab illis vero post mutuos complexus & preces, in litore flexis genibus junctas, deducti Tyro nave vecti sunt *Prolemaida*, &, salutatis, ibi fratribus postero die *Cæsaream* delati diverterunt in ædes *Philippi* istius, qui e diacono factus erat evangelista, seu presbyter, nulli certæ ecclesiæ affixus, qui habebat quatuor virgines filias, prophetiæ dono præditas v. 5-9. Huc e Judæa accedebat *Agabus* ille propheta, de quo supra c. XI, 28. qui, oraculo symbolum aliquod externum nutu Dei additurus, accepta Pauli zona, manus pedesque ipsi vinciebat, vincula Hierosolymitana ipsi prædicens, v. 10, 11. Discipuli quidem ac comites omni nisu repetitisque precibus ac lacrymis obstabant, quo minus Hierosolymam adiret, oraculum illud ita interpretati, ac si in dehortationem ab adeundi proposito illud fuisset editum. Sed Paulus id rectius in animi sui confirmationem acceperat, ideoque iis obsequi detrectabat, vel mortem ipsam Christi causa oppetere paratissimus. Quo audito illi acquiescunt, dicentes: *Fiat voluntas Dei!* v. 12, 13, 14. Atque ita ἀποσκευασάμενοι, relictis sarcinis, quo iter esset expeditus, Hierosolymam adscendunt, v. 14, 15.

R

SECTIO

SECTIO III.

DE

REBUS PAULI POSTERIORIBUS,
A VINCULIS CÆSAREANIS USQUE AD EJUS
MORTEM.

CAPUT I.

De

VINCULIS PAULI HIEROSOLYMITANIS ET
CÆSAREANIS ET EJUSDEM APOLOGIIS.

SYNOPSIS.

*Paulus Hierosolymam delatus res suas in
negotio evangelii gestas exponit §. I.*

*Quibus auditis christiani ipsi suadent obire
purificationem §. II.*

*Iisque Paulus paret, sed eventu infelici
& funesto §. III.*

*Ubi Judaorum furori intercedit chiliarcha
Lysias, Paulum eripiens, qui causam
suam dicit §. IV.*

*Quod cum etiam coram synedrio facere ten-
taret, cadebatur, sed subsequente anim-
adversione §. V.*

Cujus difficultates diluuntur §. VI.

*Paulus κατ' ἀνθρώπων urget dogma de
resurrectione mortuorum §. VI.*

*Et a chiliarcha deducitur Casaream, pra-
senti mortis periculo exemptus §. VIII.*

*Paulus Casarea accusatur, oratore Ter-
tullo, hostium causam ornante §. IX.*

Sed statim etiam apologiam suam edit. §. X.

*Qua audita Felix causae cognitionem usque
ad adventum Lysiae dolose differt §. XI.*

*Et cum Felici successisset Festus, coram hujus
tribunali Paulus Casarem adpellat.
§. XII.*

Interea accedit Agrippa cum Bernice §. XIII.

*Coram quibus, uti & ipso Festo, Paulus de-
nuo causam suam dicit §. XIV.*

*Sed interpellante Festo: ubi Paulus Agrip-
pam convictum compellat §. XV.*

§. I.

PAulus cum comitibus suis Hierosolymam profectus a discipulis qui-
busdam Cæsareensibus, qui se comitatu eius adjunxerant, deduci-
tur ad Mnasonem quendam, patria Cyprium, gente Judæum, at pro-
fessione christianum, & quidem veteranum, qui inter eos fuisse vide-
tur, qui prima statim novi testamenti pentecoste concionante Petro Chri-
sto nomen dederant. Act, XXI, 15, 16, 17, Ab eo aliisque benevole acceptus
poste-

postero die salutatur ecclesie columnam, Jacobum Gal. II, 9. qui e collegio Apostolorum omnium postremus Hierosolymitanæ ecclesie, tanquam reliquarum omnium matri, præfuisse videtur. Apud eundem mox confluebant arcessiti universi gregis presbyteri, de regni cælorum, per Paulum amplificati, statu ex ipso audituri. Quibus ad attentionem compositis, Paulus longa serie enarrat, quæcunque DEUS ipsius ministerio inter gentes varias in negotio evangelii effecerat. Quibus auditis illi adeo absunt ab invidia Judaica salutis, gentibus oblata collataque, ut potius nomen Domini dignis ideo laudibus evehant. v. 17, 18, 19, 20.

§. II.

Quia vero id cupidissimis expetebant votis, ut Paulus in ecclesia Hierosolymitana non solum sine offensione, sed cum magna etiam ædificatione versaretur, ipsi statim aperiunt, qua neophyti adhuc sint imbecillitate, & quam ceperint offensionem e conversatione ipsius, cum conversis ad Christum gentilibus frequentata. Veris autem falsa miscuerant; scilicet Paulum non solum Judæos christianismum amplexos a circumcissione aliisque ritibus Judaicis immunes pronuntiare, sed eundem ipsos etiam generatim defectionem docere ab ipsa lege Mosaica: Ideoque auctores sunt Paulo, ut tempori serviendo aliquid det imbecillitati multitudinis, avitorum rituum observationi nimium quantum adhuc addictæ. More apud Judæos erat receptum in Naziræatu, ut religiosiores, qui a voto ipsi aberant, sumtus offerrent facerentque pro uno aut pluribus Naziræis, nexu suo votivo solvendis. Qua religiosa liberalitate ipsi etiam certa ratione sanctificari credebantur. Vide MAIMONIDEM tractatu de Nazir, c. VIII. Jam cum eo ipso tempore inter neophytos essent quatuor viri, Naziræatus voto obstricti eoque exsolvendi, suadent Apostolo, ut sumtibus in ipsorum purificationem factis testetur publice, se Mosaicæ legis contemtorem haud esse. Anne inconsulto pro lege ac ritibus Judaicis zelo nimium indulserint seniores illi, per se rectius sentientes, nunc non disputo. Id tamen eos excusat, quod mortui quidem cum Christo essent ritus Judaici religiosi ac typici, templo tamen, tanquam rituum omnium nervo ac centro, in medio Judæorum adhuc stante nondum, essent sepulti, nedum mortiferi. Unde hominibus, quorum imis quasi medullis innata & infixata erat templi ac patriorum sacrorum religio, omnino aliquid, immo permultum, dandum erat, donec templo destructo sequeretur quasi ἀπογαλακτισμός eorundem. Obiter hic notetur, inde a prima pentecoste christiana, seu christianismo a Deo sacrata, ad hoc usque tempus per decursum annorum XXV, circiter cætum christianorum adeo invaluisse, ut seniores dicere possent, aliquot myriades evangelium de Christo fide esse

amplexos. v. 30. Quorum tamen numero illos etiam, qui in Hierosolymæ vicinia erant, & urbem identidem frequentabant, annumeratos fuisse, non est dubium.

§. III.

Paulus jam dudum, ædificationis causa, omnibus factus erat omnia 1. Cor. IX, 19. seqq. ideoque suadentibus presbyteris morem gerit, & cum purificandis templum intrat, διαγγέλλων τὴν ἐκπλήρωσιν τῶν ἡμερῶν τῷ ἀγνισμῷ, LUTHERUS: Er ließ sich sehen / wie er aushielte die Tage der Reinigung / minus commode: potius: Er zeigte die Tage der Reinigung (dieser vier Männer) an / quando inciderent; quandoquidem singulorum vota non idem initium, nec eundem finem habebant. Verum enim vero, quod optime institutum erat, pessime cesit, insurgente adversus ipsum non christianorum cætu, sed Judæorum multitudine, a Judæis quibusdam Asiaticis, qui Ephesinorum motuum auctores exstiterant, in turbas conjecta. Hi enim, infano clamore sublato, Paulum ejusque comites triplicis postulant criminis, nimirum adversus populum, legem & templum patrati. Et templum quidem calumniantur profanatum esse per Trophimum Ephesium, causati, hunc a Paulo intra atrium Israelitarum adductum esse v. 26-29. Quibus vociferationibus ex ædibus suis excita ac in furorem accensa plebs Paulum durius comprehensum e templo extrahit, ipsum plagis coopertum occisura, clausis interea atrii foribus, ad fontibus refugium, aut gentilibus in tumultu isto aditum, præcludendum. v. 30, 31.

§. IV.

Et periisset sane Paulus sub manibus rabidorum, nisi intercessisset chiliarcha Romanus, Lyfias. Hic enim subito collectis militum cohortibus ac præfectis in turbam irruit, Paulumque verberibus excruciatum eidem eripit, & duabus vincitum catenis, interrogatumque de causa tumultus, in castra deducit, Paulus vero negat, se esse Ægyptium illum, qui haud ita pridem quatuor sicariorum millibus in desertum deductis tantum turbarum dederit; gente autem ac patria sua indicata causam suam dicendi potestatem sibi expetit, eaque impetrata & silentio manu postulato, suspensis omnium animis auribusque in editiori loco constitutus Hebraice dicit, quod res est. v. 32. fin. Hic Paulus, orationem suam ab amica & honorifica compellatione exorsus, vitæ suæ universæ curriculum, & in eo admirandam sui a Judaismo ad Christianismum & apostolatam conversionem, enarrat c. XXII, 1-21. cujus sermonis momenta præcipua jam tum supra Sect. I. c. II. in ipsa conversionis historia excussa ac considerata sunt. Cum vero Paulus divinam sui ad gentes legationem commemoraret, Judæi, præ invidiæ æstu in novum furorem versi, interrupto ejusdem sermone, ipsum illico

illico e vita esse tollendum, vociferabantur, projectis præ rabie palliis pulverem in aerem jactantes. Chiliarcha vero ipsum in castra ductum flagrorum supplicio de culpa sua examinari jubet: a quo tamen ille tempestitiva juris sui Romani allegatione liberatur. v. 22-29.

§. V.

Postero autem die Lysias, causam, cur tam infestis modis accusatus sit Paulus, cogniturus, convocat sacerdotum principes totumque synedrium ac solutum Paulum in ipsorum conspectum producit. Hic vero vix fandi fecerat initium, conscientia suæ ad hunc usque diem servatæ sinceritate commemorata, cum pontifex Ananias adstantibus imperaret, ut dicentis os cæderent. c. XXII, 30. XXIII, 1. 2. Quam injuriam Paulus, jure prophetarum & auctoritate apostolica usus, immo Christi exemplum (de quo vide Matth. XXIII, 27. Conf. Act. XIII, 9-11. 2 Cor. X, 2-6.) secutus, gravi oratione represit: *Casurus est, inquit, te Deus, paries incrustate! Et iamne tu sedes judicans me secundum legem, & legem transgrediens jubes me cadi?* v. 3. Qui sermo cum turbæ displiceret, unus ex adstantibus regerebat: *Ita ne Pontificem Dei criminaris?* Cui placida mente respondet Paulus: *nesciebam, fratres, sacerdotem esse summum. Scriptum enim est: principi populi tui non male dices.*

§. VI.

Ubi duo quærentur: unum: an probabile sit, Paulum non agnovisse personam pontificis? alterum: quo sensu Paulus locum ex Exod. XXII, 28. allegaverit? Apostolum nullam hoc tempore notitiam habuisse summi sacerdotis, facile colligitur ex eo, quod Hierosolyma diu abfuerat, & hic pontifex in istorum temporum ἀναρχία novus erat. Quid? quod in loco extraordinario tumultuarie ac confuse sedebatur. Nec insignia archieratica extra templum geri solebant. Fortasse Paulus ne quidem jubentis personam vidit, sed ejus tantum vocem impotenter emissam audivit. Quid vero, excipis, opus erat excusatione & mitigatione, si Paulus dixit, quod verum erat? A vero ipsum nihil dixisse alienum, manifestum est. Verum quoque erat, ipsum personam pontificis haud agnovisse. Id quod quando profitetur Apostolus, non fatetur, se male fecisse, sed tantum ignorantiam suam haud fictam κατ' ἀνθρώπων furori plebis, parrhesiam suam sic moderatius laturæ, opponit, interim nequaquam negans, pontificem esse parietem incrustatum & judicio Dei obnoxiam. Locum vero seu oraculum e Mose ideo allegasse videtur, ut indicaret, se illud non violasse in ignorata pontificis persona, nec in ea, quæ sibi visa ac deprehensa sit. contra officium boni judicis tumultuarie & inique egisse. Bene CALOVIVS in h. l. *Non minus censendum, vere a Paulo dictum illud, quod non agnoverit summum sacerdotem. Id quod vero*

non excusationis gratia dixit; quasi ipse contra legem Ex. XXII. egerit, qui alium legem transgredientem reprehendit, sed ut hominem ferocem, totamque multitudinem furore percitum verbis benignis, verisimis tamen, leniret, quasi dicat, se neutiquam ipsum Pontificem ferire voluisse, utpote quem non noverit, adeoque falso argui, quod e proposito sacerdotem Dei λοιδορεῖν voluerit: quin aliquem e iudicibus assidentibus ob hanc iniquitatem sibi publice illatam injuriam solum redarguisse. Nam etsi in genere dictum: diis non deroges & principi populi tui ne maledicas; dispar tamen ratio est in iudicio principis, seu praesidis & assessoris cujusvis &c. Non ergo statim iudicio detrahit contra legem, qui aliquem assessorum affectuum fervore abreptum redarguit.

§. VII.

Cum vero non ignoraret Apostolus, senatum constare ex Pharisæis & Sadducæis, videretque iudices & accusatores suos veritatis evangelicæ haud esse patientes; prudenter arripiebat argumentum istius generale de resurrectione mortuorum, ita ut illud κατ' ἀνθρώπων in medium quasi projiceret, & eodem senatores inter se committeret, Pharisæum, si ex Judaismo adhuc iudicandus esset, se esse professus, & haud obscure innuens, se illud Pharisæorum dogma, quod ipsius Scripturæ sacrae erat, in & de Christo, vero Judæorum Messia, κατ' ἑξοχὴν docuisse, & ideo communi improborum odio exponi. Conf. Act. XVIII, 18. Nec eventus Paulum fefellerit. Vix enim ea dixerat, cum scissis in partes iudicibus Pharisæi pro Paulo pronuntiarent. Vox στάσις v. 7. non reddenda est *seditio*, *Aufrubr* sed *factio*, seu *dissensio*, uti reddidit Erasmus, qua in duas partes coetus abiit, ita ut neutra alteri cederet, sed utraque principiis suis inhæreret; quo, immo longe adhuc molliori, sensu illa supra c. XV, 2. accipitur. Quam vero corruptus & exulceratus fuerit hoc tempore Judæorum status, vel ex eo colligas, quod Sadducæi, pestilentissimum hominum genus, gentilium Epicuræis haud dissimiles, in synedrium fuerunt cooptati. De perniciosis eorum erroribus, speciatim eo, quem de mortalitate animarum humanarum foverunt, Lucæ suffragantem vide JOSEPHUM Antiquit. L. XVII. c. II. Conf. R. JUD. LEVITA in libro Cozri Part. III. §. 65. Cum autem factio ista Pharisæos inter ac Sadducæos plurimum invalesceret, eaque ad Pauli necem spectaret, tribunus militum Paulum turbæ ereptum in castra, seu praesidium, deduci iussit. Nec ipse Dominus ipsi defuit. Insequenti enim nocte adstans ipsi Dominus JESUS, cui serviebat, bono ipsum animo esse iussit: *Confide*, inquiens, *Paule: quemadmodum enim Hierosolymæ* (seu inde e Macedonia εἰς Ἱερουσαλήμ Hierosolymam usque) testificatus es; ita decet etiam Romæ, seu εἰς Ῥώμην, Romam usque ea inclusa, testificari. v. 6-11.

§. VIII.

Sed Domino rebus Pauli invigilante, hostes ipsi violentæ certoque decretæ

decretæ necis insidias struunt. Nam plures quam quadraginta viri inita conjuratione anathemate dirisque omnibus se devoverant, se prius neque efuros, neque bibituros, quam Paulum e medio sustulissent. Hi, consilio cum sacerdotibus ac presbyteris communicato, contendunt, ut isti Paulum a chiliarcha ad causam ejus exquisitius cognoscendam, ad synedrium duci expetant, quo in via possit interimi. Cui secleri tam atroci dum annuunt senatores, fatis superque produnt suam, partim etiam patrum ac antecessorum suorum, perfidiam, olim in Christum patratam, antiquum obtinere & subinde ruere in deterius. v. 12.-15. Sed Dei providentia intercedente feliciter eliditur istud propositum, secundum illud Iesaiæ c. VIII, 10. *Inite consilium & dissipabitur, loquimini verbum, & non consistet: quia Dominus nobiscum.* Etenim hostes vaferrimi tanto consilium suum æstu agitabant, ut illud inter alios etiam filio sororis Pauli proderetur, cum inter ipsos hostes essent, quibus flagitium non probabatur. Quod simul ac opera centurionis e juvene perceperat chiliarcha, de narrati veritate e variis indiciis convictus, statim istud discussit, Paulo sufficienti militum præsidio munito, & sub noctem Cæsaream ad Felicem, Romanum provinciæ præsidem, deducto, additis litteris, quæ præcipua causæ momenta continebant & jam in antecessum aliquod Paulo patrocinium parabant. v. 16.-30. Paulus autem per noctem Antipatridem, quæ ab Hierosolyma trium milliarium intercapedine distitisse dicitur, ductus deinceps, ubi diminutum fuerat cædis periculum, soli equestri præsidio permittitur, Cæsaream deducendus. Quo ubi pervernerant, in prætorio, quod ab Herode nomen habebat, (conf. Act. XII, 19, seqq.) adservatus est, producendus in judicium, simul ac accusatores Hierosolyma advenissent. v. 31.-fin. Interea non indignum fuisset supplicium, si conjurati isti funesta inedia, cujus voto per diras se obstringerant, saltem ad pœnitentiam usque fuissent excruciat.

§. IX.

Exactis diebus quinque Ananias & seniores populi Cæsaream descendunt, Paulum coram tribunali Felicis accusaturi, oratore Tertullo, nullius fidei homine. Hic a laude judicis orationem exorsus benevolentiam sibi captat, uti & attentionem, interserens, se dicturum esse quam brevissime. In Paulum vero ita debacchatur, quemadmodum ipsius ac judæorum furori consentaneum erat, pronuntians, ipsum esse λοιμὸν, pestem, seu pestilentissimum, qui in toto terrarum orbe turbas det inter Judæos & templum Domini profanaverit, jam dudum quidem capitali supplicio dignum, at a Claudio Lysia suæ potestati subductum. Et istius accusationis caput erat, quod sectæ Nazoræorum, quo nomine christianos, a Jesu Nazoræo sic dictos, per contemptum notabant (conf. Jo. I, 46. Act. III, 6. IV, 10. XXII, 8.

XXII, 8.

XXII, 8. Matth. II. ult.) esset princeps; Judæis accusatori uno ore suffragantibus. c. XXIV, 1--9. Quam autem vehementer a vero abhorruerit encomium Felicis, quo ipsum Tertullus ornabat, vel ex hoc TACITI testimonio liquet Histor. L. V. c. III. *Claudius defunctis regibus, aut ad modicum redactis, Judæam provinciam equitibus Romanis, aut libertis, permisit: e quibus ANTONIUS FELIX, PER OMNEM SÆVITIAM AC LIBIDINEM JUS REGIUM SERVILI INGENIO EXERCUIT, DRUSSILLA, CLEOPATRAE ac ANTONII NEPTE, IN MATRIMONIUM ACCEPTA, ut ejusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset. Duravit tamen patientia Judæis usque ad Gessium Florum procuratorem &c.* Et hunc ipsum Felicem præsidio fratris sui Pallantis, quem TACITUS Annal. L. IX. in *flagrantissima* apud Claudium *gratia* fuisse scribit, esse abusum, non est dubium.

§. X.

Paulus accepta loquendi potestate intrepide dicit, quod res est, primum seditionis crimen a se modeste amolens, deinde cum parrhesia confessus, se secundum viam illam, quam hæresin Naziræorum vocent, patrium, & unice verum Judæorum Deum ita colere, ut omnibus credat & obtemperet. quæ in lege & prophetis scripta sint, inter quæ doctrina de resurrectione mortuorum non sit postrema, secundum quam conscientiam habeat ac tueatur ἀπόστολον apud Deum & homines. v. 10--16. Atque ita Paulus declarat, religionem Judaicam per christianam non depravari aut tolli, sed compleri & ad scopum suum provehi. Criminationem vero detempera-tem templi sanctimonia ex eo diluit, quod in eo cultus gratia sit versatus, postquam, post multorum annorum absentiam, e remotis regionibus redux, largam stipem in sublevationem populi sui attulerit. Ceterum κατ' ἀνθρώπων generale illud contradictionis momentum de resurrectione mortuorum, quod jam tum Hierosolymæ in medium quasi projecerat, denuo nunc paucis repetit. Nec parum Pauli causam juvabat, quod Judæi illi Asiatici, qui totius incendii ecclesiastici flabella extiterant, aberant, causæ suæ dissidentia moti. v. 17--21.

§. XI.

Felix his auditis plenioris causæ cognitionem usque ad Lyfiæ chiliarchæ adventum distulit, jubens, ut Paulus interea honestiori ac liberiori custodia haberetur. Ad quam animi æquitatem motus erat notitia illa, quam de christianismo & gestis Pauli accuratior jam tum aliunde hæuserat; sed sine solido fructu. v. 22--23. Immo tantum abest, ut hunc admiserit, ut eundem potius toties oblatum non sine dolo mentis repudiaverit. Etenim, interjectis aliquot diebus, precibus, aut curiositate, uti videtur, Drusillæ, conjugis suæ adductus, Paulum arcesitum audivit quidem
de

de fide in Christum, nec non de justitia, castitate & judicio extremo libere differentem, ita ut malefactorum suorum, quæ illis doctrinæ capitibus plane contraria erant, conscientia contremisceret; at sine justæ emendationis fructu. Immo *δωροφιλία*, & quod cum ea conjunctum erat, omne injustitiæ genus, adeo obsessum tenebat Felicis animum, ut non erubesceret inexplabilis hic gurges ab eo etiam, quem innocentissimum esse cognoverat, & quem in loco de justitia & extremo judicio ad tremorem usque parrhesiasten fuerat expertus, consuetam sui corruptionem expectare, & ab ea sententiam suam absolutariam suspendere. v. 24. 25. 26. Spe autem sua deceptus Paulum, Judæis gratificaturus, in vinculis detinet duos annos, eundemque in iis successori suo Portio Festo relinquit. v. 27. SVETONIUS in vita Claudii tradit, Felicem fuisse *trium reginarum* (h. e. conjugum regio sanguine prognatarum) *maritum*. Una earum ignoratur. Dux autem Drusillæ fuerunt: una Antonii & Cleopatæ neptis, de qua Paulo ante testimonium TACITI vidimus: altera Herodis Agrippæ, de cujus fastu ac obitu supra Act. XII. filia, Agrippæ junioris, de quo deinceps, soror, hic a Luca commemorata. De qua JOSEPHUS Antiquit. L. XX. c. V. hæc habet: *Has donationes cum a Cesare accepisset Agrippa, collocavit Azizo, Emessenorum regi, circumcisionem suscipere volenti, sororem Drusillam. Epiphanes enim, Antiochi regis filius, recusavit ejus nuptias, quod mutata sententia, Judæorum religionem amplecti nollet, ut erat pollicitus puellæ parentibus. Drusilla autem non multo post dimissa est ab Azizo ex hac causa: Felix quum esset Judææ procurator, visa hæc fœminarum omnium pulcherrima, amore ejus captus, Simonem amicum suum, Judæum, genere Cyprium, pro mago se gerentem, ad eam misit, qui mulierem sollicitaret, ut relicto priore marito ipsi nuberet, beatam fore pollicens, si non fastidiret hominem. Illa male consultata, volens evadere molestias sororis Bernices, invidentis sibi formæ præcellentiam, consensit calcata religione patria Felici nubere. Felix vero Romam revocatus a Judæis Cæsareensibus ad ipsum accusandum eodem profectis male fuisset exceptus, nisi Nero, uti JOSEPHUS refert Antiquit. L. XX. c. VII. Eum donasset Pallantis fratris precibus, qui tum in pretio erat apud principem. De anno Neronis, quo hæc gesta sunt, vide WITSIUM Melet. Leid. p. 169. seqq.*

§. XII.

Portius Festus, in locum Felicis surrogatus, tertio statim die, ex quo in provinciam venerat, Cæsarea Hierosolymam adscendit. Vix vero urbi pedem intulerat, cum pontifex ac proceres Judæorum coram eo comparerent, accusationem suam jam ante biennium adversus Paulum coeptam prosecuturi. Et cum causæ suæ diffiderent, non tam justitiam, quam gratiam ejusdem implorabant, contendentes, ut Hierosolymam deduceretur in

S

judi-

judicium, re autem vera in scopum cædis, ipsi per sicarios in via inferenda. Festus vero non sine arcano Dei nutu negat, respondens, Pauli causam Cæsareæ, ubi commode adservetur, & quo propediem reversurus sit, agendam esse, accusatoribus ejus eo venire jussis. Act. XXV, 1.-5. Fortasse clam Judæorum infidias fuit edoctus. Certe homo a veri Dei culu alienus justitia longe est servantior, quam Judæorum turba. Cæsaream reversus, in tribunali sedens audit primum producti Pauli accusatores, deinde ipsum reum, qui multas gravesque, quibus premebatur, criminationes non infeliciter discutiebat, negans a se quidquam peccatum esse vel in legem, vel in templum, vel in Cæsarem. v. 6, 7, 8. Festus vero Judæorum favorem captans non amplius satis constabat sibi, ideoque e Paulo sciscitabatur, utrum velit Hierosolymæ judicari? ita Judæorum sollicitationibus indulgens, ut tamen a Romani juris gravitate nondum discederet. Paulus nunc opportune ipsius Cæsaris tribunal appellat, jure suo, quod ut civis Romanus habebat, in ipsius ecclesiæ commoda amplissima prudenter usus, & non immemor oraculi Christi, quod de itinere Romano acceperat. Act. XXIII, 11. Vide PLINIUM in epistola de christianis, ubi de hoc ipso jure: *Erant, inquit, & alii similis amentia, quos, quia cives Romani erant, annotavi in urbem remittendos.* Nec intercescit appellationi Festus, sed æquitate ejus syndrio exposita annuit: *Cæsarem, inquit, appellasti, ad Cæsarem proficisceris.* v. 6.-12.

§. XIII.

Cum vero non statim opportuna adesset occasio Paulum Romam mittendi, Agrippa rex Judæorum honorarius una cum conjugē sua Bernice Cæsaream venit, Festum honoris causa salutaturus. Huic Festus causam Pauli exponit, de religione Judaica & Christo ac christianismo abjecte sentiens. c. XXV, 13.-21. Agrippa vero Paulum videre & audire cupiente hic e vinculis producitur, & Festus Agrippæ ac Bernicæ, *μετὰ πολλῆς Παντασίας*, cum affectata regii apparatus ac splendoris pompa, in tribunal progressis gratificaturus, præfamine, quo causam Pauli publice paucis exponit, utitur, necessariam ejus cognitionem allegans, v. 22.- fin. De hoc Agrippa & ejus conjugē Bernice e JOSEPHO & GROTIO hæc non incommode congescit HERM. WITSIUS *Meletem. Leid. p. m. 172. seq.* Erat „hic Agrippa abnepos Herodis magni, sub quo natus est Christus; nepos „Aristobuli, a patre necati; Filius Herodis Agrippæ, de quo Act. XII. a Josepho dictus Agrippa Junior. Magna huic fuit apud Claudium imperatorem „gratia, a quo Herodis Chalcidis regis, patrui sui, regnum accepit: quo „deinceps ei ablato, ab eodem Claudio donatus est tetrarchia Philippicum „Batanea. Trachonitide & Abilena, quæ prius fuerat Lyfaniae Luc III, 1. Postmo.

Postmodum Nero ipsi dedit partem Galilææ, cum Tiberiade, Tarichæa & Juliade trans Jordanem, cum pagis XIV. Fuit hic Agrippa Regum Herodiarum ultimus, qui capta vastataque Hierosolyma Romam concessit: ubi prætoris honoribus auctum scribit DIO. Certe cum Berenice sorore, habitavit in palatio. Eadem illa quacum nunc Cæsaream venit: prosti- tuti pudoris fœmina. Quæ primum Herodi Regi Chalcidis, patruo suo, nupta viduitatem ipso mortuo aliquamdiu coluit, sed parum honestam ac pudicam. Suspecta enim erat nimia ipsius cum Agrippa fratre familiaritas. Quod incestus probrum ut exstingueret, Polemoni Ciliciæ regi nupsit: rursus tamen lubrici magis indulgens quam pudori, divortium cum eo fecit, & ad fratrem rediit: aucto hinc nefariæ conversationis rumore. JOSEPH. Antiq. Lib. XX. Cap. V. Quam & JUVENALIS taxavit, satyra VI.

Adamus notissimus & Beronices,

In digito factus pretiosior; hunc dedit olim,

Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori.

TACITUS de eadem Histor. II. *Nec minore animo Regina Berenice partes ju- vabat, florens ætate formaque, & seni quoque Vespasiano magnificentia munerum, grata. Grator tamen Tito filio: de quo idem TACITUS: Neque abhor- rebat a Berenice juvenilis animus. Et SVETONIUS, Titi VII. propter in- signem regine Berenices amorem, cui & nuptias pallicitus ferebatur.*

§. XIV.

Paulus impetrata loquendi potestate apologia sua ita defungitur, ut in pauca conferat universum vitæ suæ curriculum, primum in judaismo, deinde in christianismo exactum; & ut simul innocentiam suam adserat, confessione de Christo & re christiana edita eo liberiore, quo magis idoneam de ea dicendi occasionem sibi nactus esse videbatur. c. XVI, 1 - - 23. Hic istud controversiæ momentum generale, quod antea de resurrectione inciderat, nunc non repugnante auditorio speciatim ad Christum applicat v. 6. 7. 8. 23. Potiora hujus apologiæ capita jam tum supra nonnullis observationibus illustrata sunt. Sect. I. Cap. II. In primis vero hic notandum est divinum illud oraculum de scopo muneris apostolici inter gentes obeun- di. v. 18. In eo enim, supposita doctrina de Christo, egregie panditur sal- lutis ordo ad ejusdem applicationem, positam in conversione, quæ adju- ctam habeat illuminationem; nec non in justificatione ac renovatione, ad æternæ hæreditatis aditum tendente. Nec sine singulari emphasi, uti e v. 21. 23. liquet, hic denuo demonstravit Apostolus, christianismum Ju- daismo recte intellecto adeo non esse contrarium, ut hic potius illum in justo complemento illustratum & evolutum exhibeat. Nec est dubium, Paulum

Paulum hanc ipsam materiam, cujus summam Lucas refert, paulo plenius deductam proposuisse.

§. XV.

Quod si prolixior non fuit Pauli oratio, Festus obstitit. Hic enim ea per interpellationem interrupta: *insanis*, inquit, *Paule, littera tua multe te ad insaniam convertunt*; satis superque testatus ipse, se esse hominem *ψυχικόν*, cui mysteria salutis sint stultitia 1 Cor. II, 14. Paulus vero convitium istud modesta negatione diluit: *Non insanio*, inquit, *præstantissime Beeste, sed maxime sobria & vera verba loquor*. Et cum inter auditores præcipuum haberet Agrippam regem, rerum in negotio evangelii per Judæam gestarum non ignarum, per prudentem apostrophem eum narrationis suæ testem appellat, & simul de fide prophetarum scriptis habita interrogat, & ita quidem, ut pro eodem ipse respondeat: *novi te credere*, scilicet assensu firmiore quidem pro indole Judæorum, a Sadducæorum secta abhorrentium; at humano tamen & naturali tantum majori ex parte, qualis in hominem, a gratiæ statu adhuc alienum, cadere poterat. Indicare autem vult Apostolus, etiam evangelio a se prædicato habendam esse fidem, utpote Mofi & prophetis in solidum convenienti. Agrippa ea Pauli parrhesia rerumque dictarum evidentia commotus regerit: *Propemodum mihi persuades, ut fiam christianus*: Paulo percommode respondente: *Optarim coram Deo & propemodum & multum*, seu non solum aliquo modo, sed prorsus etiam, *non tantum te, sed omnes etiam, qui me hodie audiunt, mihi similes reddi, exceptis hisce vinculis*. Quibus dictis finitur actus ille, rege, regina ac procuratore Romano una cum reliquis auditoribus præcipuis surgentibus & de Pauli innocentia in loco solitario testificantibus. Frustra Agrippa absolutioni Pauli ejusdem appellationem ad Cæsarem opponit. Cum enim hæc facta esset ex necessitate e supposito crimine, reo absoluto ipsa etiam appellatio cessasset. v. 24--fin. Sed suberat huic negotio alma Dei manus, illud universum ad bonum finem dirigens, uti prædictum fuerat c. XXIII, 11. Egregie itaque hic concurrat causa triplex: voluntas Pauli c. XIX, 21. Dei & ordinarii magistratus, at diversa ratione agentium,



CAPUT

CAPUT II.
DE
ITINERE PAULI ROMANO.

SYNOPSIS.

<p><i>Paulus Casarea, nave vectus Adramyttena, venit Sidonem cum comitibus suis. §. I.</i></p> <p><i>Ubi, favente Julio, centurione, corpus curat & christianos invisit. §. II.</i></p> <p><i>Sidone navigant Myra Lycia, ubi navis Adramyttena permutatur Alexandrina. §. III.</i></p> <p><i>Myris vero ad insulam Cnidum, porro ad Cretam. §. IV.</i></p> <p><i>Hic, repudiato Pauli consilio in gravissimas tempestates incidunt. §. V.</i></p> <p><i>Quo in statu Paulus ad omnes habet orationem bonæ spei plenam. §. VI.</i></p> <p><i>Navis vero porro non sine summo discrimine jactatur in mari Adriatico. §. VII.</i></p> <p><i>Ubi Paulus denuo omnes oratione & suo edentis exemplo erigit. §. VIII.</i></p>	<p><i>Mox subsequitur naufragium, sed sine exitio vectorum, utpote in terram, seu insulam Maltam, enitentium. §. IX.</i></p> <p><i>Ubi humanissime excipiuntur, Paulo mox viperam ad stuporem omnium manu excutiente. §. X.</i></p> <p><i>Idem hic etiam alia edit miracula cum evangelii præconio conjuncta. §. XI.</i></p> <p><i>E Malta exacta hieme veniunt Syracusas, Rhegium, Puteolos, Tres Tabernas, & a fratribus Roma obviam procedentibus excipiuntur. §. XII.</i></p> <p><i>Et tandem Romam perveniunt, ubi Paulus in custodia liberiore habetur. §. XIII.</i></p> <p><i>Judais evangelium prædicat & per biennium in conducto degit domicilio. §. XIV.</i></p>
--	---

§. I.

FActo missionis decreto mox Deo ita dirigente adest navis Adramyttena, quæ ab Africæ oppido, Adramytto, venerat, Casarea in Italiam navigatura. Huic circa auctumnum, tempore non satis commodo amplius, committitur Paulus cum nonnullis aliis captivis, Romæ judicandis, traditus Julio, cohortis Augustæ centurioni, & a latere suo habens Aristarchum, Macedonem illum Theffalonicensem, qui se ipsi e Macedonia in Judæam proficiscenti comitem adjunxerat. Act. XIX, 29. XX, 4. Qui quantumtopere Paulo & evangelicæ veritati fuerit addictus, vel ex eo manifestum est, quod ne vincitum quidem in longioris itineris molestiis deserere voluerit. Id quod Paulo procul dubio insigni cesfit solatio. Conf. Philem. v. 24. & Col. IV, 10. ubi Paulus Roma scribens nomine ejus, & quidem in vinculorum societatem pertracti, alios salutat. Erant itaque quadruplicis generis homines in hac navi; primum captivi & infames, a quibus Paulus in ipsa

communi vinculorum forte a Domino mox luculenter distinguitur: deinde Julius cum militibus suis, quibus captivorum custodia erat demandata: porro Pauli comites amicissimi, *Aristarchus*, uti & *Lucas*, quemadmodum ex ipsa profectiois narratione, quam hic in prima pluralis numeri persona per-textit, haud obscure liquet. Denique nauclerus cum nautis illis, qui istos negotiorum suorum gratia vehendos susceperant. Numerus non videtur multo fuisse minor, quam is navis alterius, Alexandrinæ, quæ conjunctim homines 276. infra v. 37. continuisse dicitur. Act. XXVII, 1, 2.

§. II.

Adidit vero Deus Paulo novum solamen in benevolentia Julii centurionis. Hunc enim ipsi ita conciliavit, ut non solum comiter ipsum haberet, sed etiam, cum sequenti die *Sidonem* appulissent, ipsi permitteret aditum ad amicos, h. e. christianos, ad curandum corpus. Per biennium enim in vinculis hærens squalore carceris multum sordium contraxerat. Fortasse eidem ne custodes quidem adjunxit, de Paulo, data fide, persuasissimus, ipsum ne in amplissima quidem urbe, ubi vel mille latendi & evadendi erant modi, cum suo, centurionis, periculo vitæ suæ consulturum esse. Neque hæc fiducia ipsum fefellit, Paulo statim tempore in navim reverso. Act. XXVII, 3.

§. III.

Sidone provecti mox ventos habebant adversos, qui navim cogebant obliquato cursu infra insulam Cyprum, quam ad dextram præternavigaturi erant, declinare, ea ad sinistram relicta. Et sic pelagus, quod Ciliciam Pamphiliamque alluit, emensi Myra, urbem Lyciæ maritimam, pervenerunt. v. 4. Hic Adramyttena navis Alexandrina in Italiam tendente permutatur. Unde colligas, navem priorem fuisse Lyciam. Nec enim naufragium fecisse dicitur. ARETIUS Adramyttum, unde mutata navis Adramittena dicitur, habet pro insula Lycii maris, Myris vicina. In Lyciæ vero portu nunquam deesse naves Alexandrinas, quæ Ægyptum inter & Asiam ac Italiam commercia sua faciunt, non ignotum fuit Casarea solventibus. v. 4, 5, 6.

§. IV.

Myris tardo feruntur cursu, & cum adversis ventis conflictati complurium dierum spatio vix ad *Cnidum* insulam, ad ultimum Caræ, ubi hæc in peninsulam definit, angulum sitam, perveniunt, & inde *Cretam* circumturi non sine difficultate deferuntur ad promontorium ejus orientale, *Salomonium*, & inde porro ad *bonos portus*, quibus vicina erat urbs Cretæ *Lasea*. Hic auctis navigationis periculis Paulus hortatur nautas, ne illinc ante hiemem discedant, non solum navis, sed omnium etiam, quos illa continebat,

bat,

bat, vitæ jactura illis proposita v. 9, 10. Disquisitionis ratio desumitur a circumstantia temporis, scilicet a jejunio jam præterlapso. Hic vero *jejunium* intelligi *Judaicum*, quod anniversariæ expiationis die habebatur, & in diem decimum mensis Tisri, partim septembri, partim octobri nostro respondentis, incidebat, vix ullum superesse potest dubium. Judæis enim nullum aliud jejunium erat notabilius. Et quamvis Lucas ritui isti Judaico non amplius erat addictus; nihil tamen ipsi, tanquam scriptori Judæo, erat convenientius, quam notationem temporis locutione Judaica exprimere. Romanus dixisset, jam ingruente hieme maria claudi-

§. V.

Verum enim vero gubernator & nauclerus Pauli consilium non approbant, caussati, portum istum Cretæ ad hiemandum sibi haud esse idoneum; & illis assentitur centurio, in suam ipsorum perniciem ruentibus, quantum in ipsis erat. Atque ita mari se rursus permittunt, ad *Phænicen*, portum Cretæ meridionalem, qui ad occidentem vergit, & ad hibernandum ipsis commodior videbatur, contendentes v. 11, 12. Et noto adspirante Cretam *ἀσσον* prope præterlegebant. Vocem *ἀσσον* hic esse adverbium ex *ἔγγυς*, non vero nomen urbis, uti interpretes multi cum LUTHERO existimarunt, pluribus ostensum vide a BEZA & ERASMO SCHMIDIO in h. l. Conf. PASOREM in Lexico. Phænicen vero non pervenerunt, sed vento turbulento abrepti ad *Claudam*, parvam insulam, quæ infra Cretam ad occasum sita est, delati sunt. Hic tempestas adeo invalescebat, ut vix compotes fierent scaphæ, quam multo molimine in navem subtrahebant, ne fluctibus allisa confringeretur. v. 13 - 16. Quæ subducta *βονθείας ἐχρῶντο* ministeriis utebantur, convocata navali plebe, ut, quæ a paucis fieri non poterant, conjunctis plurium operis perficerentur. Et sic subcingebant navem, funibus undiquaque sub fundam ad constringenda navis latera adductis, ne vi fluctuum dissilirent. Emen-danda hic versio LUTHERI, qui cincturam refert ad scapham, vertens: *bunden ihn unten an das Schiff*. Sed invaluit magis magisque periculum. Unde metu syrtium primum coguntur *vas demittere*; quod de ancoris intelligendum esse videtur: v. 17. deinde facere *ἐκβολήν*, jacturam, seu onera quadam abjicere; & tandem reliquam navis supellectilem, seu onera reliqua, ejicere; sed sine ulla salutis spe; utpote quam tempestas, per plures dies continuata, cunctis, Paulo tamen, fortasse etiam comitibus ejus exceptis, plane ademerat. v. 13-20. Et ad hæc mala cuncta accedebat inedia, non quam cibi penuria, sed quam labores nautici & angores effecerant. Cuncti enim dies noctesque sine ullis intervallis omni nisu erant occupati in nave a præsentissimo interitu tuenda. v. 21.

§. VI.

§. VI.

In desperato hoc rerum statu Paulus divino oraculo motus gravissimam habet orationem ad nautas & reliquos omnes. Et hac primum causam malorum omnium in nautas conjicit, utpote salubris consilii contemtores v. 21. deinde ipsos bono esse animo jubet, addita ratione & prædictione de conservanda vita & salute omnium ac singulorum, non tamen sine jactura ipsius navis. Quæ res auxilii universalis magnitudinem augebat. v. 22. Et huic promissioni ac consolationi fidem facit allegatione oraculi divini, proxime præcedenti nocte per angelum accepti: cujus summa erat, Paulum sistendum esse coram cæsare, ipsique omnium, quotquot navis contineat, vitam donatam esse, ideoque metum omnem esse omitendum. Unde haud obscure colligas, Paulum pro singulorum salute ardentissimis votis fuisse deprecatum. v. 23, 24. Denique ipsos denuo hortatur, ut bono ac fidenti sint animo, de eventu certissimi; quemadmodum se ipsum esse videant: addito novo oraculo, fore, ut in insulam quandam excidant. v. 26. Ubi LUTHERUS verbum *ἐκπεσεῖν* minus commode reddit per *ansahren*. Notatur enim eo futurum naufragium; siquidem naufragi dicuntur excidere in insulam, aut continentem, quando ab ea cum difficultate excepti servantur.

§. VII.

Jam decima quarta agebatur nox a calamitosæ istius navigationis, in quam relicta Creta inciderant, initio, cum in mari Adriatico jactati nautæ existimarent, se a continenti non procul abesse: ideoque bolide, seu plumbo nautico, maris altitudinem bis explorabant, eamque deprehendebant primum viginti, deinde quindecim orgyrum, quarum singulæ pro expansione duorum brachiorum sex pedum longitudinem habent. Ubi cum metuerent, ne in loca aspera inciderent, jactis e puppi ancoris quatuor, anxia solitudine diem operiebantur. Quam parum vero Paulus hortatione sua apud asperrimi ingenii homines profecisset, vel inde conspiciebatur, quod demissa in mare scapha fugam e nave moliti sunt. Fortasse iram centurionis reformidarunt, existimantes, fore, ut de se, tantquam optimi consilii contemtoribus, & tot damnorum auctoribus temerariis, in terra supplicium sumeretur. Certe salutis suæ consuluerunt cum vectorum omnium interitu. Quem dolum simulac Paulus intellexit, statim centurioni detexit, edicens: *nisi isti in nave manserint, vos salvi esse non potestis*. Servare volebat Deus omnes, sed ita, ut alii aliis non deessent. Et cum Paulus dicere potuisset: *nos salvi esse non possumus*, de se ac comitibus suis securus dixit: *vos milites cum captivis servari haud potestis*. Adeo nunc obsequentes habebat milites, ut funibus scaphæ abscisis nautas in nave retinerent. v. 27 - 32.

§. VIII.

§. VIII.

Ex oriente autem die omnes hortatur, ut bono sint animo, sum-
toque cibo corpora sua curent ac reficiant: *quartus decimus*, inquit, *jama-
gitur dies*, ex quo ἀσῖτοι, h. e. *impransi & incenati manetis*, nihil accipientes,
scilicet consveto & ordinario edendi modo. Singulos enim raptim cepisse
aliquid cibi, quantum per labores nauticos licuerit, non negat. *Quare*,
pergit, *hortor vos, ut capiatis cibum*. Hoc enim ad salutem vestram pertinet (quan-
doquidem hoc ordine & hac lege Deus vos servare vult, ut promissioni e-
jus fidatis:) *nam nemo vestrum vel ullius capilli (nedum capitis) jacturam faciet*.
Nec oratione solum, sed exemplo quoque suo, afflictos erigit. Nam in
conspectu omnium accipit panem, actisque Dei gratias eum inter suos di-
tribuendum frangit ac edit fidenti animo, in religioso edendi ritu, qui cum
gratiarum actione fiebat, Christum imitatus Matth. XV, 36. Marc. VIII, 6.
19. Joh. VI, 11. Conf. Luc. XXIV, 30. 1. Tim. IV, 4. Agnoscunt tandem
ipsi nautæ Paulum revera esse navis suæ gubernatorem, ideoque exemplum
ejus secuti & Deo confisi curæ corporis aliquantulum temporis impendunt,
conjunctim 276. Expleti cibo navem denuo levant, quo facilius ad lit-
tus applicari possit, ejecto in mare tritico, quod ex Ægypto, Romanorum
granario, in Italiam devehebant. v. 33 - 38.

§. IX.

Exortus dies tandem dedit ἐκβάσιu periculosissimæ navigationi,
sed non sine naufragio, seu jactura solius navis. Vident sinum aliquem,
sed ignotæ terræ. Huc conantur appellere navem. Quare ancoris intra
navem retractis remorum vincula laxant, tolluntque antemonem, seu ma-
lum, aut carbasa ac vela, & ad littus contendunt. Incidunt vero in lo-
cum aliquem bimarem, seu in aliquas terræ angustias, quæ in mare pro-
currebant: cui loco tanta fluctuum vi impinguntur, ut prora eidem infixamaneat,
puppis vero undarum impetu solvatur. Jam omnis fere salutis
spes in natandi & emergendi subsidio erat. Sed hanc captivis invide-
bant milites, & eos adactis in pectora ferro instinctu satanæ, Paulum, ut
olim inter infantes Christum, hoc pacto simul sublaturi e medio, truci-
dassent, nisi intercessisset auctoritas centurionis, illum, cujus ope omnes
servati fuerant, servare cupientis. Tandem omnes ac singuli, quæ singu-
laris erat gratia Dei, salvi evadunt, partim natatus, partim tabularum ac
fragmentorum, adminiculo usi. v. 39 - fin.

§. X.

In terram expositi cognoscunt, insulam esse *Meliten*, seu *Maltam*,
quæ infra Siciliam sita est. Hic barbari, seu Melitenses, Punica, ut proba-
bile est, lingua usi, arcano Dei instinctu in humanitatem ipsorum natu-
ralem

T

ralem

ralem influente, naufragos spumis marinis lutoque fœdatos & frigore ad-
eo rigentes, ut vix spiritum traherent, comiter excipiebant, exceptisque
& hibernantibus quævis humanitatis officia præstabant. Accidit vero in
Dei gloriam luculentius celebrandam, ut, Paulo sarmenta ad pyram con-
gerente, vipera quædam, quæ in iis delituerat, calore incitata illico ma-
num ejus corripere, satana, qui viperæ imagine in sacris exprimitur, Pauli
necem sic denuo moliente. Cujus venenum cum immedicabile esse Meli-
tenses non ignorarent: *omnino*, inquebant, *homicida est, quem e mari ser-
vatum ultio non sinit vivere*; præcipiti quidem iudicio, at religioso tamen, seu
quod aliquam summi Numinis agnitionem prodit. Sed mox, ubi Pauli ne-
cem ab excussa vipera frustra exspectaverant, mutata sententia in alterum
ruunt extremum, ipsum præ admiratione pro Deo aliquo habentes. Quem
errorem Paulus procul dubio gravissime repressit. c. XXVIII, 1-6. ut supra
c. XIV, 14.

§. XI.

Nec alia hic defuerunt opera *θαυματουργικά*, quibus Meliten-
bus via patefacta fuit ad fidem in Christum. Nam Publius, qui insulæ pri-
mus erat, proconsulis Siculi nomine res illic administrans, habebat patrem
febri & dysenteria laborantem. Hunc Paulus adit & solis precibus ac ma-
nuum impositione illico sanat; quam potestatem Christus Apostolis promi-
serat Marc. XVI, 18. Quo miraculo excitati insulares reliqui, quotquot
morbis tenebantur, ad Paulum accedebant, partim aliorum opera usi, &
confestim curabantur singuli. Quibus illi beneficiis cumulate affecti Pau-
lum ejusque comites habent honorifice, & discessuris de iis omnibus, quæ
navalis itineris ratio postulabat, benevolentissime prospiciunt. v. 7-10.
Nec est dubium, quin evangelicæ cognitionis lumine complures fuerint
collustrati; maxime si consideremus, Paulum cum suis per tres menses hi-
berna egisse in ista insula v. 11. Unde amplissima ipsi subministrata fuit oc-
casio pro evangelio per universam insulam diffundendo.

§. XII.

Exactis in Malta tribus mensibus hibernis Paulus cum comitibus
suis alia nave Alexandrina, quæ ibidem hiemaverat, & cui insigne erat
Διόσκουροι h. e. *Jovis filii*, seu *Castor & Pollux* (de quibus videantur pœtarum
fabulæ) provectus est *Syracusas*, præcipuam Siciliæ urbem, portu egregio
insignem. Hic triduo subsistunt nautæ commerciorum causa. Inde cir-
cumlegentes littus venerunt *Rhegium*, maritimam Italiæ imæ civitatem,
Messanæ Siciliæ oppositam, olim a ruptura, per quam Sicilia ab Italia di-
vulsa fuit, sic dictam. Et hinc afflante vento commodo, nimirum austro,
postero die delati sunt *Puteolos*, civitatem Campaniæ, Neapoli vicinam, ubi
naves

naves Alexandrinæ appelli solebant, teste SENECA epist. 77. Hic a christianis, quos non sine singulari gaudio deprehenderant, rogati, indulgente centurione, septiduum subsistunt & inde pedestri itinere, ad itineris universi terminum, Romam, proficiscuntur. Cum vero fama jam tum Pauli, christianis ejus loci omnibus jam ex epistola notissimi, adventum nuntiasset, prodierunt ipsi obviam, alii usque ad *Appii forum*, quod in via Appia (ab Appio Roma Campaniam versus strata) oppidum erat; alii vero, qui serius urbe exiverant, ad *Tres Tabernas*. Istorum conspectu & alloquio insigniter recreatus est Paulus, actisque Deo gratias, cepit animum, fiducia ac spe, quæ tamen nec antea ipsi defuit, fortius suffultum. c. XXVII, II - 15.

§. XIII.

Sic exceptus jam tum extra urbem Paulus tandem, post tot casus & post tot rerum discrimina, terra marique multum jactatus venit ROMAM anno Neronis VII, mense Februarii. Ubi captivi traduntur summo militiæ præfecto; qui illos per diversos carceres disposuit, iudicio sistendos. Paulo autem, procul dubio e commendatione centurionis Julii, permittitur custodiæ, seu mansionis, libertas, custode unico milite. v. 16. De quo optime ARETIUS: *Miles illi additur, ut illum custodiat. Hoc homines sic accipiebant, ne scilicet Paulus aufugeret, sed Dominus contra, ne quis Paulum lederet. Ita militis metu Judæi non audent illi esse molesti, non contra eum conspirant. Hoc pacto captivitas Pauli est illi pro libertate & defensione. Ita mala in prospera saepe convertuntur.* Vocem *σφατωπεδαχης* quidam non incommode interpretantur de præfecto prætorii. Vide BEZAM & GROTIUM. Præerat autem eo tempore prætoriano militi Burrhus, vir æqui & honesti tenax, qui una cum Seneca moderandæ Neronis juventuti fuerat adhibitus. Miles vero Paulo in custodiam datus more Romano eadem catena constrictus tenebatur, quæ captivi dextro, militis sinistro, brachio erat alligata, sed nexu longiore intervallum aliquod relinquens. De qua SENECA epist. V. *Eadem, inquit, catena & custodiam & militem copulat.* Vide GROTIUM in h. l. Hæc illa est catena, quam Judæis conspiciendam exhibet v. 20. & quam in litteris suis hoc tempore scriptis, sed vinculorum nomine, commemorat. Et militem hunc, indivulsum Pauli custodem ac tot sermonum evangelicorum auditorem, tandem etiam Christo fuisse lucrifactum, omnino est probabile.

§. XIV.

Paulus pro suo erga Judaicam gentem affectu tenerrimo salutis ipsorum est cupidissimus. Ideo tertio statim die ab adventu suo Judæorum primores convocat, iisque exponit veram & falsam vinculorum suorum

T 2

caus.

causam, in primo mox sermone, cujus procul dubio summam tantum retulit Lucas, non dissimulans momentum causæ præcipuum de Messia jam misso. Hoc enim dissimulatum non fuisse, ex ipsa Judæorum responsione liquet, qua testantur, sectam istam Naziræorum, cui se addixerit, ubique locorum contradictionibus esse obnoxiam. Dei vero providentia factum erat, ut nemo Judæorum e Palæstina Judæos Romanos odio adversus Paulum occuparet, quemadmodum metuisse videtur Apostolus. Nec discessus navis antea innotuisse videtur Judæis, alias nihil omisuris, quod Paulo & evangelio adversum esse potuisset. Laudabile vero erat in Judæis illud Paulum audiendi studium, quo, non morati aliorum contradictionem, de doctrina christiana uberius erudiri cupiebant. Comparent itaque statuto die complures in diversorio Pauli, quibus hic, quod res erat, collatis Mosis ac prophetarum oraculis, longo sermone, a matutino tempore ad vespertinum usque protracto, non sine insigni parrhesia exponit, sed eventu diverso, aliis assentientibus, aliis vero repugnantibus, quibus Paulus gravissimum Jesaïæ locum de proæretica obduratione applicat, subjungens, salutem Dei gentibus esse missam, eam auditoris ac receptoris. Quo dicto Judæi discesserunt, multam disquisitionum materiam nacti v. 23---29. Ceterum biennium exegit Paulus in conducto domicilio, militi suo junctus, & in eo hospitem se exhibuit omnibus, ipsum evangelii causa invisentibus. Et cum libera ipsi relicta esset potestas in præconio evangelii, ecclesiæ Romanorum permultum profuit, liberrime de regno Messia, seu Jesu Christi, concionatus, v. 30. 31. Hactenus Lucas.

CAPUT III.

DE

VINCULIS PAULI PRIORIBUS ET DE
SCRIPTIS IN IIS QUATUOR EPISTOLIS.

SYNOPSIS.

<i>Paulus Romæ per duos captivitatis suæ annos fuit assiduus in præconio evangelii. §. I.</i>	<i>stolas: ut eam ad Philemonem. §. V.</i>
<i>Id quod universæ etiam aule innotuit, nonnullis ex ea conversis. §. II. III.</i>	<i>Equa vincula Pauli illustrantur. VI.</i>
<i>Pertinet huc historia Onesimi, Romæ hoc tempore a Paulo conversi. §. IV.</i>	<i>Eam ad Colossenses §. VII. ubi Sandbagenii sententiæ expenduntur. §. VIII. IX.</i>
<i>Apostolus hoc tempore scripsit aliquot epi-</i>	<i>Porro ea ad Philippenses. §. X.</i>
	<i>Equa vincula Pauli priora itidem illustrari possunt. §. XI.</i>
	<i>Tandem</i>

Tandem exacto captivitatis biennio in Italia scripta est epistola ad Hebræos §. XII.

Epistolam ad Hebræos Pauli esse, multis argumentis probatur. §. XIV.

Qua scripta Paulus adhuc diutius egit in Italia, sed incertis sedibus. §. XIII.

Huc pertinet consensus omnis antiquitatis. §. XV. XVI.

Nec obstat locus Hebr. II, 3. §. XVII.

§. I.

Captivitas Pauli prior liberior fuit ac honestiore commendatione Julii centurionis, intercedente singulari Dei nutu, ipsi procul dubio procurata. Vide Act. XXVIII, 16 30. 31. coll. c. XXVII, 3. Vixit enim Apostolus pro lubitu suo in peculiari domicilio, quod ære suo, ab aliis subministrato, conduxerat. Neque id angustum fuisse videtur. Dicitur enim advenas quosque, seu eos, qui ipsum evangelii causa inviserint, suscepisse. Quorum tamen alios aliis mature locum fecisse, seu cessasse, non est dubium. Cum nec potestas ipsi esset adempta: evangelium prædicandi, in ejus præconio magna usus est parrhesia. ibid. Et cum Roma esset quoddam universi orbis compendium, advenarum frequentia affluens, Paulus vero jam antea apud multas alias nationes magnam nominis celebritatem esset adeptus, facile potest colligi, domum ejus perpetuam Christi scholam, auditoribus frequentissimam, fuisse. Quid vero in causâ, cur Paulus Romam fuerat missus, cognitione per illud captivitatis prioris biennium, quod Lucas commemorat, gestum sit, non liquet. Videntur iudices eam tractasse somnolentius, & agnovisse quidem Pauli innocentiam, ipsum tamen in gratiam Judæorum noluisse citius absolvere. Non tamen prætermittenda sunt ea historiarum hujus temporis indicia, quæ in quatuor epistolis Romanæ scriptis suppeditantur, de quibus deinceps.

§. II.

Illud vero de hoc ipso custodiae biennio notatum est dignissimum, quod secundum Philipp. I, 13. *Vincula Pauli innotuerint in universo prætorio & reliquis omnibus, Romæ ubivis locorum degentibus, scilicet ea esse ἐν χερσίν, non malorum facinorum, sed Christi causa, quam innocentissime geri. Nec sterilem sui notitiam apud aulicos aliosque præcipuorum ordinum homines reliquerat evangelium, sed multis extiterat odor vitæ ad vitam, adeo ut Paulus Philippenses speciatim etiam aulicorum, immo fortasse eorum quoque, qui ad familiam Neronis pertinebant, nomine salutare possent. c. IV, 22. De prætorio hæc bene monet GROTIVS in h. l. Prætor olim dictus est is, qui præiret exercitui, ut Varro explicat: hinc cohors prætoriana, navis prætoriana. Hinc prætorium dici cæpit tentorium imperatoris: inde etiam præsidis provinciæ domus: duo*

T 3;

præto-

pratoria coli apud Tacitum. Romæ cesarum domus palatium dicebatur; sed provinciales, assueti vocabulo pratorii, appellabant & hanc pratorium Conf. CALVINUS in h. l. Quidquid alii sciscant de voce pratorii, manifestum tamen est e formula salutationis, Paulum in ipsa aula obscurum nomen non mansisse. Et si non solum pratorio, sed reliquis etiam omnibus, ejus causa innotuit, quidni etiam aulicis & ipsi cesari, ad cujus cognitionem, pro jure civium Romanorum, Paulus in Judæa provocaverat. Inter istos BARONIUS refert *Torpetem* quendam, deinceps, teste Martyrologio Romano, martyrio coronatum. Alii iis, qui evangelio ex aulicis fuerint addicti, accensent *Sabinam Poppæam*, cui JOSEPHUS Antiquit. L. XX. c. VII. tribuit Judæorum patrociniū. Duxerat eam in uxorem Nero, repudiata Octavia. TACIT. Annal. L. XIV. c. IX.

§. III.

Probabile omnino est, huc, cum temporis respondeat ratio, pertinere illum TACITI locum de *Pomponia Græcina* Annal. L. XIII. *Et Pomponia Græcina, insignis femina, Plautio, qui ovans se de Britannia retulit, nupta, & SUPERSTITIONIS EXTERNÆ REA, mariti judicio permissa. Isque prisco instituto, propinquis coram, de capite fama que conjugis cognovit, & insontem nuntiavit. Longa huic Pomponia etas & CONTINUA TRISTITIA fuit. Nam post Juliam Drusi filiam dolo Messaline interfectam, per quadraginta annos, non cultu nisi lugubri, non animo, nisi mæsto egit. Idque illi imperitante Claudio impune, mox in gloriam vertit. Quis dubitaret, hic per superstitionem externam intelligi religionem christianam, quam profanos homines superstitionem vocasse, mirum non est, ipso Festi, procuratoris Romani, exemplo & judicio id comprobante Act. XXV, 19. ubi religionem christianam *superstitionem* vocat. Et quæ de Pomponiæ tristitia dicuntur, commodissime intelliguntur de ejus pœnitentia, ac de vita, deliciarum ac voluptatum hujus seculi contemtu conspicua. Quæ etsi spirituali lætitia carebat minime, profanis tamen visa est ab omni lætitiæ sensu plane sejuncta fuisse; secundum illud Pauli: *ὡς λυπόμενοι, ἀεὶ δὲ χαίροντες, als die Traurigen/ aber als lezeit fröhlich.* 2 Cor. VI, 10.*

§. IV.

Ad hunc temporis articulum pertinet historia *Onesimi*, a Paulo in vinculis prioribus Romæ agente conversi. Fuit hic patria Colossensis, teste ipso Paulo Col. IV, 9. & conditione servus Philemonis, Colossensis civis & fortasse etiam antistitis, omnino homo ἀχρηστος, immo trium litterarum, qui, postquam furti crimine se obstrinxerat, infami fuga se hero suo subduxit. Sed singulari Dei providentia evenit, ut navi Romam dilapsus in Paulum incideret, de quo jam Colossis optima quæque audiverat, sed sine fructu. Quem

Quem

Quem cum Romæ audiret, conscientia remorsus, qui fortasse ipsum in scholam Pauli adegerant, existebant tanti, ut non nisi vera ad Christum conversione & cum hero suo reconciliatione, intercessione Pauli efficienda & effecta, sedari possent. De episcopatu ejus hæc e GROTIUS & USSERIO collecta exhibet CALOVIUS Prolegom. „Onesimum vero Ephesiorum Episcopum facit Grotius. In quo Episcopatu Timotheo ipsum „succesfisse, affirmat Estius, idque e B. Ignatii epistola ad Ephesios uterque „probat. Ita eum Ephesius commendat ὁ Θεοδότος: *Quoniam ego suscepi „multitudinem vestram in nomine Dei in Onesimo dilecto præceptore nostro* (in Cod. „& Anglic. Usserii, & Florent. Vosii, legitur: τῶ ἐν ἀγάπῃ ἀδινυήτῳ, „qui in charitate inenarrabilis est) *vestro autem Episcopo. - Obsecro eum secun-* „*dum Jesum Christum diligere vos, & vos omnes in concordia ejus in ipso esse. Bene-* „*dictus enim Deus, qui vobis talibus talem Episcopum donavit habere in Christo.* „Hunc eundem esse, de quo in præfenti epistola Paulus, in libello de festi- „vitatibus ad XIV. Kal. Mart. affirmat Ado: cui etiam Bedæ, Notkeri & Ro- „manum Martyrologia consonant. Mira Dei gratia, quod ex servulo fugi- „tivo & furti reo tantus factus sit Episcopus! In Græcorum tamen *Menaïs* „& *Simeone* metaphrasta Episcopatus ipsius Ephesinus non agnoscitur: ac „successor Timothei in illo episcopatu a Dorotheo *Gajus*, non *Onesimus*, con- „stituitur. Quem Gajum etiam Hippolyti de LXX. discipulis libellum in- „editum Ephesiorum Episcopum facere, observavit in annot. suis ad epistol. „Ignatii *Jacobus Usserius*. Qui vero Onesimum succesfisse Gajo tradit, ta- „meti in Clementinis Constitut. L. VII. c. 48. ille Philemonis Onesimus „Beroeæ in Macedonia ab Apostolis constitutus fuisse dicatur Episcopus.

§. V.

Consideremus nunc epistolas, quas Paulus hoc tempore scripsit, nimirum eam ad *Philemonem*, ad *Colossenses*, ad *Philippenses*, quas deinceps ea ad *Hebræos* secuta est. Eam, quæ ad Philemonem extat, ad hoc prioris captivitatis biennium pertinere, patet:

1. *Ex historia Onesimi*, qui lator fuit epistolæ hujus.
2. *E mentione vinculorum*, in quibus ipsum ex evangelio genuit, & in quibus apostolus epistolam scripsit. v. 1. 10. Intelligi vero priora vincula, liquet e certa adventus spe, qua ductus expetit, ut sibi hospitium pareretur apud Philemonem. v. 22.
3. *E salutatione Epaphræ*, seu Epaphroditi, v. 23. quem Philippenses ad Paulum cum vitæ necessariis Romam miserant Phil. IV, 10.-18. & quem deinceps ad ipsos remisit Paulus c. II, 25, seqq.

§. VI.

§. VI.

Notandæ hic sunt personæ, quas Paulus Romæ secum in contubernio habuit, & quarum nomine Philemonem salutat:

Epaphras, Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas v. 23. 24. Nam etiam ex horum consideratione aliquid lucis accipit Pauli historia in vinculis prioribus. *Lucas & Aristarchus* Paulo se comites adjunxerant, ex Asia Hierosolymam & inde porro Romam proficiscenti; quemadmodum supra suo loco vidimus.

Epaphras, seu Epaphroditus, a Philippensibus cum subsidio aliquo Romam missus fuerat ad Paulum Philipp. IV, 18. Et ibidem Pauli & evangelii causa vincula subiit una cum Paulo. Unde ipsum Paulus Philem. v. 23. vocat συναϊχμαλωτο, *oncaptivum*. Id quod in epistola ad Philippenses ita declaratur, ut dicatur, ipsum in ministerio Pauli, quod Philippensium loco præstiterit, in vitæ discrimen venisse. c. II, 30. Idem Paulo statum ecclesiæ Colossensis narraverat Col. I, 7. 8.

Marcus hic is ipse est, cujus supra in historia Pauli facta est mentio, nimirum Joannes ille, cognomento Marcus, consobrinus Barnabæ: quemadmodum liquet e Coloss. IV, 10. Conf. Act. XII, 12. 25. XV, 37. 39. Et cum in vinculis posterioribus Roma abesset & ageret in Asia, eo a Paulo arcesitur 2 Tim. IV, 11.

Demas in vinculis prioribus hæsit a Pauli latere, eidem & evangelio additus. At in vinculis posterioribus, quæ duriora erant, cæpit ἐκκακῆν, seu afflictioni succumbere, ideoque Paulum deseruit, mundi hujus amore ductus 2 Tim. IV, 11.

Timotheus vero, quem sibi Paulus statim in ipsa epistolæ inscriptione jungit, quando venerit Romam, non liquet. Magnum ipsius erat nomen in ecclesiis Asiæ ac Græciæ; unde apostolus non dubitat hic & in epistolis ad Colossenses & Philippenses ipsum sibi ad latus ponere. In vinculis vero posterioribus Roma aberat, ideoque eo evocabatur 2 Tim. IV, 9. 21.

§. VII.

Epistola ad Colossenses eodem tempore scripta, & simul cum ea, quæ ad Philemonem Colossensem data erat, transmissa est. Id quod colligitur:

1. E mentione *Onesimi* Colossensis, tanquam latoris hujus epistolæ, postquam conversus erat. c. IV, 9.
2. E mentione vinculorum, c. IV, 3. 18. quorum Aristarchum vocat participem. v. 10. Vincula vero priora intelligi, manifestum est e præsentia *Timothei* c. I, 1. qui in vinculis posterioribus Paulo non adfuit; nec non e salu-

e salutatione ab Epaphra, Aristarcho, Luca & Dema in utraque epistola perscripta. Ab illis enim Paulus in posterioribus vinculis pariter se junctus fuit.

§. VIII.

SANDHAGENIUS quidem existimat, hanc ad Colossenses epistolam scriptam esse serius, & transmissam per Onesimum, postquam is herero suo jam fuerit reconciliatus & Romam ad Paulum, ut ipsi ministraret, remissus. Sed hoc mihi non videtur probabile. Paulus enim jam tum in epistola ad Philemonem hospitium sibi expetit parari, facta adventus sui spe. Quare Philemon jam expectavit Paulum & incertus fuit, num, si remitteretur Onesimus, ipsum adhuc Romæ esset deprehensurus. Impossibile tamen non est, Onesimum a Philemone statim fuisse remissum, quando quidem Paulus scripserat, sibi ipsum usui fuisse in vinculis, & parum abfuisse, quin ipsum Philemonis loco in ministerio suo Romæ retinuerit. v. 13. 14. Quod cum legeret Philemon, fortasse inductus fuit, ut statim remitteret Onesimum, eum in finem, ut captivo subserviret, ipsumque, simul ac in libertatem restitutus esset, ad se Colossas deduceret. Quo supposito porro dicendum esset, Paulum ob captivitatem diutius protractam Onesimum non retinuisse secum, sed certas ob causas de novo misisse Colossas, secundum c. IV, 9.

§. IX.

Quod vero idem SANDHAGENIUS existimat, Archippum tempore scriptæ ad Philemonem epistolæ adhuc in hujus ædibus fuisse, secundum v. 2. deinceps vero in Epaphræ antistitis, qui Colossis discesserit, locum successisse, Col. IV, 17. probabilitate caret, si successio intelligatur ἀμείωτος talis. Nam cum Apostolus ad Philemonem scriberet, ipsique in inscriptione jungeret Archippum, ejus e sententia SANDHAGENII domesticum, Epaphras jam tum discesserat Colossis, immo jam tum a Pauli latere hærebat Romæ, utpote cujus nomine Paulus Philemonem salutat. v. 23. Quod vero in epistola ad Colossenses *Aristarchum*, c. IV, v. 10. in ea ad Philemonem *Epaphram* vocat vinculum participem v. 23. intelligendum est vel inclusive, vel successive de diverso tempore. Ceterum ecclesia Colossensium, uti & Laodiceensium, serius plantata esse videtur, postquam Paulus jam discesserat ex Asia. Alias enim non est probabile, illam ab ipso ne visam quidem fuisse, quod testatur c. I, 4. 6. 7. 8. c. II, 1.

§. X.

Sequitur epistola ad *Philippenses*. Hanc iis, quæ ad Philemonem & Colossenses scripta est, posteriorem esse, inde constat, quod missa est per Epaphram, c. II, 25. seqq. quem in epistolis istis Paulus scribit adhuc a latere suo,

U

re suo,

re suo, immo in vinculorum societate, hæsisse. Non fuit itaque hæc epistola istis prior, uti SANDHAGENIUS existimat. Romæ vero in ipsis vinculis prioribus scriptam esse hanc ad Philippenses epistolam, liquet:

1. *E missione per Epaphram facta*, uti jam dictum est.
2. *E mentione vinculorum* in universo prætorio Romano manifestatorum. c. I, 7. 13. Hæc vero de captivitate priore intelligenda esse, docet expressum illud ac repetitum desiderium ac propositum de Philippensibus visendis: id quod in vinculis posterioribus non habuit, nec post ea impletum vidit: siquidem illa ipsi mortem attulerunt.
3. *E salutatione Philippensium* passiva, nomine eorum, qui ex ipsa domo Cæsarea ad Christum conversi fuerant, facta. c. IV, 22.
4. *E presentia Timothei*. c. I, 1. II, 19. Hunc vero vinculorum posteriorum tempore non fuisse in Italia, nedum Romæ, ex eo liquet, quod a Paulo morti vicino per posteriorem epistolam eo fuit vocatus. 2 Tim. IV, 9. 21.

§. XI.

Jam videamus, quomodo hæc epistola in nonnullis momentis historiam biennii Paulini, quod priorum erat vinculorum, illustret:

1. Pauli status afflictus adeo non obstetit evangelio, ut potius ejus *εὐωδίαν* multis modis promoverit. c. I, 12. 13. 14. De benedictione illa, quæ in ipsa aula obtenta fuit, secundum v. 13. & c. IV, 22. jam dictum est paulo ante.
2. Paulus in ecclesia Romana expertus est falsos fratres, maxime in ordine docentium, qui fuisse videntur Judæi, minus recte ad Christum conversi. c. I, v. 15. 16. Et de his valet illud c. II, 21. *omnes, quæ sua sunt, querunt.*
3. Scopus Pauli, cur Romam venerat, erat apologia evangelii. v. 17.
4. Paulus Romæ erat in expectatione vitæ longioris, uti & mortis, ad utrumque paratus. c. I v. 20. 21. flagrans amore Christi, consummatam cum eo communionem expetens. v. 23. nec non studio Philippensibus aliisque diutius inserviendi v. 22. 24. Prævaluit tamen spes vitæ & iterati adventus v. 25. seqq. c. II, 24. De incerto vinculorum eventu vide c. II, 23.
5. Paulus Timotheum in prioribus vinculis habuit a latere suo. Unde Philippenses ejus nomine salutatur c. I, 1. ipsisque spem facit mittendi ad ipsos Timothei. c. II, 19. 23. Unde & quando Timotheus in Italiam venerit, incertum est. Cum Apostolo ipsum eo profectum nullum exstat indicium. Ultimo loco ejus mentio fit. Act. XX, 4. Habebat eum in laborum societate Corinthi, cum epistolam scriberet ad Romanos Rom. XVI, 21.

6, Phi.

6. Philippenses, qui jam olim Paulo bis Thessalonicam vitæ necessaria sub-
miserant, ea eidem per Epaphroditum Romam quoque miserunt c.
IV, 10--19. e quibus is advenis, qui ipsum evangelii causa identidem
salutabant, potuit subvenire. Hunc vero ipsum Epaphroditum aposto-
lus ad Philippenses cum epistola remisit. c. II, 25--30.
7. Vincula Pauli priora erant quidem liberiora; at vario tamen periculo
non caruerunt; quandoquidem Epaphrodito Pauli causa, ut ipsi Phi-
lippensium loco ministraret, ipsius vitæ discrimen subeundum fuit,
c. II, 30. Immo ex epist. ad Philem. v. 23. liquet, *Epaphram* ipforum
vinculorum participem esse factum. Id quod ad Colossens. c. IV, 10,
etiam de *Aristarcho* dicitur. Conf. v. 17. Ubi Paulus indicat, facile fieri
posse, ut libaminis instar habeatur, mortem violentam notans.
8. Epaphras primum plantaverat Ecclesiam Colossensium. c. I. v. 3--7.
c. IV, 12. Deinceps inde discesserat ad Philippenses; & hi ipsum mox
cum subsidio aliquo ablegaverant Romam ad Paulum c. IV, 18. qui
eundem cum epistola ad Philippenses remisit. c. II, 25. seqq. post-
quam ipsi cum periculo vitæ ministraverat: ibid. edita de statu Colof-
sensium narratione. c. I, 4--8.

§. XII.

Tandem etiam hic referenda est epistola Pauli ad Hebræos, quemad-
modum colligi potest:

1. *E mentione Italia*, ubi scripta & unde missa est hæc epistola. c. XIII, 24.
2. *E promissione adventus*. E quo historiæ horum temporum momento pa-
tet, intelligi hic tempus captivitatis prioris; utpote e qua dimissus fuit.
3. *E mentione Timothei*, quocum Paulus se Hebræos, per quos procul dubio
intelligit christianos, qui in Palæstina & in dispersione inter gentes vive-
bant, invisurum esse, promittit. Timotheus vero, Paulo hanc episto-
lam scribente, non in eodem cum ipso loco vixit. Scribit enim: *simul
ac venerit, vos videbo*. Ubi fuerit, determinari nequit. Fuisse tamen in
Italia, ex eo colligas, quod Apostolus refert, ipsum e vinculis jam esse
dimissum, Unde videmus eum hæc veritatis causa subiisse, quemad-
modum refert de Epaphra, nec non de Aristarcho Philem. 23. Coloss.
IV, 10. Probabile omnino est, ipsum Romæ aliquanto serius captivum
esse ductum, & in vinculis detentum adhuc, postquam Paulus ex iis
jam dimissus fuerat, brevi autem post etiam dimissum fuisse, ita ut
Paulus scribere posset, eum jam tum in libertatem esse restitutum, ad se
tamen nondum venisse, sed adhuc expectari.

§. XIII.

Apostolus vero vinculis solutus extra Romam incertis sedibus, ubicunque ecclesia Christo erat collecta aut adhuc colligenda, in Italia est commoratus, unde Italiae mentionem facit generatim c. XIII, 23. tanquam loci, e quo epistola mittatur. Huc accedit, quod in hisce litteris apostolus nullam vinculorum suorum mentionem injiciat. Quo silentio confirmatur, ipsum jam liberatum fuisse. Videntur etiam hoc ipsum Hebraei aliunde cognovisse. Alias enim sui liberationem ipsis procul dubio nuntiaturus fuisset. Commemorat quidem Paulus c. X, 34. vincula sua: sed ea commodissime intelliguntur de jam tum toleratis, praecipue Caesarensibus istis in Palaestina. Isto enim loco non loquitur de vinculis, tanquam de re adhuc praesenti, sed de jam praeterita, Hebraeos collaudans, quod in iis suam ipsi *συμμάθειαν* testificati sint. Non possum itaque probare sententiam Cl. HERMANNI WITSII, qui ex hoc loco sciscit, epistolam ex vinculis datam fuisse. *Meletem. Leidens. de vita Pauli* p. m. 199. Subscriptio librorum, qua Timotheus perhibetur lator fuisse hujus epistolae, probari nequit. Etenim Apostolus ipse expresse testatur v. 23. adhuc absentem esse Timotheum & a se expectari. Et cum ibidem promiserit, se comite Timotheo venturum esse ad Hebraeos, quomodo ipsum cum epistola praemittere potuit? Ceterum consilium Pauli de Timotheo Roma ad Philippenses mittendo Philipp. II, 19. cum illo de eodem in itineris ad Hebraeos faciendi societatem adsumendo, ita facile conciliatur, si dicamus, propositum istud prius per subsequuta Timothei vincula fuisse impeditum.

§. XIV.

Restat, ut paucis adhuc demonstretur, hanc quae ad *Hebraeos* scripta est, esse *Pauli epistolam*. Hoc vero arbitror esse liquidissimum e sequentibus argumentis, non tam singulatim, quam conjunctim, ponderandis:

1. *E loco scriptiois*, Italia, in qua hoc tempore nemo fuit alius, cui cum reliquis circumstantiis historicis aequae haec epistola possit tribui, quam Paulo.
2. *E mentione Timothei*, quem Paulus ibidem habuit a latere suo in captivitate priore, & quem etiam alias fidum habuit comitem ac laborum suorum socium. Et hunc, quando de ipso loquitur, etiam alias *fratrem* appellat: vide 2 Cor. I, 1. Col. I, 1. 1 Thess. III, 1. Et hujus Timothei mentio occurrit in singulis Pauli epistolis, tribus (non duabus, ut WITSIUS p. 200. existimat) tantum illis, quae ad Galatas, ad Ephesios & ad Titum scriptae sunt, exceptis. Vide Rom. XVI, 21. 1 Cor. IV, 17. XVI, 10. 2 Cor. I, 1. 19. Philipp. I, 1. II, 19. Col. I, 1. 1 Thess. I, 1. III, 2. 6. 2 Thess. I, 1. Philem, 1. Hebr. XIII, 23. In epistolis ad ipsum scriptis

ptis

- ptis nomen ejus expressum esse, nemo nescit. 1 Tim. I, 2. 18. VI, 20. 2 Tim. I, 2.
3. *E mentione vinculorum toleratorum*, c. X, 34. Conf. c. XIII, 23. Quæ commemorare, peculiaris Pauli character est in epistolis.
 4. *E promissione adventus*, v. 19. & 23. quæ etiam in aliis Pauli litteris, ex Italia hoc tempore datis, occurrit. Vide Philem. v. 22. Philipp. c. I, 8. 25. 27. II, 24.
 5. *E tempore scriptiois*. Scripta est hæc epistola stante adhuc templo & sacerdotio Levitico, uti liquet partim e silentio destructi templi & cultus Levitici; quod alias Paulus non præteriturus fuisset, utpote ad scopum suum accommodatissimum; partim ex allegatione cultus Levitici, tanquam adhuc durantis, sed abrogati & abrogandi. c. VIII. IX. X. Atque ita Paulus adhuc fuit superstes, cum hæc epistola scriberetur. Quo supposito, cur non potius ipsi Paulo, quam alicui e discipulis ejus eam tribueremus?
 6. *E caractere mere apostolico*, qui consistit in adhortatione, quæ per integram epistolam fit cum singulari zelo & auctoritate apostolis propria. Quis vero alius apostolorum, secundum circumstantias hujus epistolæ historicas, scripsit ex Italia ad Hebræos?
 7. *E clausula epistolæ*, Paulo etiam in aliis epistolis propria, quæ fit *voto*, v. 20. 21. conf. Rom. XVI, 25. 27. 1 Theff. V, 22. 2 Theff. III, 16. Philipp. IV, 19. 20. Nec non e *salutatione*, uti alias .v. 24, & tandem e signaculo illo votivo: *gratia cum vobis omnibus amen* v. 25. de qua conf. 2 Theff. III, 17.
 8. *E modo tractandi plane Paulino*: ubi tractatio per majorem epistolæ partem primum est didascalica, inspersis monitis prædeuticis; deinde prædeutica, seu parænetica, inde a capite XII. Reliquæ epistolæ canonicæ hortatoriæ potius sunt, monitis didascalicis inspersis.
 9. *E materia Paulo dignissima*, quæ est doctrina de Christo, ejus persona ac officio, nec non de fide in Christum in pura conscientia & sanctimonia vitæ exferenda. Et cum in eo totus esset Apostolus, ut Judæos viva voce a Mose ad Christum reduceret, idem argumentum longa serie & singulari cum emphasi tractat in hac epistola.
 10. *E convenientia stili in locutionibus Pauli characteristicis*, v. g. Cap. I, 1. 2. 3. Hic conjunctim occurrunt, quæ alias pluribus in locis de *Filio Dei*, tanquam *visibili invisibilis Dei imagine* & de *creatione* nec non de *purificatione* per ipsum facta & de *sessione ad dextram Dei*, occurrunt. Vide 2 Cor. IV, 4. Col. I, 16. 17. Eph. V, 26, item Rom. VIII, 17. Eph. I, 21. &c.

- Cap. III, 1. *vocatio coelestis*. Philipp. III, 16.
 v. 6. *Gloriatio*. Rom. V, 2. &c.
- - IV, 11. *Plerophoria spei*. & c. X, 22. *plerophoria fidei*: quæ locutio soli Paulo pasim est propria.
 - - V, 13, 14. *Infantum est lac, adultorum solidus cibus*. Conf. 1. Cor. III, 1, 2. Ibidem Paulo adulti sunt *τέλειοι*, de qua voce vide 1. Cor. II, 6. Philipp. III, 15.
 - - VIII, 6. IX, 15. *mediator novi testamenti*. Gal. III, 19, 20. 1. Tim. II, 5.
 - - X, 33. *Opprobriis & afflictionibus Θεατερίζομενοι* 1. Cor. IV, 9.
 - - XIII, 9. *Doctrinis variis circumagi*. Eph. IV, 14.
 - - XIII, 18. *Conscientiæ bonæ allegatio* Paulo familiaris Act. XXIII, 1. 2. Cor. I, 12. 1. Thess. II, 4. &c. Et uti hic, sic etiam alias, fidelium preces sibi expetit.

Huc præcipue refer, quod cum Paulus alias multus sit in urgenda & commendanda fide, *fidei vox*, sine synonymis considerata, in hac epistola *tricies bis* occurrat. Huc porro pertinet allegatio certorum dictorum V. T. uti alias, sic etiam hic facta. v. g.

Pfalm. II, *Filius meus es tu, hodie genuite*. Hebr. I, 5. V, 5. Conf. Act. XIII, 32.

Hab. II, 4. *Justus ex fide vivet*. Hebr. X, 38. Conf. Rom. I, 17. Gal. III, 11.

Pfalm. CX, 1. *Sede ad dextram meam* Hebr. I, 13. Conf. 1. Cor. XV, 25. Deut. XXXII, 35. *Mea est vindicta, ego rependam*. Hebr. X, 30. Conf. Rom. XII, 19.

Hæc & alia satis superque docent, Paulum sibi per integram hanc epistolam constare in consueta docendi dicendique ratione. Ea vero, quæ discrepant, præcipue referenda sunt ad scopum, qui erat *Hebræis* ad Christum conversis scribere, cum alias scripsisset ecclesiis, quæ e Judæis & aliis gentibus coaluerant. Pro ratione scopi istius in hac epistola copiosior est in christianis a cultu Levitico abducendis, quam in ulla alia.

§. XV.

Hæc hæctenus de argumentis insitis, quæ Paulo epistolam ad Hebræos vindicant. Istis nunc addendum est illud, quod a *consensu omnis antiquitatis* desumitur. Primas hic merito tenet ipse PETRUS Apostolus, qui in epistola posteriore: *Domini, inquit, patientiam salutem reputate: quemadmodum & dilectus frater noster Paulus secundum sibi datam sapientem scripsit vobis, etiam in omnibus fere epistolis loquens de his, inter quæ nonnulla sunt difficilia* intel-

Et

Et c. Ex his verbis hac serie potest demonstrari, Paulum aliquam ad Hebræos epistolam scripsisse: Petrus posteriorem epistolam iisdem destinavit, ad quos prior missa erat c. III, 1. Jam vero prior scripta est Hebræis ad Christum conversis, qui in dispersione inter gentes vivebant, præcipue per minorem Asiam. 1 Pet. I, 1. Ergo etiam his scripsit Paulus, & quidem speciatim in *epistola ad Hebræos*, uti habet inscriptio authentica. Respexit vero Petrus speciatim ad locum Hebr. X, 22, 23, 25. 36. 37. Ceterum Petri-
narum epistolarum scopus erat, Hebræos in fide confirmare & adversus *re-*
lapsum periculosissimum præmunire 2. Petr. II, 20. seqq. Quem scopum quantopere sibi Paulus in epistola ad Hebræos habuerit præfixum, e cap. VI, & X. abunde constat.

§. XVI.

Ad insequentium ætatum testimonia quod attinet, instar omnium esse potest illud HIERONYMI epist. CXXIX. ad Dardanum: *Illud nostris dicendum est, hanc epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab ecclesiis orientis, sed & ab omnibus retro ecclesiis & Græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi.* Reliquum antiquitatis omnis, uti & ultimarum ætatum, confensum cum studio collectum, adversus GROTII dubitationem *ἐν συνόψει* exhibet B. CALOVIUS in Præfat. „*Neque ignoravit polyhistor, contrariam esse dubitationem illam autoritati antiquiorum Conciliorum, a quibus hanc epistolam S. Pauli esse, definitum fuit, utpote Concilii Laodicensis circa annum Christi CCCXCIV. Can. 59. & Concilii Carthaginensis III. circa annum CCCC. Can. 47. nec non Arausicani II. ut & Romani a Gelasio An. CCCCXCIV. coacti, ut sequiorum ætatum Concilia taceamus, quæ minime ab illis dissentiunt. Jam si Autores vel Doctores antiquos consulamus, sane Apostolo Paulo hanc epistolam tribuisse constat. Ipso primo a Christo nato seculo, majores omnes Originis, qui ad illos provocat in Ps. I. & præfatione super hanc epistolam quemadmodum & S. Athanasius vel quisquis libri auctor est. Dial. I. de Trin. perhibet, eandem Pauli esse, creditum esse, ex quo annunciatum est evangelium Christi. Seculo vero secundo Paulo eandem tribuit Clemens Alexandrinus apud Eusebium I. VI. Hist. Eccl. c. 13. Heraclius, Origenes, ut & Dionysius in Epist. ad Titum. Seculo tertio Epiphanius hæresi LXXVI. Athanasius in Synopsi, Eusebius Cæsariensis, Gregorius Nazianzenus in carmine, Didymus Alexandrinus, alique præcipui Doctores. Seculo quarto Chrysostomus, ejusque discipulus Constantinus Antiochenus, Cyrillus Alexandrinus libr. XII, Thesaur. c. 19. Amphiloehius in Carm. ad Seleucum, Theodoretus, Heraclienfis & Cyrensis, Hilarius I. II. de Trin. Ambrosius I. 2. de Cain. c. II. Philastrius Brixienfis, Hieronymus, Augustinus I. II. de doct. Christ. c. 8. alique. Porro seculis subsequen-
tibus a Patribus tum
Græcis*

„*Græcis, tum Latinis* constanter tributa est hæc Epistola S. Paulo. E recentioribus etiam Paulo eandem vindicarunt e Scholasticis *Petrus Lombardus, Hugo de S. Victore, Petrus de Tarantasia, Thomas de Aquino, Alexander Alexsis* aliique, & subsequis Pontificiis *Claudius Gvillandus, Eduardus Læus, Nic. Tacitus Zigenus, Johannes Gagnejus, Ambrosius Catharinus, Gregorius Primateus, Franc. Lucas Brugensis, Adamus Sasbouth, Emanuel Saa, Mutius Angelius, Nicolaus Grandis, Hieronymus Veronensis, Cardinalis Bellarminus, Johannes Mariana, Gvilielmus Lindanus, Gabriel Vasquetz, Franc. Ribera, Cornel. a Lapide, & qui non alii?* Siquidem per decretum Concilii Tridentini Papistis aliter sentire non licuit. E Reformatis etiam pro Paulina hanc epistolam agnovere *Andreas Hyperius, Georgius Sohnius, Johannes Piscator, David Pareus, Bartholomeus Keckermannus, Franc. Gomarus, Marc. Frieder. Wendelinus & alii;* E Neophotianis cæterorum dux & antesignanus *Faustus Socinus* in Solut. Scrupul. p. 70. Neque abnuunt ex August. Confessionis Doctoribus *Matthias Flacius Illyricus, David Chytraeus, Salomo Gesnerus, B. Gerhardus,* ut alios plures taceam.

§. XVII.

Restat, ut una solvatur objectio, quæ multis aliquid momenti trahere visa est, adeo ut nonnulli ipsam epistolam Paulo abjudicaverint. Dicit enim scriptor c. II, 3. *Salus, quæ primum enarrari cœpit per ipsum Dominum, ab iis, qui audiverant, in nos fuit confirmata.* Id quod indicio esse videtur, epistolæ auctorem non fuisse ipsum aliquem apostolum, sed discipulum aliquem apostolorum. Verum enim vero hæc difficultas nulla est. Quid enim Paulo aliisque apostolis est frequentius, quam per communicationem loqui, respectu habito ad auditores & lectores? Et hac ipsa loquendi ratione Paulus utitur in iis, quæ ἀμέσως antecedunt, v. 1, 2. Et eadem hic Paulus eo usus est convenientius, quo minus sibi tribuere poterat, quod collegio discipulorum Christi, qui ipsum in hac vita αὐτοπροσώπως viderant, interfuerit. Quod vero hic ipsi deerat, per vocationem solenniorum, etsi serius factam, abunde pensatum fuit. Nec negari potest, Paulum multa, quæ ad historiam Christi pertinebant, ab aliis apostolis percepisse.

36)o(36

CAPUT

CAPUT IV.
DE
PAULI EXPEDITIONE ULTIMA, SEU ITI-
NERIBUS INTER VINCULA PRIORA ET
POSTERIORA MEDIIS.

S Y N O P S I S.

- | | |
|--|---|
| <p><i>Paulus e vinculis liberatus</i> primum egit in Italia, deinde longius profectus est §. I.</p> <p>Non vero in Hispaniam §. II.</p> <p>Sed in Asiam, in itinere Cretenfes invisens, quibus Titum reliquit §. III.</p> <p>E Creta perrexit Coloffas ad Philemonem §. IV.</p> <p>Porro Ephesum, ubi Timotheum reliquit §. V.</p> <p>Epheso abiit in Macedoniam ad Philippenses, ubi scripsit epistolam priorem ad Timotheum §. VI.</p> <p>E qua ecclesia Ephesina status illustratur §. VII. una cum navis ejusdem. §. VIII.</p> | <p><i>Paulus Nicopoli hibernaturus Titum scripta ad ipsum epistola e Creta advocat.</i> §. IX.</p> <p><i>E qua epistola status ecclesiarum Cretenfium cognoscitur.</i> §. X.</p> <p><i>Paulus Nicopoli digressus venit Troada, & ibi apud Carpum relinquit Φαιλόων, quæ vox reddenda per scrinium, seu thecam</i> §. XI.</p> <p><i>In qua adservati fuerunt libri sacri, hic per conjecturam definiti</i> §. XII. XIII.</p> <p><i>Subjuncta observatione de Pergamenis</i> §. XIV.</p> <p><i>Probabile est, Paulum etiam Hebraeos invisisse.</i> §. XV.</p> |
|--|---|

§. I.

Apostolus e vinculis suis liberatus primum aliquandiu commoratus est in Italia. Tempus vero definiri nequit. Deinde, loca pleraque, quæ olim luce evangelii collustraverat, longaque itinera remensus, ecclesias revisit, singulari cum ipsarum omnium fructu. Lucæ quidem narratio hic nos plane destituit. Nec alius nobis historię fons est, e quo sufficientem ultimæ hujus sacræ expeditionis notitiam haurire possimus. Interea tamen epistolæ Paulinæ non spernenda nobis vestigia exhibent, quæ dextre investigata nos de iteratis Pauli itineribus dubitare non sinunt. Et ea duorum sunt generum. Alia a priori spem, immo certiozem continent promissionem iterati adventus. Vide Philemon. v. 22. Phil. I, 8, 25, 26, 27. II, 24. Hebr. XIII, 23. Alia a posteriori ejusmodi va-

X

di va-

di variarum profectio-
num actionumque significationes habent, quæ ad priora tempora, quibus Paulus in Græciæ & Asiæ ecclesiis commoratus est, referri haud possunt, uti mox videbimus. Nec obstat, quod Paulus, Mileto Hierosolymam discessurus, advocatis Ephesinæ ecclesiæ presbyteris negaverit, ipsos post hac faciem suam denuo esse visuros. Hæc enim non fuit prædictio prophetica absoluti eventus, sed sententia probabilis, quam deinceps ipsa Dei providentia mutavit, ecclesiæ & innumeris piorum precibus, quibus in salutem ecclesiæ Pauli salus expetebatur, gratificata: quemadmodum eidem non obstitit, quod Paulus reditus sui spem fecit.

§. II.

Animum quidem induxerat Paulus visis Romanis etiam *Hispaniam* adire, eo ab ipsis deducendus Rom. XV, 24, 28. Nec defuerunt inter veteres ac recentiores, qui cum CHRYSOSTOMO, THEODORETO aliisque, nec non cum PEARSONIO, existimant, propositum istud eventum habuisse suum, & Paulum non solum Hispaniam, sed Galliam quoque evangelii causa obiisse, & prius quidem, quam ad orientis ecclesias reversus sit. Equidem non negaverim Paulum in Galliam venisse Hispaniamque. Eo enim proficisci potuit, postquam e Græciæ & orientis regionibus redierat in occidentem. At ex Italia ipsum statim post primam captivitatem Hispanos adiisse, quo minus credam, obstant promissiones de itinere in orientem suscipiendo, partim in ipsis vinculis datæ, ut Philem. v. 22. Philipp. I, 25, 26, 27. II, 24. partim post liberationem repetitæ Hebr. XIII, 19, 23.

§. III.

Quorsum vero ex Italia primum iverit Paulus, præcise definire nequit. Sequamur epistolarum vestigia. Asiaticum iter primum fuisse videtur. Et in hoc medium incidit visitatio *ecclesiarum Cretensium*. Hic reliquit *Titum*, eum in finem, ut statum ecclesiarum Creticarum plenius formaret, præcipue presbyteris oppidatim constitutis. Tit. I, 5. Habuit ergo Apostolus Titum in comitatu suo. Hunc vero ecclesiæ in Creta tantum ad tempus aliquod præfuisse, ex eo liquet, quod Paulo in posterioribus vinculis Romæ adfuit, & ab ipso *profectus esse* dicitur in *Dalmatiam* 2. Tim. IV, 10. Nec ipsum Paulum in Creta diu fuisse moratum, ex eo colligitur, quod ecclesiarum constituendarum partes nondum absolutas Tito commiserit. Asianorum & Macedonum visendorum desiderium moram in Creta contractiorem fecisse videtur.

§. IV.

E Creta profectus est in *Asiam*, visurus Colossenses, & inter eos speciatim Philemonem. Et quia sibi apud hunc hospitium expetiverat, Philem. v. 22. quis dubitaret, hanc petitionem, quæ revera promissionis vim habebat,

habebat, eventum habuisse suum? Nondum quidem antea Colossenses viderat Apostolus, quemadmodum ipse testatur, Col. I, 4. II, 2. Philemonem tamen videtur jam tum alibi de facie cognovisse, cum tam fidenter & familiariter ad ipsum scriberet. Quod si Onesimus adhuc fuit in ministerio Philemonis, de quo vix esse potest dubium; ille adventu & presentia Pauli, parentis sui in Christo, quam mirifice fuerit recreatus ac in bono confirmatus, pronum est colligere. Et cum in epistola ad Colossenses etiam iteratam vicinorum Laodiceensium mentionem injecerit, eamque ab his quoque legi voluerit, non est dubium, Paulum simul Laodiceenses invisisse.

§. V.

Hæc via ad Colossenses directa Paulum simul duxit ad *Ephesos*. *Ephesi* vero, inde in Macedoniam discessurus, reliquit *Timotheum*; uti ipse indicat 1. Tim. I, 3. quemadmodum, inquiens, hortatus sum te, ut maneres *Ephesi*, cum proficiscerer in Macedoniam &c. Hunc locum de hoc Pauli itinere intelligendum esse, investigata temporum ratio docet. Etenim secundum narrationem Lucæ Paulus antea bis fuit *Ephesi*: primum cum eo venisset Corintho c. XVIII, 19. deinde cum eo post absolutum iter Hierosolymitanum & Antiochenum, Asiæ regiones inde e Syria emensus, denuo rediisset c. XIX. Sed neuter locus, seu neuter Pauli adventus, hic ab ipso notatur. *Non prior*. Tunc enim *Epheso* non digressus est in Macedoniam, sed Hierosolymam Act. XVIII, 19. 20. 21. *Nec posterior*. Tunc quidem *Epheso* profectus est in Macedoniam c. XIX, 1. seqq. XX, 1, 2, 21. at hoc tempore *Timotheum Ephesi* non reliquit, sed eundem una cum *Erasto* in Macedoniam præmisit c. XIX, 22. eumque in inscriptione epistolæ ad Corinthios posterioris, e Macedonia ad ipsos scriptæ, sibi junxit 2 Cor. I, 1. Quæ cum ita sint, quomodo hoc tempore *Timotheus* dici posset a Paulo *Ephesi* esse relictus & ibi expectasse Paulum brevi reversurum? secundum 1. Tim. III, 14. 15. IV, 13. Manifestum itaque est, a Paulo intelligi adventum & abitum tertium, eumque in hunc temporis articulum, qui inter utramque Romanam captivitatem medius est, referendum esse. In quo autem statu, & in quibus hostium insidiis, Paulus ecclesiam *Ephesinam* hoc tempore deprehenderit, mox videbimus in consideratione hujus epistolæ historica.

§. VI.

In Macedoniam delatus procul dubio inter alios præcipue *Philippenses* suos invisit Paulus, quemadmodum ipsis Romæ e vinculis promiserat. Philipp. I, 25, 26, 27. II, 24. Et cum ipsis jam currentibus per epistolam strenuum calcar addidisset, non est dubium, quia eos invenerit tales, quales exoptaverat, præcipue c. I, 27. *Ut dignum est*, inquiens, *evangelio Christi, conversemini, ut sive cum venero & videro vos, sive absens sim & audiam*

de rebus vestris, quod stetis in uno spiritu, una anima concertantes pro fide evangelii. Hic Paulus scripsit priorem epistolam ad Timotheum; quemadmodum constare potest.

1. E mentione itineris, quod Timotheo Ephesi relicto in Macedoniam susceptum erat. c. I, 3.
2. E significatione maturandi reditus ad Ephesios & ad Timotheum. c. III, 14. IV, 13.
3. E notatione scopi hujus epistolæ primarii, qui erat, in eventum protrahendæ redeundi moræ, instruere Timotheum, quomodo inter Ephesios in domo Dei debita cum auctoritate & justo cum fructu se gerere deberet. c. III, 15.

Quæ cum ita sint, fallit omnino librariorum subscriptio, quæ huic epistolæ Laodiceam pro scriptionis loco tribuit. Manifestum enim est e tribus istis momentis ipsi epistolæ infitis, si inter se recte comparentur, eam non nisi in Macedonia scriptam esse, sive Philippis, sive alibi. In ea enim Christo plures ecclesias collectas fuisse, ex Actis notum est.

§. VII.

Considerandus nunc est *ecclesiæ Ephesinæ status*, qualem ipsum Paulus invenerit, & Timotheo reliquerit, epistola hac haud obscura istius indicia nobis præbente. Generatim ea documento est, statum hujus ecclesiæ affectum fuisse, nec caruisse majorum corruptelarum periculo: Id quod colligitur haud obscure:

1. Ex eo, quod Paulus necessarium esse duxerit, ut Epheso discedens ibidem Timotheum relinqueret, virum quidem juvenem, at ab annis jam compluribus multa experientia probe subactum & magna in auctoritate constitutum.
2. E promissio ipsius Pauli reditu. Unde videmus, Pauli præsentiam Ephesinæ ecclesiæ fuisse necessariam, ob subortas difficultates & offensiones varias.
3. E scopo scriptæ epistolæ, qui erat Timotheum necessariis monitis ad regendam ecclesiam Ephesinam instruere.
4. E commendato elencho adversus heterodidas, qui secundum prædicationem Pauli, ante aliquot annos editam Act. XX, 29. 30. jam exorti erant, præcipue e Judæis religioni christianæ addictis, sed non omni ex parte satis sincere. Vid. c. I, 3. 4. 5. 6. IV, 7. VI, 3. 4. 5. 20. 21. Immo nonnulli plane defecerant, magno aliis scandalo dato, inter quos notantur *Hymeneus & Alexander* c. I, 19. 20. qui posterior videtur ille ipse esse, cujus fit mentio, Act. XX, 33. Conf. c. VI, 20. 21.

§. VIII.

§. VIII.

Præterea Paulus in ecclesia Ephesina observasse videtur varios defectus navesque apud nonnullos, v. g.

In conventibus ac precibus publicis c. II, 1. seqq.

In externo habitu fœminarum, in publicum ad conventus sacros procedentium c. II, 9. 10.

In publice docendi partibus, a nonnullis sexus fœminini adfectatis. c. II, 11. 12. seqq.

In docendi & regendi munere, a nonnullis parum idoneis dignisque affectato c. III, 1. seqq.

In nonnullis diaconis eorumque conjugibus, non satis digne se gerentibus v. 8. seqq.

In nonnullis viduis a præscripto sanctioris disciplinae recedentibus, & minus caute ad munus ministrarum, vulgo diaconissarum, admisis c. V, 3. seqq. Vide imprimis v. 6. 7. 11. 12. 13. 15. Ubi Paulus quarundam exempla, quæ offensionis plena erant, perstringit.

In servis utriusque sexus, libertate christiana ad negandum heris suis obsequium abufis. c. VI, 1. seqq.

In divitibus, avaritiæ & injustitiæ deditis c. VI, 17. seqq. conf. v. 6. seqq.

Hosce naves, nec paucos, nec exiguos, Paulus ad Ephesios reversus deprehenderat. Nec est dubium, quin iis tollendis ipse coram omnem dederit operam. Cum vero tanti mali medela moram postularet longiorem, apostolus vero promissi sui memor in Macedoniam properaret, Timotheum Ephesi reliquit, ut curanda curaret. Ut vero hic illud convenienti cum auctoritate facere posset & majori quidem, quam erat collegii presbyterorum; ipsum epistola, cum universo grege ecclesiastico communicanda, tanquam diplomate aliquo apostolico, instruxit, conscientiam ejus identidem ita constringens, ut Timotheus non solum calcar acciperet, sed haberet etiam, quod adversus immorigeros posset urgere, iisque opponere. Vide c. I, 3. 18. III, 14. 15. IV, 6. 7. 11. 12. 13. V, 7. 20. 21. 22. VI, 5. 11. 12. 13. 14. 17. Et communicandam ac communicatam fuisse hanc epistolam cum universa ecclesia, nos dubitare non sinunt monita complura argumenti universalis, partim ad omnes, partim ad nonnullos certorum ordinum singulatim pertinentia.

§. IX.

Inter alia Macedoniae loca, ubi Christo ecclesiae erant collectae, etiam erat *Neapolis*, in finibus Thraciae sita, ideoque a nonnullis Thraciae adscripta, aliis tamen hic Nicopolin Epiri intelligentibus. Hic hiemem transegit Paulus, eoque *Titum*, in Creta relictum, evocavit, *scripta ad ipsum epistola*, quæ adhuc hodie exstat Tit, III, 12. Certe ex urbe Nicopoli vicina, e qua Ni-

copolin aditurus erat, scripta est: quia non dicit *ᾧδε*, seu *ἐνταῦθα* hic, sed *ἐκεῖ* illic hiematurus sum. Atque ita in hunc temporis articulum non incommode refertur hæc epistola, cum desint historiæ vestigia, quæ, ad priora tempora eam referendam esse, urgeant. Me tamen facile habebit consentientem, qui dixerit, epistolam hanc scriptam esse eo tempore, cum Paulus secundum ageret in Macedonia, eo Epheso profectus Act. XX, 1. 2. Cum enim is e Macedonia posteriorem ad Corinthios epistolam scriberet, significabat, Titum Corintho, qui forte e Creta eam transferat, ad se venisse, eumque cum epistola eo esse remissum c. VII, 5. seqq. c. VIII, 6. seqq. 16. seqq. IX, 3. 4. 15. Sed si hoc supponamus, Titus non demum a Paulo e vinculis Romanis dimisso, sed pridem antea, relictus est in Creta.

§. X.

Indicat vero hujus epistolæ argumentum, quales *ecclesiæ Creticæ* invenerit, ac ex parte reliquerit, Paulus: scilicet ratione *doctrinæ* non deerant corruptelæ, præcipue ab iis, qui e Judæis religionem Christianam fuerant amplexi c. I, 9. seqq. III, 9. 10. ubi monet hæreticum hominem post unam alteramque admonitionem vitandum esse. Nec ratione *vite* hic deerant, qui indolem & mores Cretensium corruptissimos cum Christianismo volebant conjungere, quos Titus ideo *ἀποτόμως* redarguere jubetur c. I, 2. 13. 15. 16. Ratione *ordinis & ecclesiasticæ constitutionis ac disciplinæ*, ipsiusque presbyterii, adhuc multa restabant ordinanda a Tito, quem Apostolus ideo eadem auctoritate, qua Timotheum inter Ephesios muniverat, per epistolam hanc instruit. Vide in primis c. I, 5. 13. II, 1. 15. III, 1. 10. Et quia plura adhuc habebat, ipsi coram injungenda, ejusque opera in Macedonia egebat, ipsam ad se arcescit. Non tamen postulat, ut prius e Creta discedat, quam *Artemas*, aut *Tychicus*, in locum ipsius surrogandus, ab ipso Paulo submissus fuerit. c. III, 12. Ceterum Titum monet ut *Zenam*, qui antea celebris inter Judæos legis & juris doctor fuerat, & Apollo iis, quæ ad iter necessaria erant, bene instructos præmittat.

§. XI.

Postquam Paulus hiemaverat Nicopoli, tempore verno trajecto mari Aegæo, recto cursu venit in urbem Mysiæ maritimam, Troadem, Nicopoli oppositam, & divertit apud *Carpum*, boni nominis Christianum 2 Tim IV, 13. Hic Paulus reliquit *Φαλόνην*: quæ vox hic non reddenda est *perpenulam*, aut *palium*, sed per *scrinium*, seu *thecam*. Id quod sequentes evincunt rationes:

1. *Auctoritas lexicographorum, & criticorum Græcorum, HESYCHII & SUIDÆ.* Nam HESYCHIUS *Φαλόνην*, vocat *εἰλητόν* seu *εἰλητάριον*, involucrum h. e. thecam convolvibilem, ἢ *γλωσσόκομον*, aut *marisupium*

supium, seu manticam. Idem fere deprehendas in SUIDA, sub voce *Φαλώνης*, (ubi ea per ω scribitur) nec non in Etymologico magno. Addunt quidem hi auctores etiam notionem *tunica*, seu *χιτωνίς tunicle*; non tamen negant, notionem involucri esse primariam.

2. *Auctoritas Syri interpretis antiquissimi, qui Φαλώνην reddidit per בית כותב domum scriptorum h. e. pro idiotismo orientali, per thecam libros continentem.*
 3. *Auctoritas patrum Graecorum, CHRYSOSTOMI, & qui eum sequitur, OECUMENII, qui in h. l. nequaquam dissimulant, Φαλώνην a nonnullis intelligi de loculis libros continentibus. Conf. HIERONYMUM Opp. edit. Basil. Tom III. p. 55. in quaest. 2. ad Damasum, ubi dicit volumen Hebraeum Paulum juxta quosdam vocare Φαλώνην: quam voluminis notionem etiam Critici antea allegati habent: Item THOMAM ab AQUINO, qui in h. l. Penula, inquit, dicitur mantica, ubi erant libri, quod videtur verum esse, quia sequitur: & libros.*
 4. *Auctoritas quorundam e recentioribus.*
OSIANDER in System. Theol. Loc. de Scriptura p. 57. *Hec, inquit, sententia (qua Φαλώνης de pallio exponitur) non videtur vero similis: quia*
 - a) *Absurdum est Romae non fuisse, qui ejusmodi pænulas facerent, vel venderent, ut opus fuerit Apostolo e Troade afferre:*
 - b) *Maxime mirum videtur & praeposterum, Paulum vestem itinerariam reliquisse iter facturum, & eandem repetere itinere jam peracto:*
 - c) *Res haec e Troade afferenda non videbatur operae pretium. Quanta enim quæso distantia inter Romam & Troada? quam exiguum pretium requirebatur ad ejusmodi pænulam de novo conficiendam?*
- WEINRICHIIUS in Commentar. in h. l. *Quidam per Φαλώνην (Φαλώνην rectius) intelligunt thecam, seu capsulam librariam, in qua Paulus libros habuerit repositos: & haec posterior sententia, si statum Apostoli attendas, videtur esse verisimilior. Quid enim magnopere pænulam, sive vestem itineribus commo- dam, affectaret Apostolus, cum probe sciret, sibi ulterius peregrinandi spem plane abscissam esse? Vide etiam BARONIUM in Annalibus ad annum Chr. LVIII. p. 547. item ESTIUM, CALVINUM & HAMMONDUM in 2 Tim. IV, 13. Præcipue vero hic conferri meretur Theologi Dani, HECT. GODOFRID. MASII Dissertatio de pallio Pauli, in qua ipse etiam sententiam communio- rem de pænula repudiat.*
5. *Concinnitas sensus.* Fortasse Paulus Troade iter fecit pedes per aliquem terrarum tractum, quemadmodum jam antea fuerat solitus. Act. XX, 13. Quare thecam librariam, aliquot voluminibus & scriptis membranaceis onustam, & portationi haud idoneam, Troade reliquit. Aut si navi-
gio

gio inde abiit, relinquendi consilium, quod necessitas haud imposuit, caritas in studio inserviendi subministravit. Cum enim Paulus haberet idoneos codices veteris testamenti, cum nonnullis rerum suarum commentariis, fortasse etiam scriptis evangelistarum; quid fieri potuit facilius, quam ut, excitato istorum aut describendorum, aut conferendorum, desiderio, suppellectilem istam librariam rogatus Troadensibus reliquerit? Ea tamen carere noluit, sed in suum aliorumque usum ante obitum adhuc uti, & moriturus amicos suos Romanos donare voluit. Et *ipsius* etiam *theca* facit mentionem Paulus, quia ea libris istis transferendis fuit accommodata, ita ut hi sine illa commode & sine detrimento vehi haud possent. Se vero thecam bibliorum gratia expectere, verbis sequentibus ἐξηγητικῶς declarat. Non ignorabat enim apostolus, codices illos extra thecam illam in amicorum manibus hærere.

6. *Difficultas sensus*, si hic pænulam supponas. Cur enim Paulus vestem itineri cuivis, sive terrestri, sive pedestri, idoneam, immo ob injuriam aeris, etiam per æstatem noctu (ut de diurnis tempestatibus nihil dicam) in oriente frigidioris, necessariam reliquisset? & cur eam demum peracto itinere denuo expetiisset e loco, qui propemodum per ducenta milliaria Roma distabat? Quod si regeris, hiemem instituisse, & pallii usum Paulo in vinculis egenti fuisse necessarium; non immerito te urgeo, cur Romanis ad Christum conversis, in quibus caritatis scintillæ & igniculi jamdudum in majores ac perennes flammæ abierant, tantum tribuas frigus, aut tantam egestatem, ut Paulo ne de pænula quidem, viliori veste, vel voluerint, vel potuerint prospicere? Et quid attinebat, eam Troade afferri, quæ vel levisimo impendio Romæ poterat comparari? Ceterum illud etiam ad expositionis istius difficultatem pertinet, quod hominibus scepticis & empiricis occasionem præbeat Θεοπνευσίαν fugillandi, quasi illa in re nullius momenti & absurda fuisset occupata.

7. *Ipsa scriptio vocis Φαλόνης*. Penula enim, seu pænula, Græcis non dicitur Φαλόνης, sed Φαινόλης, SVIDA etiam hanc differentiam agnoscente; atque ita hæc syllabarum & litterarum convenientia indicat, vocem Lat. a Græca sine metathesi ortam esse. Jam vero vox Φαινόλης, Latinis *penula*, in codicibus antiquissimis, saltem qui probatæ sunt fidei, nequidem deprehensa fuit, adeo ut ea a plerisque editoribus plane fuerit reprobata, & a nonnullis vix inter variantes lectiones relata; utpote habita proficta, & quidem, ut videtur, a librariis Latinis ex voce *penula*, secundum hypothesein, Paulo de pænula sermonem esse. Probatiores vero, & tantum non ad unum omnes codices manuscripti, ad quorum

normam

normam impress. prodierunt, habent *Φαλόνην*, partim etiam mutatis *ε*, & *ω*, *Φελόνην*, *Φαλώνην*. Et inter tres hasce lectio *Φαλόνην* præferenda esse videtur; utpote quæ etiam HIERONYMI calculum habet. Vide locum paulo ante allegatum. Vocem *Φαινόλης* origine non Latinam, sed Græcam esse, a qua Latini suum *pænula* acceperint, non indocte demonstratum vide a H. G. MASIO in Dissertat. de Pallio Pauli Sect. I. §. III. Conf. BARTHOLIN. de *pænula* p. 5. Sententiam eorum, qui per *Φαλόνην* intellexerunt *vestem senatoriam*, aut *sacram*, quam pontificii vocant *Μετ. Gewand* vel nominasse est refutasse.

§. XII.

Hæc de *Φαλόνη*. Jam considerandi sunt libri, quos Paulus Troade apud Carpum reliquisse dicitur. Ubi quod certo definiamus, quis habet? Locum tamen hic habet conjectura, & quidem talis, quæ, si non ad vim iustæ ἀποδείξεως adfurgit, minus tamen dubitationis relinquit. Et hæc primum procedit per remotionem, libros istos non fuisse e genere eorum, qui ad rem litterariam studii philologici, philosophici, historici, medici ac iuridici pertinent. Etsi enim Paulus non uno studiorum istorum genere in schola patria Tarsensi fuit instructus; uti supra vidimus: nequaquam tamen est probabile, eum in ipso munere apostolico, cuius apex erat *Θεοπνευσία*, dono linguarum juncta, ejusmodi subsidia litteraria circumtulisse; omnium minime, ipsum morti proximum ea Romam ad vincula sua transferenda curaturum fuisse. Unde efficitur, non nisi argumenti sacri codices hic intelligendos esse, & quidem præstantiores ac selectiores. Jam vero quid diversis Scripturæ veteris testamenti voluminibus esse potest præstantius? quid magis selectum & necessarium? quid Troadensibus salutaris? Quamvis enim apostolus beneficio *Θεοπνευσίας* memoria subservientis in epistolis suis loca veteris testamenti allegare posset; ista tamen proprium legendi & meditandi studium nequaquam excludebat. Et cum Timotheo illud ipsum tribuat, cum encomio culturæ, inde a teneris annis exercitæ, eique lectionem ac meditationem commendat 2 Tim. III, 14. 15, 16. 17. 1 Tim. IV, 13. 15. ecquis crederet, Paulum hac in parte officio suo defuisse? maxime si consideremus, ipsum antea addictum fuisse sectæ Phariseorum, cuius, etsi præposterum, magnum tamen, scripturæ sacre studium fuit. Nec est dubium, quin Paulus, pro suo erga legem divinam amore, habuerit Hebræum scriptorum veteris testamenti exemplar, sua ipsius manu quam curatissime descriptum? Cui cum per longam assuetudinem ita esset innutritus, ut illud ipsa memoria digestum circumferret, seu in eo haberet localem, quam vulgo vocare solemus, memoriam viris doctis commodissimam; non est mirum, illud ab ipso in senectutis, carcerisque ac variarum ærumnarum,

Y

leva-

levamen fuisse reperitum. Istud vero cuinam moriturus tradiderit, & quamdiu ætatem tulerit, supervacanea est disquisitio, cum nos antiquitatis monumenta hic destituant, & conjecturæ fallant.

§. XIII.

Sed non unius generis fuisse Pauli codices, ex eo liquet, quod, librorum mentione generatim facta, addat: καὶ τὰς μεμβράνας, & quidem præmissa particula comparativa μάλιστα, maxime. Unde rursus locus aperitur conjecturæ, sed parum difficili. Post Hebræi fontis codices, seu scripta Mosis ac prophetarum, diversis voluminibus more Judæorum contenta, nihil esse potuit, quod in majori ipsi esset pretio, quam versio istorum voluminum Græca, quam procul dubio jam a puero sedula manu versavit, quaque identidem in epistolis suis usus est: item scripta evangelistarum, Matthæi, Marci, & fortasse etiam Lucæ. Hæc enim jam tum ante ultima Pauli tempora existisse, nullum est dubium. Quid? quod Paulus ad ea, speciatim ad historiam Matthæi, & in ea ad effata Christi in materia de conjugio & divortio, satis manifeste provocet 1 Cor. VII. Vix etiam poterit dubitari, quin Paulus ad servaverit fide digna epistolarum suarum apographa, variasque epistolas e diversis locis de rebus magni momenti ad ipsum scriptas; & quin habuerit ephemerides, rerum ecclesiasticarum indices. Quæ cum ita sint, per membranas, ob præpositam particulam μάλιστα, quam commodissime intelligimus codices veteris testamenti Hebræos, in membranis, quas ab urbe Pergamo pergamenas vocamus, exaratos; per *biblia* vero, seu *libros* generatim, quidquid apostolus habuit codicum reliquorum: nisi per membranas intelligere velis codicem aliquem alicujus evangelistæ autographum & authenticum; quem Paulo fuisse commissum, a probabilitate nequaquam abhorret.

§. XIV.

De membranarum Pergamenarum occasione & denominatione hæc scite monet HIERONYMUS epist. 43. ad Chiromantium: *Etsi alicui Ptolemaus maria clausisset, tamen rex Attalus membranas a Pergamo miserat, ut penuria chartæ pellibus pensaretur: Unde Pergamenarum nomen ad hunc usque diem, tradente sibi invicem posteritate, servatum est.* Conf. PLINIUM H. N. L. XXI. c. XI. Succincte & plenius e Plinio rem omnem exhibet Lexicon Fabri: *Membrane emulatione Ptolemæi Aegypti & Eumenis Pergameni regis inventa sunt. Nam cum uterque amore librorum & bibliothecas condendi studio teneretur, Ptolemaus, impediturus æmulum, chartas Aegypto exportari vetuit. Sic membrana, quæ chartarum vice essent, Pergami reperta; quæ & ab inde Pergamena, quasi charta Pergamena appellata.* Immo jam antiquitus membranas ejusmodi Pergamenas, seu

feu Pergamenis similes, ad operimenta librorum adhibitas fuisse, constat ex eo
TIBULLI Eleg. L. III. eleg. I, v. 9.

Lutea sed niveum involvat membrana libellum.

§. XV.

Hæc hætenus de illa expeditione Pauli, quæ media fuit inter vincula ejus priora & posteriora. Non est dubium, permulta in ea contigisse, quorum nulla exstant indicia in epistolis posterioribus, ipsumque multa Asiæ loca adiisse. Et probabile omnino est, ipsum Hebræos quoque invisisse, uti promiserat; non eos tantum, qui in dispersione inter gentes erant, sed illos quoque, quos Judæa habebat evangelio Christi addictos. Sed qua itinerum serie istas ecclesiarum lustrationes perfecit, scimus cum ignarissimis. Mileti vero & Corinthi ipsum fuisse, adhuc exstant vestigia 2 Tim. IV, 20. ubi scribit, *Erastum mansisse Corinthi*, cujus erat procurator Rom. XVI, 23. *Trophimum vero se Mileti agrotum, reliquisse.* Id quod de tempore illo, quod Act. XX, 15. commemoratur, intelligi nequit. Tunc Trophimus cum ipso Hierosolymam adiit c. XXI, 29.

CAPUT V.

DE

VINCOLIS PAULI POSTERIORIBUS;
ET IPSA MORTE.

SYNOPSIS.

Paulus ex oriente Romam redit. §. I.

Et hic scribit primum epistolam ad Ephesios. §. II. §. III.

Deinde posteriorem ad Timotheum. §. IV.

Qui ubi tunc vixerit, disquiritur. §. V. VI. VII.

Nimirum Ephesi, cujus ecclesia omnium

maxime per epistolas fuit illustrata.

§. VIII.

Epistola vero ad Timotheum posterior multas subministrat observationes, quæ captivitatem Pauli posteriorem illustrant. §. IX. X. XI. XII.

Subjunguntur testimonia de ipsa morte Pauli. §. XIII.

§. I.

Redit Paulus Romam, cum per annos quatuor, secundum PEARSONIUM, varias orientis regiones obiisset. Ex quo autem loco, & qua de causa, quibusque cum comitibus, Romam denuo adierit, non liquet. Reversus mox vincula subiit posteriora. Qua

Y 2

occafio-

occasione, itidem ignoratur. Causa autem eadem fuit, quæ priorum vinculo-
 rum, scilicet evangelium Christi, favore quidem dignissimum, at passim
 multis odiis exceptum, auctoribus præcipue Judæis. Ultimo hoc tempore
 Paulus duas scripsit epistolas, unam ad *Ephesios*, alteram ad *Timotheum*: e
 quibus quid ipsi Romæ contigerit, per nonnulla indicia investigandum est.

§. II.

Epistolam ad *Ephesios* Romæ in vinculis esse scriptam, manifestum
 est. Vinculo- rum enim Paulus expressam facit mentionem c. III, 1. c. IV, 1.
 c. VI, 20. Utrum vero posteriora, an priora intelligenda sint, e certis vestigiis
 itidem definiri potest. In posterioribus eam scriptam esse, hæ sunt ratio-
 nes non spernendæ:

1. *Omissa mentio Timothei.* In epistolis illis, quas Paulus e captivitate prio-
 re Roma misit, nimirum in ea ad *Philemonem*, ad *Colossenses* & ad *Philip-
 penses*, in ipsa inscriptione sibi jungit Timotheum; utpote quem a latere
 suo habebat. Et cum eo tempore, quo Paulus epistolam ad Hebræos
 scribebat, divulsus ab ipso esset, apostolus ejus mentionem itidem inji-
 cit, indicans, se una cum Timotheo ad ipsos proxime venturum esse.
 c. XIII, 23. At in epistola ad *Ephesios* apostolus sibi Timotheum haud
 jungit in inscriptione, nec ullam ejus mentionem injicit. Unde colli-
 gitur, eam haud scriptam esse eodem tempore. Non enim apostolus
 ejus nomen omissurus fuisset ad *Ephesios* scribens, apud quos illud non
 erat incelebre.
2. *Missio epistolæ per Tychicum.* C. VI, 21. 22. Et hoc ipsum apostolus Timotheo
 in epistola posteriore indicat c. IV, 12. Quid vero opus erat, hoc ipsum
 Timotheo absenti indicare? utpote qui illud non potuisset ignorare, si
 hoc factum fuisset tempore priorum vinculo- rum, in quibus is Paulo ad-
 erat. Habuit quidem Paulus etiam in prioribus vinculis Tychicum
 a latere suo, eumque cum epistola ad *Colossenses* misit *Coloss.* IV, 7. 8.
 sed inde non efficitur, ipsum simul epistola fuisse instructum ad *Ephe-
 sios*, etsi vicinos. Quod si enim epistola ad *Ephesios* eodem tempore,
 eodemque nuntio, fuisset missa, eccur Paulus non æque in hac ad *E-
 phesios*, quam in ea ad *Colossenses*, Timotheum præsentem more suo
 sibi junxisset?
3. *Tempus scriptæ posterioris epistolæ ad Timotheum.* Hanc missam esse e vincu-
 lis posterioribus, deinceps demonstrabitur. Jam vero in hac epistola
 Paulus commemorat, se e vinculis Tychicum misisse *Ephesum*, & qui-
 dem procul dubio cum epistola. c. IV, 12. quemadmodum eundem
 cum epistola e vinculis prioribus ad *Colossenses* miserat. *Col.* IV, 7. 8.
 Sed quid attinebat Timotheo demum in vinculis posterioribus narrare,
 quod

quod Ephesiorum causa in prioribus factum erat, cum interea Paulus in libertatem restitutus Ephesios ipse invisisset. Quid? quod Timotheus, ut jam dictum est, eo tempore Paulo praesens & rerum ipsius maxime conscius, illud ipsum ne ignorare quidem potuerit. Manifestum itaque est, missionem Tychici, epistolae ad Ephesios latoris, tempore scriptae ad Timotheum epistolae posterioris fuisse recentem, & haud pridem praecessisse. Quae cum ita sint, sine causa viri clarissimi, USSERIUS, PEARSONIUS, WITSIUS, alii epistolam ad Ephesios ad vincula priora referunt. Rectius SANDHAGENIUS eam ad ultima tempora refert, etsi sententiam suam non satis valide adstruxerit. Ceterum quae statum & historiam Pauli in vinculis posterioribus illustrare possint, in hac epistola non invenio. Plura dabit epistola ad Timotheum posterior.

§. III.

Id vero non praetereundum hic est, quod, cum Paulus ad Ephesios c. I, 15. testetur, se optima quaeque de Ephesiis audivisse, seu cum ἀραζία, in epistola ad Timotheum priore notatam, hic non commemoret, status ecclesiae Ephesinae hoc tempore fuisse videatur melior, quam eo tempore, quo Paulus eam Roma e prioribus vinculis reversus invenerat, & quo Timotheum in ea discedens reliquerat. Quod enim & quantos tunc naevos in ea deprehenderit, satis aperte indicat in epistola ad Timotheum priore, uti supra vidimus. Emendatio autem ista saluberrimus fuit fructus visitationis Paulinae, & operae illius, quam Timotheus ad ductum epistolae in eam impenderat, uti & adventus Pauli ipsius iterati. Postquam enim in Nicopoli hiemaverat, rediit procul dubio ad Ephesios, quemadmodum promiserat. 1 Tim. III, 14. collat. Tit. III, 12. Non tamen Ephesios extra corruptionis reliquias & periculum fuisse, inter alia e monito cap. IV, 14. colligas: quorum etiam multa e consequentibus hujus & sequentium capitum pertinent. Ut nihil dicam de epistola posteriore ad Timotheum, speciatim Ephesinae ecclesiae causa perscripta.

§. IV.

Succedat nunc consideratio epistolae omnium postremae, quae est posterior ad Timotheum. Hanc vero postremam esse, ita probatur:

1. Scripta est in vinculis Romae. c. I, 8. 12. 16. II, 9. Quae posteriora fuisse, inter alia ex eo patet, quod *Timotheus*, quem in prioribus praesentem habuit, fuit absens; uti & *Marcus*. Hunc enim ex Asia arcescit Romam una cum Timotheo c. IV, 11. In prioribus autem vinculis ejus praesentis nomine Colossenses salutatur. Col. IV, 10.

Y 3

2. Scri-

2. Scripta est eo tempore, quo Paulus testari poterat, se cursum suum consummasse, & suam ἀνάλυσιν instare. c. IV, 6, 7. Unde nec ullam in ea spem facit externæ liberationis, aut novarum profectio- num; quemadmodum in priori captivitate Philemoni, Philippensibus & Hebræis fecerat.
3. Nulla exstat alia epistola, quæ serius scripta esse videatur. Quia enim in ea ad Ephesios nullam mortis suæ, tanquam jam instantis, mentionem facit, sed Ephesiorum preces sibi expetit, ad donum parrhesiæ in præconio evangelii, speciatim apologetico, sibi impetrandum c. VI, 19, 20. illa procul dubio sub vinculorum initia scripta est, uti hæc ad Timotheum sub illorum finem. Hæc de tempore missæ hujus epistolæ, quæ fere com- munitis est sententia veterum & recentiorum interpretum. Ab ea tamen recedunt nonnulli, ut BARONIUS, ESTIUS, SALMERO, HAMMONDUS, LIGHTFOOTUS, WITSIUS, alii, ita ut eam ad priora vincula referant, sed exiguis moti rationibus, quas diluere supervacaneum esse videtur.

§. V.

Ubinam locorum tunc vixerit Timotheus, cum posterior hæc epistola ad ipsum mitteretur, interpretes, quotquot evolvi, ne verbulo quidem attingere video; cum tamen hoc historiæ momentum inquisitione non sit indignum, nec cuivis lectori obvium. Videntur illi supponere, Timotheum adhuc Ephesi fuisse, ubi ipsum Paulus, inde in Macedoniam iturus, reliquerat, & ubi eundem deinceps rursus inviserat 1. Tim. I, 3. III, 14. Sed huic sententiæ opponi possunt rationes sequentes:

1. Quia v. 12. scribit, se Tychicum Roma Ephesum misisse. & quidem cum epistola ad Ephesios, ut paulo ante vidimus. Quid vero opus erat Timotheo inter Ephesios commoranti indicare, quod Tychicus ad eosdem missus esset? Hoc enim omnium minime ignorare poterat Timotheus, si eo ipso in loco degit.
2. Quia Timotheus c. IV, 13. jubetur thecam librariam Troade apud Carpum relictam secum ferre. Jam vero Troas ab Epheso longius distabat, utpote sita in Mysia, non procul a finibus Bithyniæ, Pontum Euxinum attingenti. Mysiæ meridiem versus contermina erat Lydia, huic Jonia, seu Asia strictiori sensu dicta, in qua erat Ephesus, & quidem a finibus Lydiæ paulo remotior. Quæ cum ita sint, quaeritur, quomodo Timotheus Ephesi potuit commemorari, & tamen Epheso, itinere ad occasum, & fortasse primum ad meridiem, seu mare mediterraneum, directo Romam tendens, e loco ad septentrionem remotiori relictas Pauli reculas secum ferre? in primis cum c. IV, 9. & 21. jussu

21. jussus fuerit iter suum ante instantem hiemen maturare & absolvere, ita ut tantum temporis spatium, quo istæ Troade Ephesum misso nuncio antea adportari potuerint, non facile invenerit locum.

§. VI.

E contrario autem non desunt rationes, quibus evincas, Timotheum adhuc Ephesi fuisse.

1. Quia Timotheus c. IV, 19. jubetur domum Onesiphori salutare. Jam vero vix dubium esse potest, hunc fuisse Ephesinum, cum apostolus c. II, 18. commemorat se ipsius officia sibi Ephesi præstita.
2. Quia idem jubetur Aquilam & Priscillam salutare. Hos vero Roma, ubi eos Paulus salutavit Rom. XVI, 3, 4. altera vice (de prima vide Act. XVIII, 2, 3.) reversos Ephesi fuisse commoratos, ex eo fit probabile, quod Paulum olim Corintho abeuntem Ephesum deduxerant Act. XVIII, 18. & quod, Paulo inde in Palæstinam digresso, ibidem diutius permanerant v. 19, 20, 21. & Apollon uberius instruxerant. v. 24, 25, 26. nec non quod, Paulo Ephesum reverso, & ibidem priores litteras ad Corinthios scribente, adhuc Ephesi subsisterent, ita ut Paulus ipsorum nomine Corinthios salutare posset 1. Cor. XVI, 19. Videntur ergo Roma Ephesum, cui loco adeo adsveti erant, rediisse, & ibidem in epistola ad Timotheum posteriore salutari. Vide, quæ de iis supra Sect. II, cap. IV, §. XL. dicta sunt.
3. Quia Paulus Timotheum abducit ab omni consortio cum Hymenæo & Phileto, de pestilenti ipsorum doctrina conquestus. c. I, 16, 17. Jam vero secundum epistolam priorem, quæ sine controversia Ephesum perscripta fuit, c. I, 20. Hymenæus videtur vixisse Ephesi. Eadem est ratio Alexandri, qui hic Hymenæo jungitur, & cujus mentio repetitur 2. Tim. IV, 14, 15. addito monito, ut Timotheus sibi ab eo caveat. Qui Alexander multis ille ipse fuisse creditur, cujus fit mentio in tumultu Ephesino. Act. XIX, 33.

§. VII.

Jam non immerito quæritur, quomodo hæ rationes conciliari possint, & utra sententia præponderet? Arbitrium & judicium ipsi lectori permitto. Mihi quidem videtur probabilius, Timotheum adhuc Ephesi fuisse. Oppositæ vero rationes non incommode ita conciliantur: 1. Si dicamus, missi ad Ephesios Tychici mentionem fieri non ad informandum hac de re Timotheum, sed ad argumentum ipsi præbendum, quod, cum Tychico, aliisque paulo ante commemoratis, orbatus sit, ipse eo citius Romam venire debeat ad supplendum tot absentium amicorum locum. Immo præteriti temporis notio in verbo ἀπέστειλα per se non obstat, quo minus

minus

minus missionem Tychici de presenti tempore intelligas, si supponere velis, Tychicum simul a Paulo atulisse epistolas duas, unam ad Ephesios, alteram ad Timotheum, ipsorum antistitem extraordinarium & apostolica auctoritate instructum, per novam vero epistolam uberius adhuc instruendum. Nam de ipsa presenti missione Tychici ad Ephesios Paulus c. VI, 22. adhibet verbum præteriti temporis, ἐπέμψα, misi. Id quod etiam Latinis & Germanis eodem sensu est usitatisimum. 2. Si dicamus, Paulum, cum Epheso a Timotheo discederet, id negotii dedisse ipsi, ut thecam suam librariam una cum libris mature Troade Ephesum transferendam curaret, eamque ipse Romam adferret. Cum enim Paulus a latere Timothei, ad quem e Macedonia reversus fuerat Ephesum 1 Tim. III, 14. IV, 13. non sine lacrymis ejusdem divelleretur 2 Tim. I, 4. probabile est, Paulum ipsi jam tum spem fecisse, fore, ut Romam se sequeretur, immo rogasse, ut suo id tempore pro nutu Dei faceret, commendata simul thecæ librariæ cura. Nec improbabile est, Paulum Troade discedentem Troadenfibus injunxisse, ut suppellectilem istam post aliquod temporis intervallum Ephesum mitterent ad Timotheum, ab ipso data occasione Romam mittendam, aut ferendam. Atque ita theca ista, etsi Troade relicta erat, tamen Epheso Romam transferri potuit.

§. VIII.

Ex hac vero demonstrationis serie, inde ab hujus capitis initio & altius deducta, nova eaque non spernenda, ut arbitror, observatio emergit, scilicet nullam per orientem & occidentem fuisse ecclesiam, de qua Paulus per epistolas tantopere meritus sit, quam de Ephesina. Ad hanc enim non solum dedit unam illam, ipsorum nomini inscriptam, sed duas etiam istas, Timotheo quidem inscriptas, sed Ephesiorum causa, utpote inter ipsos agenti. Et hinc porro efficitur, tres hæc epistolas inter se diligenter esse conferendas, earumque collatione statum ecclesiæ Ephesinæ non parum illustrari. Et hanc σύγκρισιν non parum juvant subsidia ista, quam illa habere potest a priori & a posteriori, ut ita loquar, seu partim ex iis, quæ Lucas narrat Act. XVIII, 19. 20. & c. XIX. nec non c. XX, 17. fin. de ecclesiæ Ephesinæ plantatione, fatis variis & de ejusdem rigatione ac confirmatione, facta per orationem, ad presbyteros Miletum arcesitos habita: partim vero ex istis, quæ ipse Christus in Apocalypsi Joanni ad eam perscribenda injungit c. II, 1. seqq. Quam certum citumque habuerit eventum illa Pauli prædictio de lupis inter Ephesios ipsos exorituris, utraque epistola ad Timotheum abunde testatur, speciatim in exemplis Hymenæi, Alexandri & Philetii. Conf. epistolam apocalypticam ad ecclesiam Ephesinam Apoc. II, 2. 3.

§. IX.

§. IX.

Dispiciendum nunc est, quid lucis hæc epistola affundat statui Pauli in vinculis posterioribus:

1. Paulus in vinculis suis desertus est ab iis, qui erant in Asia, strictiore sensu ita dicta, h. e. Ephesi & in ejus vicinia. 2 Tim. I, 15. Quam desertionem cum Paulus tribuat *omnibus*, facile colligitur, hic non intelligi defectionem ab evangelio, sed offensionem, seu ejusmodi imbecillitatem, qua se amicitia familiari subdlexerint, cum vidissent, se ob eandem in vitæ discrimen venire. Videtur itaque Apostolus jam tum in Asia, antequam inde ad ultima vincula Romam rediret, duriora esse perpeffus. Aut, si de eo loquitur, quid sibi Romæ contigerit, judicat, comperisse se, & quidem, ut probabile, ex Onesiphoro Ephesino, quod præter hunc solum nemo ex Asia Romam voluerit adire, ut Pauli afflictiones suo ministerio aliquo modo levaret: & quod speciatim Phygellus, & Hermogenes se subtraxerint. Qui sensus priori præferendus esse videtur. Quo minus vero hoc intelligas de Asiaticis, qui Romæ fuerint, obstat proprietates locutionis: *οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ*.
 2. *Onesiphorus* Ephesinus non detrectavit Pauli causa Romam adire, ipsum solícite exquirere, & inventum in vinculis quovis officiorum genere refocillare. Quare ipsi largissimam Dei misericordiam exoptat. c. I, 16, 17, 18.
 3. *Onesiphorus* vero non permansit Romæ, sed post aliquod temporis intervallum certas ob causas annuente Paulo Ephesum rediit. Nam Paulus ipsum salutatur infra c. IV, 19.
 4. Pauli vincula posteriora non fuisse brevia, sed longius protracta. Nam *Onesiphorus* ipsum jam Romæ vinctum ex Asia adiit, ipsique per tempus aliquod ministravit. Et cum inde jam tum Ephesum fuisset reversus, & ibidem rursus ex aliquo tempore moratus, Paulus adhuc in vinculis detinetur, eumque salutatur, immo expetit, ut *Timotheus* Epheso ad se veniat, non dubitans, se ejusdem adventui fore superstitem.
- §. X.
5. Paulus prævidit, se e vinculis hisce posterioribus non nisi per beatam mortem liberatum iri. Unde prædicat, eam instare. c. IV, 6, 7, 8, 18. Hæc vero prædictio non restringenda est ad tempus præsens, seu proximum, sed tantum ad exclusionem novæ liberationis. Quod si enim Paulus non amplius habuisset spem vitæ in vinculis adhuc diutius protrahendæ, adventum *Timothei* haud expetivisset. Ibid. v. 9, 21.
 6. *Timothei* vero præsentiam expetivisse videtur Paulus non tam in mi-

nisterium sui, quam evangelii, ut cum eo de ecclesiis, præcipue Asiæ, a corruptelarum periculo tuendis, consilia communicaret. Nec est dubium, quin Timotheus ad ipsum tempestive venerit, seu Paulus istius adventui supervixerit. Joannes vero apostolus demum post tempora Pauli in Asiam Ephesinam venisse, & antea in remotioribus Asiæ regionibus evangelium prædicasse videtur, quia Lucas nullam ejus mentionem fecit in vita Pauli.

7. *Demas* Paulo in vinculis prioribus laudabiliter adstitit; ita ut ejus nomine Philemonem & Colossenses salutare posset. Philem. v. 24. Coloss. IV, 14. Videtur gente Colossensis, certe Asiaticus fuisse. Sed in vinculis posterioribus Paulum deseruit, victus pravo hujus seculi amore. Qui etsi ipsum ad religionis christianæ abnegationem non perduxit, mentem tamen ejus ita corrupit, ut crucem Christi fugeret, Thessalonicam profectus ad res hujus seculi curandas. c. IV, 10. Conf. Matth. XIII, 21, 22. Errat vero GROTIUS, quando existimat, Demam culpæ hujus poenituisse, idque e Pauli salutatione Philem. 24. Col IV, 14. colligi. Hæc enim non ad posteriora, sed ad priora vincula pertinet, uti supra evictum est. Conf. EPIPHAN. Hæres. LI. ubi refert, *Demam relicta veritatis via factum fuisse hereticum eadem sentientem cum Cerintho, Ebione & aliis, qui Christum nudum hominem asserbant.* Ea vero, quæ de eodem tradit DOROTHEUS in Synopsi, quod apud Thessalonicenses ad simulacrorum cultum redierit, eorumque sacerdos factus sit, pro commento habeo.

§. XI.

8. *Crescens & Titus* discesserunt ab Apostolo, non vero per desertionem, sed per missionem; evangelii causa ab ipso Paulo factam. c. IV, 10. Hæc indicat Paulus, ut Timotheo adventus maturandi necessitatem persvadeat.
9. *Lucas* dicitur solus fuisse cum Paulo, v. 11. scilicet e comitibus itinerum & parastatis peregrinis, Asiaticis & Græcis. Is etiam in prioribus vinculis a latere Pauli hæsit. Col. IV, 14. Philem. v. 24.
10. *Marcus* hic intelligitur idem, cujus in Actis c. XII, 12, 25. XV, 35, 39. fit mentio. Unde confirmatur, censuram Pauli, in disceptatione cum Barnaba acceptam, ipsi admodum fuisse salutarem. Idem etiam Paulo in prioribus vinculis adfuit. Apostolus enim ex iis ejus nomine Philemonem v. 24. & Colossenses salutat v. 16. Aberrat hic rursus GROTIUS pro hypothese sua, secundum quam epistolas istas hac ad Timotheum posteriores facit.
11. De *Tychico & penula*, seu *theca libraria*, ipsisque libris Pauli ad v. 12, 13. vide, quæ jam tum supra dicta sunt. 12. Ale-

12. Alexander hic idem videtur esse, qui 1. Tim. I, 20. fuit notatus. Tradiderat ipsum Paulus satanae corpore affligendum, ut desineret criminari veritatem evangelicam & ea agnita ad frugem rediret; sed ruit ille in deterius, ita ut Paulo Ephesi valde restiterit. Id quod de eo tempore hic intelligendum esse videtur, quo apostolus e prioribus vinculis dimissus Ephesi egerat. Fortasse ipsum Romam est secutus, ut ipsi ægre faceret, aucta vinculorum afflictione per Judæos ac Latinos, in ipsum, tanquam hominem seditiosum, concitatos. Atque ita locus repugnantiae hic non esset Ephesus, sed Roma. Nec improbabile est, ipsum Roma reversum esse Ephesum. Unde Paulus Timotheum adversus eum præmonuit.

§. XII.

13. Apologia, quæ v. 16. dicitur prima, intelligenda est de vinculis posterioribus, ubi Paulo aliquoties causa sua fuit dicenda.
14. Desertio, de qua Paulus ibidem conqueritur, intelligenda est de metu ingenti, quem Neronis sævitia injecerat. Eo enim occupati fideles una cum Paulo ad dicendam causam in tribunal prodire detrectabant.
15. *Omnes gentes* Paulus vocat omnes Romanos gentiles, & quicumque ex omnibus nationibus Romæ, in orbis universi compendio, eo tempore degebant, per quos deinceps fama de constantia & parrhesia longe ac late per terrarum orbem divulgari poterat. Paulus enim jam dudum in multa erat celebritate & in omnium ore. B. CALOVIUS quidem existimat, ea, quæ Apostolus de prima sua apologia scribit, referri posse ad priora vincula. Sed minus commode. Cur enim illud nunc demum Timotheo referret per epistolam, postquam e captivitate illa priore dimissus coram multum fuerat versatus cum Thimotheo, præcipue Ephesi. Quid? quod Paulus Timotheum in prioribus vinculis habuit a latere suo, & rerum suarum, atque ita etiam apologiæ suæ, conscium. Ut nihil dicam de eo, quod secundam istam hypothesin etiam ipse Timotheus dicendus esset Paulum deseruisse.
16. *Leonis* nomine Neronem notari, recte censent interpretes, ita ut simul subsit locutio proverbialis, desumpta e loco Dan. VI, 22.
17. De *Aquila & Priscilla*, nec non de *Onesiphoro*, uti & de *Erasto & Trophimo*, vidimus supra.
18. Quod in salutatione v. 21. præ aliis exprimit nomen *Eubuli, Pudentis, Lini & Claudia*, singularem prodit amicitiam, quam illi præ ceteris Romæ cum Timotheo antea coluerant.
19. Ipsa hæc salutatio plurium nomine facta indicat, fidelibus non fuisse aditum interclusum ad Paulum, & apostolum per certos internuncios suum

suum de arcessendo Timotheo consilium universo christianorum, qui Romæ erant, gregi patefecisse. Alias enim Paulus Timotheum communi omnium nomine salute impertiri haud potuisset.

§. XIII.

Hæc hætenus de vita Pauli, e variis epistolarum vestigiis collecta. Vitam in apostolico munere summa cum laude transactam tandem coronavit mors, qualem jamdudum prævisam prædixerat i. e. violenta & mortis Christi æmula. De qua videatur EUSEBIUS H. E. L. II. c. 25. Ex quo & ex reliquis antiquitatis monumentis de ea Centuriæ Magdeburgicæ Cent. I. L. II. p. m. 607. sequentia collecta exhibent:

„ Tandem vero etiam ab impurissimo & truculentissimo tyranno Ne-
 „ rone capite multatus est Romæ & in via Ostiensi sepultus eodem anno &
 „ die, quo Petrus in crucem actus est: nimirum 14. Neronis, qui fuit post
 „ passionem Christi 37. post nativitatem Christi 70. conversionis Pauli 37.
 „ Autores sunt Eusebius, Hieronymus, Nicephorus Euthalius diaconus.
 „ Autor vitæ Pauli, quæ falso Abdiaz adscribitur, dicit duobus a passione
 „ Petri annis, Paulum 3. cal. Julias interfectum esse. Epiphanius vero
 „ lib. I. tomo 2. dicit, Petrum & Paulum XII. Neronis interiisse. De causa
 „ mortis ejus vetusti illi Eusebius & Hieronymus, sigillatim nihil comme-
 „ morant: haud dubie eo quod nihil certi aliud memoriæ proditum cogno-
 „ verunt, quam quod ob fidem & confessionem Domini nostri Jesu Christi,
 „ ut alii Christiani, quos Nero persequebatur, interfectus sit. Chryso-
 „ stomus tamen libro 2. adversus vituperatores vitæ monasticæ hæc scribit:
 „ Paulus pellicem Neronis, quam deperiebat, ac in deliciis habebat, cum ad
 „ fidem inducens, religionis sacramenta suscipere, simul etiam impurum con-
 „ gressum declinare persvaserat: Nero Paulum corruptorem, nebulonem &
 „ flagitiosum hominem vocans, primum eum conjecit in vincula: deinde
 „ poposcit, ut puellæ ejusmodi consilia monitave dare desineret; quod cum
 „ a Paulo impetrare non posset, necavit tandem virum
 „ sanctissimum. &c.



TABU-

TABULA CHRONOLOGICA VITÆ PAULI,

I. Sub TIBERIO.

A N. NI.

æra Christi, Imp. Rom.
XXXIV. XXI.

Saulus lapidationi Stephani calculum suum adjicit. Act. XII, 28. XXII, 20.

XXXV. XXII.

Saulus accepta a synedrio potestate furit in ecclesiam. Act. IX, 1. seqq. XXVI, 11. I Tim. I, 13.

Saulus in via Damascum versus a Christo convertitur. Act. IX, & mox in Arabiam secedit.

XXXVI. XXIII.

Paulus moratur in Arabia tribus annis Gal. I, 16. 17.

II. Sub CAIO CALIGULA.

XXXVIII. II.

Paulus ex Arabia redit Damascum, incidit in Judæorum infidias, easque opera christianorum evadit, per murum demissus Act. IX, 25. 2 Cor. XI, 32.

Paulus Hierosolymam venit, & tentat se discipulis adjungere, & a Barnaba ducitur ad Apostolos, Act. IX, 26, 27.

Paulus habet ecstasin in templo, Act. XXII, 17--21.

23

Paulus

	AN.	NI.
	æra Christi,	Imp. Rom.
Paulus post dies quindecim Gal. I, 18. Ob infidias Judæorum Hierosolyma discedit & a fratribus Cæsaream & Tarsum deducitur. Act. IX, 31. 32. fidelibus in Judæa & Samaria pace perfruentibus. ibid.		
Paulus Christum prædicat in Syria & Cilicia. Gal. I, 22. 23. Petro interea in Judæa Cornelium baptizante. Act. X.	XXXIX.	III.
	XL.	IV.
<i>III. Sub CLAUDIO.</i>		
Paulus adhuc prædicat in Syria & Tarsum redit.	XLI.	I.
Paulus a Barnaba Tarso Antiochiam adducitur in laboris societatem. Act. XI, 25.	XLII.	II.
Paulus cum Barnaba annum integrum Antiochiæ commoratur, CHRISTIANORUM appellatione ibidem orta. Act. XI, 26.	XLIII.	III.
Herodes Agrippa sævit in ecclesiam & occidit Jacobum, Petro in carcerem coniecto. Act. XII, v. 1, 2.	XLIV.	IV.
Paulus cum Barnaba ab Antiochenis subsidium defert Hierosolymam tempore famis, ab Agabo prædictæ. Act. XI, 27. seqq.		
Paulus & Barnabas Hierosolyma adsumto Joanne Mar-		

	AN. NI.	æra Christi. Imp. Rom.
co Antiochiam reversi Aët. XII, 25. segregantur ad opus Domini evangelicum inter gentes perficiendum. Aët. XIII, 1. 2. 3.		
Hoc tempore Paulus in tertium Cælum rapitur, & post annos XIV. posteriorem epistolam ad Corinthios scribit. 2 Cor. XII, 2.		
Paulus & Barnabas cum ministro Joanne Marco Antiochia ad gentes misi navigant in Cyprum, eaque peragrata & luce evangelii illustrata, in urbe Papho proconsulem Sergium Paulum ad Christum convertunt, Elyma cæcitate percusso. Aët. XIII, 6. seqq.	XLV.	V.
Paulus Papho venit Pergam Pamphylia, & a Joanne Marco desertus, inde porro in Pisidiam. Aët. XIII. v. 13. 14.	XLVI.	VI.
Paulus in Pisidia, præcipue Antiochia commoratur diutius, evangelio inde per universam regionem disseminato. Aët. XIII, 14-49.		
Paulus cum Barnaba e Pisidia pulsus abit in Lycaoniam, ubi Iconii Christum prædicat diutius. Aët. XIII, 15. fin. XIV, 1. seqq.		
Paulus Iconio pulsus adit civitates, Lystram c. XIV, 6. 7. seqq. & Derben. v. 20. seqq.		
		Derbe

	AN.	NI.
Derbe revertitur Lystram, Iconium, Antiochiam Pisidiam, transitque Pisidiam & Pamphyliam & redit Antiochiam Syriæ, v. 24. seqq.	XLVII.	VII.
Paulus cum Barnaba Antiochiæ commoratur.	XLVIII.	VIII.
Paulus & Barnabas ab Antiochena ecclesia mittuntur Hierosolymam, ubi habetur concilium solenne Act. XV, 1. seqq. Gal. II, 1. 2. quo factò Antiochiam redeunt. Act. XV, 30. seqq.	XLIX.	IX.
Paulus Petrum Antiochiæ reprehendit ob datum perdisimulationem scandalum. Gal. II, 11. seqq.	L.	X.
Paulus, Sila pro Barnaba adsumto, evangelii causa Syriam & Ciliciam obit: item Lycaoniam, & Lystræ Timotheum discipulum in locum Marci adsumit. Act. XV, 36. fin. XVI, 1. seqq.		
Paulus peragrat Phrygiam & Galatiam & per Mysiam venit Troadem XVI, 6--9. ubi se eidem jungit Lucas v. 10. & inde transit in Macedoniam eo vocatus v. 9. 10. ubi evangelium prædicat, præcipue Philippis, conversis Lydia & præfecto carceris v. 11. fin. nec non Thessalonicæ c. XVII, 1. seqq.	LI.	XI.
Porro Beroeæ v. 10. seqq.	LII.	XII.
		Judæi

A N. NI.

æra Christi. Imp. Rom.

Judæi cum Christianis a Claudio Roma expelluntur.
vid. PEARSON.

Paulus Beroea venit Athenas Act. XVII, 15. seqq. &
inde Corinthum, ubi invenit Aquilam nuperrime
Roma expulsum. Act. XVIII, 1. 2.

Paulus Corinthi moratur, & ibi scribit priorem epistolam
ad Thessalonicenses. 1 Thess. III, 1. 6.

Paulus Corinthi coram Gallione proconsule sistitur.
Act. XVIII, 12. seqq.

Paulus ibidem scribit posteriorem epistolam ad Thessalo-
nicenses.

Paulus Corintho navigat Ephesum, & inde Cæsaream,
salutataque ecclesia Hierosolymitana proficiscitur
Antiochiam, c. XVIII, 18. seqq.

Paulus Antiochia transit per Galatiam & Phrygiam &
venit Ephesum. c. XVIII, 23. XIX, 1. & ibi subsistit
tribus annis c. XX, 31.

IV. Sub NERONE.

Paulus Ephesi per biennium docet in schola Tyranni
Act. XIX, 9. 10. postquam in synagoga docuisset per
tres menses. v. 8.

Aa

Pau-

LIII. XIII.
LIV. XIV.
LV. I.

	AN.	NI.
Paulus scribit priorem epistolam ad Corinthios, uti & eam ad Galatas.	LVI.	II.
Paulus adhuc moratur in Asia circa Ephesum. c. XIX, 21. seqq. c. XX, 31.	LVII.	III.
Paulus Epheso per Demetrii motus pulsus venit Troadem & inde navigat in Macedoniam, Act. XX, 1, 2 & hic scribit epistolam ad Corinthios posteriorem.		
Idem proficiscitur in Græciam strictiori sensu sic dictam & ibi moratur tres menses v. 3. scribitque Corinthi epistolam ad Romanos.		
Paulus e Græcia, seu Achaja, in Macedoniam revertitur v. 3.	LVIII.	IV.
Post dies azymorum Philippis abit Troadem, & ibi Eutychem, qui sub concione ex animis ex alto deciderat, restituit in vitam, Act. XX, 6. seqq.		
Mileti presbyteros Ephesinos instruit. v. 17. seqq.		
Mileto digressus venit Tyrum, Cæsaream & Hierosolymam, Act. XXI.		
Paulus Hierosolymæ in tumultum datus orationem habet apologeticam. c. XXII. iterum c. XXIII.		

Paulus

	AN. NI.	æra Christi, Imp. Rom.
Paulus Cæsareæ detinetur in libera custodia sub procuratore Felice c. XXIV.	LIX.	V.
Item sub Festo. Act. XXIV, 27. XXV. XXVI.	LX	VI.
Paulus mittitur Romam, & in itinere in insula Malta hibernat. c. XXVII, XXVIII, 1. seqq.		
Idem Romam venit mense Februario exeunte, & ibi liberam habet custodiam per biennium in conducto domicilio. c. XXVIII.	LXI.	VII.
Festo mortuo Albinus succedit.		
Jesus quidam Anani Hierosolymæ clamat: <i>ue, ue Jerusalem.</i>		
Paulus e prioribus vinculis scribit <i>epistolas ad Philemonem, Colossenses & ad Philippenses</i> , facta spe adventus,	LXII.	VIII.
Paulus in libertatem restitutus Roma exit & in Italia degens scribit epistolam ad Hebræos, & mox in Cretam navigat, & ibi Titum relinquit. Tit. I, 5,	LXIII.	IX.
Paulus Asiam obit & Colossenses invisit. Romæ prima oritur persecutio. Albino Florens succedit procurator Judææ. Josephus Judæorum causa Romam proficiscitur.	LXIV.	X.
Aa 2		Pau-

	AN	NI.
Paulus in Macedoniam profecturus Timotheum Ephesi relinquit. 1 Tim. I, 3.	LXV.	XI.
Paulus in Macedonia apud Philippenfes agit.		
Paulus scribit priorem ad Timotheum epistolam: item eam ad Titum.		
Paulus hibernat Nicopoli.	LXVI.	XII.
In Judæa cœpit bellum anno Flori secundo.		
Paulus venit Troadem & apud Carpum thecam suam librariam relinquit. 1 Tim. IV, 13.		
Idem Trophimum Mileti relinquit ægrotum. 2 Tim. IV, 20.		
Paulus venisse videtur Corinthum, ubi reliquit Erastum. 2 Tim. IV, 20.		
Paulus iterum Romam venit & in vincula conjicitur: in quibus eum invenit & recreat Onesiphorus 2 Tim. I, 17.	LXVII	XIII.
Scribit epistolam ad Ephesios.		
Item posteriorem ad Timotheum.		
Paulus anno Neronis ultimo Romæ capite truncatur, anno muneris apostolici trigesimo tertio d. 29. Jun. Neronis ultimo, duobus annis ante excidium Hierosolymitanum, quod in annum Christi LXX. incidit.	LXVIII.	XIV.
		COM.



COMMENTATIONIS
HISTORICO-HERMENEVTICÆ
PARS POSTERIOR,

DE

PAULI EPISTOLIS.

SECTIO I. DE

CIRCUMSTANTIÆ SEU MOMEN-
TIS EPISTOLARUM HISTORICIS AC
HERMENEVTICIS,

CAPUT I,

De

Prioribus Pauli epistolis, ante vincula Ro-
mana scriptis, earumque circumstantiis
historico-hermenevticis.

MEMBRUM I,

De

EPISTOLA PRIORE ad THESSALONICENSES.



I. ECCLESIA, ad quam scripta est epistola. Hæc The-
salonica, in urbe Macedonia primaria, Christo fuerat
collecta ab ipso Paulo, postquam ex Asia per noctur-
nam visionem eo erat evocatus Act. XVI, 9, 10. Histo-
riam ecclesiæ fundatæ vide Act. XVII, & confer, quæ
de ea dicta sunt Part. I. Sect. II. Cap. III.

Aa 3

II. LO.

II. LOCUS, ubi epistola scripta, Corinthus. Id quod ibidem demonstratum vide.

III. TEMPUS scriptionis: quod fuit annus
a plantatione secundus. Vide tabulam chronologicam sub finem Partis I.
a munere apostolico commisso decimus septimus. *ibid.*
a Christo nato quinquagesimus secundus, qui erat Claudii duodecimus.

IV. OCCASIO, eaque
Remotior, plantatio ecclesie. Agricola autem ac hortulani est hortum ac agrum suum invisere.

Propior, reditus & narratio Timothei. Cum enim Paulus impediretur, quo minus ipse ad Thessalonicenses, quemadmodum expetiverat, reverteretur 1 Thess. II, 17, 18. Athenis ad eos mittebat Timotheum c. III, 1, 2, 3. Qui quia inde reversus optima quæque de ipsis narraverat, 1 Thess. III, 6. seq. Act. XVIII, 5. Paulus pro tenerissimo suo erga Thessalonicenses affectu, Timothei narratione non parum aucto, ad ipsos litteras dabat: quemadmodum ex c. III, 6. seqq. colligitur.

V. SCOPUS & ARGUMENTUM. Paulus, pro affectus sui abundantia & pro statu ecclesie Thessalonicensis, Thessalonicensibus amorem suum tenerimum passim pluribus verbis prodit, eosque partim in doctrina, speciatim ea de adventu Domini ad iudicium & de resurrectione mortuorum, partim in sanctimonia & *ἀρεβεία* vitæ, sub afflictionibus multis adhuc durantibus, confirmat ac corroborat, & adversus crucis scandalum præmunit: atque hunc in finem monita omnia solícite dirigit. Videtur vero Timotheus narratione sua nonnulla scriptionis momenta Paulo speciatim suppeditasse.

VI. SEDES MATERIARUM PRÆCIPUARUM:

1. De officio auditorum in digne & prompte suscipiendo verbo evangelii, etiam inter afflictiones c. I, 5, 6. seqq. II, 13. V, 12, 13.
2. De affectu & officio doctorum c. II, 2, 3, -- 11.
3. De hostibus evangelii. c. II, 14, 15, 16.
4. De afflictionibus evangelii causa tolerandis c. III, 3, 4, 7. Conf. c. I, 6. II, 2, 14.
5. De Vitæ sanctimonia & puritate. c. IV, 3, 4, 5, 7.
6. De rebus novissimis, resurrectione mortuorum & adventu Christi, c. IV, 13 - fin. V, 1. seqq.
7. De indole & officio filiorum lucis c. V, 4 - 8.
8. De usu sacerdotii spiritualis in ædificatione mutua c. V, 11, 14, 15.

VII. LOCA ἐμφατικώτερα: c. I, 3. ubi fidei tribuitur ἔργον, caritati κόπος, & spei ὑπομονή,

c. I, v. 5.

c. I, v. 5. de virtute & efficacia evangelii in Thessalonicensibus. Conf. c. II, 13.

c. I, v. 6. de modo verbum digne recipiendi.

c. II, 7, 8, 11, 19, 20. de affectu Pauli tenerrimo.

c. IV, 9. de Θεοδιδασκαλία, caritatis fonte,

c. IV, 16. c. V, 3. de adventu Domini.

c. V, 16. seqq. aphorismi pædeutici.

III. LOCA DIFFICILIORA:

c. I, 4. *novimus electionem vestri.*

c. IV, 16. *Ipse Dominus cum celeusmate &c.*

Not. Declarationem eorum, quæ ad momenta hujus epistolæ historica pertinent, vide supra Sect. II. c. III. §. XX - XXIII. & XXXVI.

IX. LOCUS DE JUDÆIS, & quidem Thessalonicensibus:

c. II, 14. ubi nomine *συμφυλετῶν* etiam Judæi intelliguntur: quemadmodum constat

1. *E narratione Luca Act. XVIII, 5. seqq. ubi persecutiones, de quibus hic sermo est Paulo, Judæis tribuuntur.*

2. *Ex usu vocis συμφυλίτης consveta de Judæis, quod sunt ex uno patre Israele. Probabile etiam est, Judæos Thessalonicenses maxima ex parte fuisse ejusdem tribus, nimirum Judææ aut Benjaminis. De gentilibus vide c. I, 9.*

X. PARTITIO, seu ANALYSIS. Hæc, post inscriptionem & salutationem c. I, v. 1. partes admittit duas, epæneticam, & paræneticam.

EPÆNETICA, seu laudativa, constat narratione varia de Thessalonicensium statu, Pauli ministerio & Timothei missione. c. I, II, III, ubi

Thessalonicensium conversorum status, qui

Laudabilis per se & eucharistia erga Deum dignus, ob evangelium inter afflictiones cum gaudio susceptum. c. I, 2-6.

Exemplaris aliis, præcipue in Macedonia & Achaja, Pauli ingressum evangelicum & Thessalonicensium obsequium collaudantibus, v. 7. - fin.

Pauli ministerium, cujus commemoratione status Thessalonicensium laudabilis uberius declaratur c. II. Occurrit hic ministerii apostolici

Administratio, quæ post mentionem generalem v. 1. describitur ut calamitosa, sincera, fidelissima:

Calamitosa, & simul tamen animosa, sub multa afflictione v. 2.

Sincera & pura, ratione principii, modi & scopi v. 3-6.

Fidelissima, respectu

Prin-

Principii, quod erat paternus maternusque affectus v. 7, 8, 11.

Adjuncti, quod erat
Labor manuaris. v. 9.
Innocentia vitæ v. 10.

Modi, qui erat
Didascalicus in concione & communicatione evangelii v. 8, 9.
Pædutico-paracleticus v. 11, 12.

Successus, seu effectus in Thessalonicensibus: ubi

Modus successus ponitur

In digna evangelii receptione v. 13.

In afflictorum ex Judæa, & ipsius Pauli imitatione: ubi simul
adversariorum indoles describitur. v. 14, 15, 16.

Consequens: Pauli affectus erga Thessalonicenses, qui sese prodit
Desiderio ipsos revivendi, sed impedito v. 17, 18.
Encomio Thessalonicensium. v. 19, 20.

Missio Timothei c. III. ubi missionis

Principium, affectus Pauli tenerrimus. v. 1. huc refer antecedentia
c. II, v. 17 - fin.

Scopus, qui fuit

Confirmatio Thessalonicensium sub cruce, cujus necessitas simul de-
scribitur v. 2 - 4.

Desiderium statum Thessalonicensium explorandi & cognoscen-
di. v. 5.

Consequens, quod reversi Timothei narratione v. 6. obtentum est in
Paulo, respectu

Consolationis & recreationis multæ v. 7. - 9.

Desiderii Thessalonicenses revivendi. v. 10, 11.

Voti, de incremento & perseverantia Thessalonicensium concepti.
v. 12, 13.

PARAENETICA, posita in varia adhortatione c. IV, V. ubi commendatur

Studium invalescendi c. IV, ubi

Incrementum v. 1.

Ejus præscriptum v. 2.

Sanctimonia vite, cujus proponitur

Principium, voluntas Dei & cœlestis vocatio v. 3, 7.

Modus in vase suo sancte & reverenter habendo v. 4.

Opposi-

- Oppositum*, impuritas gentilium v. 5. conf. 3.
Iustitia in commerciis v. 6. subjuncto argumento gravissimo, etiam ad
 præcedentia monita pertinente v. 8.
Philadelpia uberior, Θεοδιδασκαλίας character v. 9, 10.
Sedulitas & εὐταξία in labore & externo vitæ genere. v. 11, 12.
Fuga immoderati luctus, v. 13. ductis argumentis
 a resurrectione Christi & mortuorum v. 14, 16.
 ab adventu Christi ad iudicium v. 15, 16, 17, 18. quæ materia
 declaratur ratione temporis ignoti c. V, 1.
 & ratione modi, futuri ex improvise v. 2, 3.
 applicatur ad vigilantiam & sobrietatem, ubi
 monitum v. 6, 8,
 argumentum triplex
 a natura filiorum lucis v. 4, 5. cuius contrarium v. 7.
 ab ordinatione Dei ad salutem v. 9.
 a scopo meriti Christi v. 10.
 monitum novum ad ædificationem mutuam, e præcedentibus
 argumentis illatum v. 11.
Reverentia & obsequium erga ecclesiæ antistites v. 12, 13.
Ædificatio & ephoria mutua v. 14, 15.
Officium septuplex, septuplici aphorismo expressum v. 16 - 22.
CONCLUSIO; ubi occurrit
Votum, subjuncta promissione v. 23, 24.
Monitum triplex
 de intercessione in precibus v. 25.
 de salutatione v. 26.
 de epistolæ communicatione v. 27.
Votum finale. v. 28.

MEMBRUM II.

De
 EPISTOLA POSTERIORI AD THESSALONICENSES.

- I. **L**OCUS scriptionis: itidem Corinthus. Vide supra Part. I. Sect. II.
 cap. III.
 II. **TEMPUS**: paulo post priorem epistolam, seu proximo statim anno.
 Vid. ibid.
 III. **OCCASIO & CAUSSA** scribendi: quæ sextuplex:
 Bb
 1. Nun-

1. Nuntius de incremento Thessalonicensium spirituali, quale prioribus litteris exoptaverat. c. I, 3, 4. conf. 1. Thess. IV, 2, 10.
2. Afflictiones eorundem perdurantes, seu continuatae c. I, 4-7.
3. Erronea interpretatio prioris epistolae in doctrina de adventu Christi: utpote quem arbitrabantur jam tum instare, iis quae 1. Thess. V, 1, 2. 3. de subitaneo adveniendi modo scripta erant, non recte intellectis. c. II, 1. seqq.
4. Pseudopropheta de adventu Christi, tanquam jam tum instanti: nec non suppositio falsae epistolae c. II, 2.
5. Vita quorundam in externis inordinata, e nonnullorum sermone percepta c. III, 11. de iis, qui morem haud gesserant monitis illis, de vitæ *εὐταξία* in priore epistola datis. c. IV, 11, 12. conf. c. V, 14. admone-
te τῆς ἀτάκτης.
6. Promissio adventus, sed denuo impediti 1. Thess. III, 10, 11. uti antea c. II, 17, 18.

IV. SCOPUS & ARGUMENTUM: Paulus ad variae occasionis ductum Thessalonicenses

1. Collaudat ob incrementum omnis boni c. I, 3, 4.
2. Erigit & corroborat in afflictione v. 5. seqq.
3. Instruit de adventu Christi & antecessura eum antichristi revelatione c. II, 1. seqq. & confirmat in doctrina evangelica ejusque praxi v. 15. fin. III, 3, 4, 5.
4. Dehortatur nonnullos a vitæ ἀτάξια. c. III, 6. seqq.

V. SEDES MATERIARUM PRÆCIPUARUM.

1. De eventu & fructu afflictionum glorioso. c. I, 5. seqq.
2. De adventu Domini & extremo judicio. c. II, 7. seqq. II. 1. seqq.
3. De antichristo, & ejus proprietatibus, revelatione & interitu. c. II, 3. seqq.
4. De electione intuitu fidei facta v. 13, 14.
5. De externa christianorum *εὐταξία* c. III, 6. seqq.

VI. LOCA ἐμφατικώτερα:

- c. I, 3. de nexu crescentis fidei & caritatis.
- I, 8. de impiis condemnandis.
- I, 10. de gloria Christi admiranda in fidelibus salvandis.
- I, 11. de opere fidei in potentia.
- II, 3, 4, 8. de characteribus antichristi.
- II, 13. de electione in sanctificatione Spiritus & in fide veritatis.
- II, 16. de consolatione aeterna & spe bona in gratia.
- III, 4. de obsequio Thessalonicensium.

III, 8.

III, 8. de asiduitate Pauli in laboribus.

III, 17. de salutatione Paulina, scriptionis caractere *αὐτογενέφω*.

VII. LOCA DIFFICILIORA

c. II, 3. seqq. de antichristologia generatim.

-- 6. de eo, quod antichristum detinet, speciatim.

-- 9, 10. de antichristi operibus stupendis.

-- 11. de missione effacium errorum.

Not. Declarationem hujus epistolæ historicam vide supra Sect. II. c. III. §. XXXVI. conf. §. XX. XXI.

VIII. PARTITIO, seu ANALYSIS. Hæc post inscriptionem & salutationem c. I, 1, 2. pro numero capitum trium, tres admittit partes, quarum prior, facta a potiori denominatione, est didascalico-paracletica, secunda didascalico-prophetica, tertia pædeutica.

PARS PRIMA didascalico-paracletica c. I. ubi

Status Thessalonicensium laudabilis, at simul afflictissimus v. 3, 4.

Consolatio eorundem didascalica, argumentis ductis ab adventu Domini & extremo judicio, speciatim

a pœnis affligentium v. 5-10.

a præmiis afflictorum. ibid. subjecto voto v. 11, 12.

PARS SECUNDA didascalico-prophetica, continens antichristologiam c. II, ubi ejus

Occasio, non recte intellecta doctrina de adventu Christi v. 1, 2.

Antichristologia ipsa: ubi antichristi

Characteres, jam antea indicati. v. 3-5.

Revelatio, remoto obstaculo v. 6, 7, 8.

Interitus a Domino v. 8.

Ortus ad imposturas, immorigeris e justo Dei judicio imminentes v. 9-12.

Adjunctum: quod

Gratiarum actio pro meliore Theſſalonicensium statu. v. 13, 14.

Excitatio eorundem ad perseverantiam. v. 15.

Votum de divina corroboratione. v. 16, 17.

PARS TERTIA pædeutico-epanorthotica. c. III. ubi commendatur

Studium precum pro Paulo c. III, 1-3. speciatim

pro verbi cursu v. 1.

pro liberatione a malis v. 2. subjuncta promissione, excitandi vim habente v. 3.

Obsequium, cum fiducia & voto commendatum v. 4, 5.

Bb 2

Fuga

Fuga ἀτάκτων: ubi

Monitum de fugiendis ἀτάκτοις v. 6.

Argumentum a contrario ipsius Pauli exemplo. v. 7-9.

Descriptio inordinatorum cum monito coram dato & nunc per literas repetito ac declarato v. 10. 11. 12.

Perseverantia in benefaciendo. v. 13.

Cura & emendatio immorigerorum, ubi datur præceptum v. 14. sed limitatum v. 15.

CONCLUSIO: quæ habet

Votum triplex v. 16. 18.

Salutationem characteristicam v. 17.

MEMBRUM III.

De

EPISTOLA PRIORI ad CORINTHIOS.

- I. **E**CCLESIA, ad quam scripta fuit. Hæc Corinthi, in metropoli Achaïæ, fuit plantata ab ipso Paulo, qui ibidem evangelii causa annum & sex menses commoratus est. Act. XVIII, 1-18. Vide supra P. I. Sect. II. Cap. §. XXVIII. seqq.
- II. **LOCUS** scriptionis: Ephesus. c. XVI, 8. 9. 10. conf. c. IV, 17. Vide supra Part. I. Sect. II. cap. IV. §. VIII.
- III. **TEMPUS** scriptæ epistolæ: quod fuit annus
a plantatione ecclesiæ Corinthiæ sextus.
a munere apostolico commisso vigesimus secundus.
a Christo nato quinquagesimus septimus, qui erat Neronis tertius. Vide supra tabulam chronologicam.
- IV. **OCCASIO**, quæ, præter plantationem ipsam, fuit varia:
 partim epistola Corinthiorum, in qua Paulus de statu conjugum, cælibum ac viduarum fuit consultus, missa per Apollon. c. VII, 1.
 partim fama non incerta, de variis ecclesiæ Corinthiæ nævis & scandalis, v. g.
de ingenio multorum schismatico. c. I. II. III. IV.
de fastu & tumore eorundem c. IV, 7. 8. 10. 18. 19.
de scandalo incestus c. V.
de litibus forensibus coram iudicio infidelium c. VI, 1. seqq.
de esu idolothytorum c. VIII. X.
de indecoro in cætu publico c. XI, 1. seqq.

de

de ἀταξία in usu sacrae cœnæ. v. 20. seqq.

de usu charismatum imprudenti & caritatis experti. c. XII.
XIII. XIV.

de resurrectione mortuorum, non recte intellecta. c. XV. Huc porro refer eam occasionem, quæ e consilio stipsis pro Hierosolymitanis colligendæ suppeditabatur. c. XVI, 1. seqq.

VI. SCOPUS & ARGUMENTUM. Paulus, pro ratione causarum istarum ad scribendum impellentium, Corinthios partim uberius instruit docetque, partim a malo schismatico & a variis vitæ corruptelis ac scandalis, uti & ab indecoro, quod in cœtu ac cultu publico commissum erat, solícite avocatur, commendata *ἑνταξία*, & hac ratione eosdem in christianismo confirmat.

VII. SEDES MATERIARUM PRAECIPUAE. Hæ conspicuæ sunt partim in notata varia scribendi occasione, partim in summis capitibus subjunctæ analyseos.

VIII. LOCA ἐμφατικώτερα:

C. 1, 5. 6. 7. de divitiis Corinthiorum spiritualibus.

-- 30. de Christo, qui nobis omnia.

II, 4. de demonstratione Spiritus ac potentia in mysterio de cruce Christi. Conf. v. 1. 2. c. 1, 17. 18. 24. 25. Item c. II, 13.

-- 8. de Domino gloriae cruci affixo.

-- 14. de ἀδυναμία hominis mere naturalis.

III, 2. de lacte imbecillorum nutrimento.

-- 6. de conjuncta & subsidiaria plantantis, rigantis & foecundantis opera.

-- 9. de fidelibus, Dei agricultura & architectura.

-- 10. seqq. de fundamento unico & structura eidem imposita. Ibidem de igne δοκιμαστικῷ.

-- 16. 17. de templo Dei mystico. Conf. c. III, 19.

-- 18. 19. de stultitia, tanquam via ad sapientiam.

IV, 1. 2. de oeconomia ministrorum fideli.

-- 5. de futura manifestatione occultorum cordis.

-- 9. de apostolis quasi in theatrum productis.

-- 12. 13. de contraria Pauli & hostium indole.

-- 15. de enarratione Corinthiorum spirituali.

-- 29. de indole regni Dei.

-- 21. de virga apostolica.

V, 7. de expurgando fermento; Ibid. de Christo agna paschali. v. 8. de azymis.

Bb 3

C. VI,

- C.VI, 3. de sanctis, futuris mundi iudiciis.
 -- 11. de gratia iustificante & sanctificante.
 -- 15. de fidelibus Christi membris.
 -- 17. de unione cum Christo mystica.
 -- 18. de fœditate scortationis.
 -- 20. de pretiosa redemptione. conf. c. VII, 23.
 VII, 2. de proprio marito & propria uxore.
 -- 3. de conjugali *εὐνοία*.
 -- 19. de servatione præceptorum, circumcissioni & præputio opposita.
 -- 29. 30. 31. de paradoxis moralibus.
 VIII, 2. de modo cognoscendi.
 -- 6. de Christo unico Domino.
 -- 11. de morte Christi pro pereuntibus.
 IX, 2. de Corinthiis apostolici muneris sigillo.
 -- 19. 23. de Pauli *συνκαταβάσει*, qua omnia factus est omnibus. conf. c. X, 33.
 -- 24. de cursu contentiori in stadio. conf. v. 26. 27.
 X, 2. de cibo potuque spirituali & comitante petra, Christo.
 -- 6. 11. de typis divinorum iudiciorum.
 -- 9. de tentatione Christi in deserto.
 -- 12. de cura perstandi.
 -- 13. de ecclasi tentationum.
 -- 16. de communione materiæ visibilis & invisibilis in sacra cœna.
 -- 31. de scopo actionum omnium, gloria Dei.
 XI, 24. 25. de verbis institutionis.
 -- 26. de annuntiatione mortis Domini.
 -- 28. 31. de exploratione sui, ad dignum sacræ cœnæ usum necessaria.
 XII, 2. de confessione, Christum esse Dominum.
 -- 4. 5. Spiritus, Dominus, Deus de eodem. conf. v. 11.
 -- 13. de unitate spiritus, sacramentorum usu obtinenda.
 -- 26. de concentu & consensu membrorum.
 XIII. de præstantia caritatis.
 XIV, 32. de spiritibus prophetarum, qui prophetis subiecti.
 XV, 9. 10. de apostolo omnium minimo & tamen præcipuo.
 -- 20. de Christo dormientium primitiis.
 -- 32. de *ἠρειμαχία* Ephesina.
 -- 45. 47. de secundo Adamo, Domino e cœlo.
 -- 56. de stimulo mortis & nervo peccati.
 -- 58. de constantia Christianorum immota: conf. c. XVI, 13.

C.XVI,

C. XVI, 9. de ostio aperto in medio hostium contradicentium.

-- 14. de magistra caritate.

-- 15. de primitiis Achajæ.

-- 22. de anathemate Christum haud amantium.

X. LOCA de JUDÆIS ad JUDÆOS:

Cap. I, 20. *Ubi sapiens* &c. Hic de Judæis præcipue agi, patet

1. Ex eo, quod gens Judaica eo tempore jam dudum habebat suos
 חכמים sapientes, סופרים scribas, & ררשים inquisito-
 res, sed evangelio adversos.

2. Ex loco *Jesaja XXXIII, 18.* quorsum respexisse videtur Paulus.

3. E contextu, speciatim v. 8. ubi iisdem tribuitur crimen injustæ
 σαυρωσως. Nec obstat v. 6. principes istos vocari principes *hujus*
seculi. Erant enim judaicæ gentis principes, & quidem *hujus se-*
culi, eo sensu, quo ad Hebr. II, 5. seculum futurum, עולם הבא
 dicitur de oeconomia gratiæ evangelica, quæ Judaice loquentibus
 dicebatur *futura,* in oppositione ad eam, quæ ipsis præsens erat h. e.
 ad oeconomiam gratiæ legalem, seu cerimonialem.

Cap. IV, 15. *Etiamsi haberetis decem millia pedagogorum in Christo.* Id quod
 Judæorum erat proprium secundum pædagogiam legalem, qua in eos
 abutebantur principes ordinis ecclesiastici. Conf. Gal. III, 24. c. IV, 1. seq.

Cap. V, 1. Hic Corinthii ethnicis oppositi videntur esse conversi Judæi,
 ita ut sensus sit, commissum esse a Judæo quodam converso ejusmodi
 crimen, quale ne quidem de ethnicis conversis, etsi flagitiis ejusmodi
 antea deditisimis, dici queat. Et hanc expositionem confirmant se-
 quentia, ubi adversus scandalum istud urgetur expurgatio fermenti,
 cum paschate Judæis propria. Sic sentit de hoc loco BRAUNIUS
Select. Sacr. L. I. c. III. p. 56. seqq. Confer eundem de loco Cap. VII, 1.
 seqq. ubi tamen expositio ejus mihi videtur esse coæctior. Capite au-
 tem VIII. v. 18. sermonem esse de conversis Judæis, ipsa littera indicat.

Cap. VIII. Hic lex cibaria erat Judæorum, ab infirmis Judæis libertati e-
 vangelicæ opposita; quemadmodum a confirmatoribus, præcipue gen-
 tilibus, libertas caritati, infirmis debita, opponebatur.

Cap. IX, 8. 9. 13. Hæc Judæis conversis præcipue dicebantur, utpote iis jam
 tum e Judaismo nota.

Cap. X. Hic Judæos maxime compellari, res ipsa indicat. De commate 15.
 & sequentibus vid. BRAUNIUS l. c. p. 60. 61.

Cap. XI, 4. seqq. Etiam hæc maxime ad Judæos pertinent. Nam Judæi
 sub oeconomia legali erant tecto capite, in signum servitutis & timo-
 ris,

ris, in quo sub V. T. versabantur, & cujus velatio signum erat. Conf. Rom. VIII, 15. Unde Judæi adhuc hodie in sacris caput tegunt religiose. Quandoquidem vero Judæi Corinthiaci, quotquot ad Christum erant conversi, pro servitute libertatem acceperant in Christo, ideo Paulus constituit, ut mares in sacris aperto essent capite, in signum libertatis; fœminæ autem operto, in signum subjectionis, non legi quidem ceremoniali, at maritis tamen, debita.

Cap. XV. Hic urgetur dogma de resurrectione non solum adversus gentiles, quibus illud olim absurdum fuerat visum, sed etiam in gratiam eorum, qui ex Judæis quidem Christo nomen dederant, ex parte tamen errorem Sadducæismi de negata resurrectione mortuorum retinuerant, aut resorbuerant.

v. 29. *Alioqui quid facient, qui baptizantur super mortuos, si omnino mortui non suscitantur.* Ad quæ verba BRAUNIUS c. l. p. 65. seq. hæc non in-scite observat. *Super mortuos baptizari solebant Judæi, non gentiles, ut istud argumentum neminem tangere potuerit, præter Judæos. Solebant scilicet Judæi mortuos, immo & se ipsos, lavare, quando mortuum tetigerant, & hoc quidem ex lege. Num. XIX, 11, 12, 13. Lavabantur autem in signum lotionis spiritualis per sanguinem Christi. Cum sanctus in corpore & in anima per Christum fuerit redemptus, in corpore etiam non minus, quam in anima debebat esse purus & sanctus. I Cor. VI, 20. Ut igitur anima lavabatur interior per sanguinem Jesu Christi, ita & corpus purificabatur per lotionem externam, ut scirent, se in anima & corpore sanctos & puros coram Deo apparituros, etiam post mortem. Hoc modo igitur profitebantur resurrectionem mortuorum. Si autem nulla esset resurrectio, tota ista lotio esset vana, sine effectu. Cum igitur ista lotio in memoriam ejus quod homo in corpore & anima sanctus & impollutus sit resurrecturus, obtinuerit apud Judæos, etiam ex lege Dei, illi necessario concedere debebant resurrectionem. Videtur iste ritus nondum prorsus abolitus inter Judæos ad Christum conversos.*

X. LOCA DIFFICILIORA.

Cap. II, 11. de spiritu hominis rerum humanarum scrutatore.

III, 15. de salute, tanquam per ignem.

- - 21, 22. de proprietate, seu peculio & possessione fidelium universali.

IV, 3, 4. de judicio divino ac humano.

- - 8. de regno, seu regnandi cupiditate.

- - 10. de paradoxis Pauli & Corinthiorum.

V, 3, 4, 5. de traditione in potestatem satanæ.

Cap. VII,

VII, 6. de sententia & præcepto Pauli.

Huc ref. v. 10. 12. 25. 40. conf. c. XIV, 37.

- - 14. de sanctificatione alterius partis & liberorum conjugali.

- - 32-34. de cura Domini, seu animæ & conjugis.

VIII, 3. de caritate, veræ cognitionis caractere.

IX, 5. de fœmina sorore circumducenda.

- - 6. de potestate cessandi a labore: ubi quidem difficultas in sola tantum versione est.

- - 6. de cura bonum & hominum in lege.

X, 2. de baptismo in Mosen.

XI, 10. de potestate mulierum, seu capitis operimento.

- - 19. de necessitate schismatum.

- - 21. 22. de ἀραξία in usu agaparum & sacre cœnæ.

XIII, 12. de usu speculi ænigmatici,

XIV, 15. de modo præcandi & canendi in spiritu & mente.

XV, 24. 28. de traditione regni & subiectione Christi.

- 29. de baptismo super mortuis.

- - 52. de ultima tuba.

Not. Declarationem hujus epistolæ historicam vide supra Sect. II.

c. III. §. XXVIII--XXXVII. Cap. IV. §. VIII. IX.

XI. PARTITIO, seu ANALYSIS. Hæc pro diversitate occasionis & scopi multiplicis hic multas habet partes, quarum præcipuæ sunt sequentes:

I. EXORDIUM, quod post *inscriptionem & salutationem* c. l. v. 1. 2. 3. est *eucharisticum* erga Deum, pro conversione Corinthiorum ditante, seu divitiarum spiritualium fœcunda v. 4--7. subjuncta spe de ipsorum perseverantia, e fidelissimi Dei gratia derivanda. v. 8. 9.

II. STUDIUM UNITATIS ET CONCORDIÆ, IN INJUNCTA SCHISMATUM AC DISSENSIONUM FUGA COMMENDATUM. c. l. II. III. IV. ubi

1. *Schismatis commemoratio.* c. l. v. II. 12.

2. *Exprobratio:* ubi Paulus ostendit ejus indignitatem cum in se v. 13. tum ratione sui muneris, quod ad schisma nullam occasionem, nedum causam suppeditaverit v. 14. 15. 16. Hic occasione commemorati muneris sui deinceps tractat materiam, scopo de studio unitatis & simplicitatis accommodatissimam, scilicet de qualitate præconii evangelici quia Corinthii abutebantur donis eximiis, tam suis, quam doctorum suorum.

Cc

3. Gensel-

3. *Genuina indoles*, seu methodus *praconii evangelici*, posita in simplicitate sermonis, v. 17. quam Paulus declarat probatque ab indole doctrinae de cruce Christi, quae
- a. *Haec seculo corrupto stolidi & adversa*. id quod
Proponitur v. 18. conf. v. 21.
Declaratur, & quidem
 Scripturae dictis v. 19. 20.
 Judaeorum & Graecorum exemplo v. 22. 23.
- b. *Credientibus sapientissima & efficacissima*. Id quod
Proponitur v. 24. 25.
Declaratur exemplo Corinthiorum, v. 26--28.
Comprobatur a scopo divinae gloriae, eo directo, ut Christus nobis sit omnia v. 29--fin.
- c. *A Paulo convenienter observata*. c. II. ubi mysterium crucis, tanquam sapientia vera, describitur, respectu
Oppositi, quod est sapientia humana, lenocinia & pompam verborum amans v. 1.
Centri & nuclei, qui Christus cruci affixus. v. 2.
Methodi, qua mysterium Christi fuerit propositum, demonstratio spiritus & potentiae in infirmitate proponentis. v. 3. 4. 5.
Indolis & praestantiae, sapientibus hujus seculi ignotae. v. 6--9.
Principii, unde innotescat, revelatio & donum Spiritus Sancti. v. 10--12.
Modi, quo dijudicandum hoc mysterium, qui supernaturalis, homini naturali negatus. v. 13--fin.
4. *Uberior schismatis exprobratio*. c. III. Ubi
Ipsa exprobratio, cum objecto indolis carnalis vitio. v. 1--4.
Exprobrationis ratio, desumpta
Ab aequalitate docentium ministeriali: id quod
Proponitur v. 5.
Illustratur imagine ab horticultura & agricultura, nec non ab architectura, desumpta. v. 6--9. quam posteriorem imaginem Paulus uberius prosequitur. v. 10. seqq.
A fidei fundamento, quod non nisi unicum:
 p. *ujus describitur*
 s. *ositio solida*. v. 10. 11.
 u. *perstructio diversa*. v. 12-15.
A dignitate fidelium: secundum quam

SUNT

Sunt templum Dei, nullo modo profanandum. v. 16. 17. sed doξoro.

Quas abnegatione ornandum v. 18. 19. 20.

Habent omnia in potestate, seu in ministerio suo. v. 21. fin.

5. *Uberior informatio de munere apostolico c. IV. ubi muneris apostolici & ministerialis*

Proprietas oeconomica in fidelitate; quæ

Proponitur. v. 1. 2.

Defenditur adversus judicia sinistra, cum dehortatione ac provocatione ad iudicium divinum. v. 3. 6.

Declaratur, reprehenso quorundam fastu v. 6. 7. 8.

Adjuncta calamitas varia, quæ ex parte cum inserta Corinthiorum correptione describitur. v. 9. 13.

6. *Affectus apostolici, immo paterni, significatio: ubi*

Admonitio paterna v. 14. 15. 16.

Missio Timothei v. 17.

Promissio adventus, inflatis ingrata. v. 18. fin.

III. REMOTIO SCANDALI PER INCESTUM DATI. c. V. ubi

Ipsum incestus scandalum, cum Corinthiorum correptione commemoratum v. 1. 2.

Ejus remotio

Facta ab ipso apostolo per traditionem in potestatem satanæ v. 3. 4. 5.

Injuncta Corinthiis per fermenti expurgationem, cum commendatione oppositi. v. 6. 7. 8.

Remotionis istius adjunctum in fuga consortii cum fratribus falso sic dictis. v. 9. fin.

IV. FUGA LITIIUM & LIBIDINUM. c. VI.

LITIIUM FORENSIUM: ubi eas prohibet argumentis ductis

a sorte iudicium indigna. v. 1. 4.

a dignitate fidelium, qui mundum & angelos sint iudicaturi. v. 2. 3.

a rei indignitate, fideles dedecente. v. 5. 8.

LIBIDINUM, quæ una cum aliis sceleribus prohibentur, ductis argumentis

a jactura regni Dei, quam inducant. v. 9. 10.

a statu Corinthiorum per christianismum mutato. v. 11. 12.

ab abusu libertatis, & a peculio Domini nos resuscitaturi. v. 13. 14.

a fœditate summa, summæ christianorum dignitati, quam in communione cum Christo habeant, opposita. v. 15. 18.

a dignitate christianorum, respectu

Spiritus S. inhabitationis. v. 19.

Christi redemptionis, consecrationem postulantis. v. 20.

V. CONSILIA CONJUGUM & ἀγάμων. c. VII.

CONJUGUM, ubi præmissa mentione de utilitate cœlibatus v. 1. describitur conjugii

Necessitas ad evitandam scortationem. v. 2. conf. v. 9.

Officium benevolentia debitum in cohabitatione & pietate. v. 3-6.

Vinculum indissolubile. v. 10-16.

Adjunctum, christianorum libertas in externo vitæ genere, per gratiam sanctificando. v. 17-24.

ἀγάμων, & quidem præcipue

Virginum & celibum, ostensa conjugii libertate cum ejus incommodis. v. 25-28. 32-38. inserta materia de rerum omnium abnegatione ad sanctam indifferentiam necessaria. v. 29-31.

Viduarum: ubi votorum secundorum libertas v. 39, & viduitatis prærogativa. v. 40.

VI. LIBERTATIS USUS IN IDOLOTHYTIS per caritatem moderandus & ad mutuam ædificationem dirigendus. c. VIII. IX. X. id quod

Proponitur per informationem de natura seu indole

Caritatis, scientiæ instanti oppositæ c. VIII, 1-3.

Idolorum, in oppositione veri Dei. v. 4-6.

Idolothytorum pro diverso statu conscientiæ v. 7. 8. ubi infirmis parcendum est v. 9. 10. argumentis a morte Christi vicaria & a scandalo ductis v. 11-fin.

Illustratur exemplo ipsius Pauli. c. IX. qui ostendit

Suam libertatem, quæ munere apostolico nixa v. 1. 2. 3. ipsi data fuit in cibo & potu promiscuo v. 4.

in conjugio v. 5.

in cessatione a labore manuario & in accipiendo stipendio: id quod

proponitur v. 6.

declaratur, & quidem

similitudinibus rei agrariæ & pecuariæ v. 7.

scriptura loco de bobus v. 8. 9. 10.

argumento ab equo v. 11.

exemplo sacerdotum & Levitarum v. 13. 14.

præcepto Christi v. 14.

Libertatis moderationem per caritatem: id quod

Proponitur ubi Paulus docet,

se a stipendio abstinuisse v. 12. 15-18.

se omnibus factum omnia v. 19-23.

Declara-

Declaratur illatione pædeutica ad strenuum christianismi decursum, sub imagine certaminum militarium descriptum v. 24. fin.

Declaratur exemplis Israelitarum veterum: c. X. ubi occurrit

Recensio exemplorum

in communi gratiæ & beneficiorum usu v. 1--4.

in multorum abusu & interitu v. 5.

Applicatio ad Corinthios cum uberiori exemplorum recensione v. 6--13.

Illatio ad fugam commercii idololatrici & moderatum libertatis usum in idolothytis: ubi

Monitum v. 14. 15.

Argumentum a communionem cum Deo in usu sacre cœnæ: id quod

Propōnitur v. 16. 17.

Illustratur exemplo altari Levitico ministrantium v. 18.

Amplificatur a contrario, a communionem cum diabolo in idolothytis v. 19 - 21

vindicatur a prætextu libertatis v. 21. 22.

Informatio de eo, quomodo infirmorum conscientia per caritatem consulendum v. 24--31. subjuncta adhortatione ad scandali evitacionem, v. 32. exemplo ipsius Pauli commendatam v. 33.

VII. EUTAXIA IN COETU PUBLICO. c. XI. ubi post præmissum imitationis & encomii præfamen v. 1. 2. inserta epanorthosi, commendatur *εὐταξία*

IN HABITU EXTERNO, speciatim capitis, respectu

Virorum: ubi

Monitum v. 4.

Argumentum a dignitate sexus v. 3. 7.

Mulierum: ubi

Monitum v. 5.

Argumentum ab indecoro & a conditione sexus v. 6. 8--15.

Adjunctum, monitum contentiosis oppositum v. 16.

IN USU SACRAE COENAE: de qua hic agitur

Epanorthotice, taxata *εὐταξία* v. 17--22.

Didascalice, repetitis verbis institutionis v. 23. 24. 25.

Pædeutice, commendato digno ejus usu & quidem respectu

Dignæ usurpationis v. 26. 27.

Sanctæ preparationis, ad declinanda Dei judicia necessaria v. 28--32.

Decentis ordinis externi v. 33. 34.

VIII. CHARISMATOLOGIA ET DECENS CHARISMATUM USUS.
c. XII, XIII, XIV. ubi

CHARISMATUM AUCTOR ET DIVERSITAS c. XII. hic
Præfamen de Dei cultu, idololatriæ opposito, cujus ornamentum charismata v. 1, 2, 3.

Recensio charismatum, ex eodem fonte, Spiritus Sancti operatione, derivatorum v. 4 - II.

Illustratio sub imagine corporis & membrorum: qua adumbratur

Unitas corporis mystici, 12, 13.

Varietas membrorum; & quidem

nobiliorum v. 14 -- 21.

ignobiliorum v. 22 -- 24.

Consensus varietatis in unitate, respectu aduersorum & prosperorum v. 25 - 27.

Applicatio ad diversa munera in ecclesia v. 28. fin.

CHARISMATUM MAGISTRA ET MODERATRIX, CARITAS, c. XIII, ubi demonstratur caritatis præstantia

A prærogativa, quam præ aliis donis, præcipue solitariis, habeat v. 1, 2, 3.

A proprietatibus, seu characteribus, multarum virtutum complexum, habentibus. v. 4 - 7.

A duratione, quam habeat præ charismatis aliis, immo præ fide & spe v. 8. fin.

CHARISMATUM USUS ET APPLICATIO c. XIV. ubi

Præstantia prophetia, seu doni hermeneutici: quæ

Describitur, facta comparatione cum dono linguarum v. 1 -- 6.

Illustratur imagine instrumentorum musicorum v. 7 - 11.

Applicatur ad Corinthios v. 12.

Semel, commendato scopo ædificationis per prophetiam obtinendo v. 13 - 19.

Iterum cum illatione de usu linguarum & prophetiæ v. 20 - 25.

Usus charismatum decens:

Generatim omnium ad scopum ædificationis v. 26.

Speciatim & quidem

Linguarum, adhibito interprete. v. 27, 28.

Prophetiæ, observato decenti ordine v. 29 - 33.

Personæ, quibus competat usus charismatum publicus, soli mares, exclusis fœminis: id quod

Proponitur, allegata lege de subiectione v. 34, 35.

Urge-

Urgetur, cum momentis aliis v. 36, 37, 38.

Concluditur commendata libertate & εὐταξία. v. 39, 40.

IX, DOGMA DE RESURRECTIONE MORTUORUM, c. XV. ubi resurrectionis ad vitam gloriæ

Fundamentum, evangelium de morte ac resurrectione Christi : quæ doctrina

Proponitur v. 1-4. Huc, ref. v. 11.

*Probat*ur testificatione αὐτόπτων :

Petri & reliquorum apostolorum v. 5.

Quingentorum discipulorum v. 6.

Jacobi & reliquorum apostolorum v. 7.

Pauli, qui omnium minimus & maximus. v. 8, 9, 10.

Amplificatur illatione ad resurrectionem fidelium : quæ

*Probat*ur per deductionem ad absurdum. v. 12-19.

Declaratur per comparationem Christi resuscitati cum Adamo

v. 20. - 22.

Illustratur κατ' ἀνθρώπων cum epanorthosi pædeutica. v. 29-34.

Ordo, respectu novissimorum, cum resurrectione conjunctorum, insequente regno Christi & Dei Patris. v. 23-28.

Modus : ubi quæstio, v. 35. proposita solvitur & explanatur

Comparatione & quidem

Seminum v. 36-38.

Animantium v. 39.

Corporum cœlestium 40, 41.

Applicatione, ad resurrectionem fidelium in comparatione corporum cum seminibus v. 42-44.

Adami primi & secundi v. 45-49.

Compellatione Corinthiorum eorumque informatione de corporum præsentium

Qualitate ad regnum Dei inepta. v. 50.

Transmutatione, cujus describitur

Universalitas v. 51.

Tempus, sonante ultima tuba v. 52.

Modus in induenda αφθαρσία. v. 53.

Adjunctum, complementum promissionum v. 54, 55, 56, 57.

Accedit conclusio totius materiæ pædeutica v. 58.

X. EX

X. EXTREMA EPISTOLÆ, c. XVI. ubi

Adhortatio ad colligendam stipem pro Hierosolymitanis v. 1-4.

Promissio adventus, qui

certus quidem v. 5, 6.

sed differendus v. 7, 8, 9.

Commendatio variorum, & quidem

Timothei v. 10, 11.

Apollo v. 12. insertis monitis pædeuticis v. 13, 14.

Domus Stephanæ v. 15, 16.

Fortunati & Achaici v. 17, 18.

Salutatio multiplex v. 19 - 21.

Epiphonema fulminans v. 22.

Votum duplex v. 23, 24.

MEMBRUM IV.

De

EPISTOLA ad GALATAS.

I. **E**CCLESIA, ad quam scripta est epistola. Hæc non est particularis, seu unius loci, sed integræ regionis, Galatiæ, ubi Paulus passim Christo ecclesias collegerat, & quidem in illa expeditione, quam anno Christi LI. post concilium Hierosolymitanum cum Sila per Asiam & Græciam fecerat Act. XVI, 6. Eisdem anno LIV. rigaverat, Antiochia denuo profectus c. XVIII, 23. XIX, 1.

II. **LOCUS:** *Ephesus*, cum ibidem Paulus tribus degeret annis, priusquam inde in Macedoniam discederet. Vide supra Part. I. Sect. II. cap. IV. §. X.

III. **TEMPUS.** Hoc certo determinari nequit, cum non constet, quo triennii Ephesini anno hæc epistola scripta sit. Quod si eam ad tertium referas, missa est anno

a plantatione ecclesiæ, sexto

a munere apostolico, vigesimo secundo

a Christo nato, quinquagesimo septimo, qui erat Neronis tertius. Vide supra sub finem Part. I. tabulam chronologicam.

IV. **OCCASIO & CAUSSA:** quæ fuit triplex, sed notionis subordinatæ: *Prima*, Galatarum inconstantia & defectio a Christo ad Mosen; notata c. I, 6. seqq. III, 1, 2. IV, 10, 11, 19. V, 1, 2, 3, 4, 7.

Secunda, pseudodidascalorum Mosaicorum versutia & corruptelæ, notata c. I, 7-9. III, 1. IV, 17. V, 8-12. VI, 12. 13.

Tertia,

Tertia, vitæ corruptelæ, quæ una cum falsa doctrina irreperunt, aut quæ, ne irreperent, Paulus metuebat. c. V, 13, 15, 26. VI, 3. 6. 7.

V. SCOPUS & ARGUMENTUM: Paulus Galatas lapsos erigit, & nutantes stabilit confirmatque in doctrina evangelica, præcipue in illa ejus parte, quæ agit de libertate christiana præpostero legis studio opposita, simul os obstruens pseudodidascalis. Nec intermittit ejus applicationem & praxin urgere in vitæ sanctimonia, evangelio digna.

VI. SEDES MATERIARUM PRÆCIPUÆ,

c. I, 1. de vocatione Pauli ἀπέσω. conf. v. 12. seqq.

- - 6. seqq. de veritate evangelii.
conf. c. II, 4. 5.

II, 16. seqq. de justificatione per fidem. Conf. c. III, 5. seqq. III, 22.
c. V, 5.

- - 20. de communione cum Christo.

III, 2, 10, 11, 12, 13, 17, 18, 19, 21, 23, 24, 25, c. IV, 3. de ministerio & usu legis.

- - 13, 14. de redemptione Christi. Conf. c. I, 4. II, 20, 21. c. IV, 5. 9, 10, 21. seqq.

- - 15. seqq. de indole & discrimine testamenti operum & gratiæ.
Conf. c. IV, 1. seqq. 24. seqq.

IV, 4, 5. de missione filii Dei ad opus redemptionis.

- - 5, 6, 7. de statu filiorum Dei ex gratia. conf. c. III, 26. IV, 28-31.

- - 19. de regeneratione iterata.

V, 1. seqq. de libertate evangelica. Huc refer v. 13. de usu & abusu libertatis.

- - 6. de fide efficaci per caritatem.

- - 16-18. de lucta carnis & spiritus.

- - 19-21. de operibus carnis. conf. c. VI, 7, 8.

- - 22. de fructibus spiritus.

- - 24, 25, 26. de charactere christianorum præcipuo.

VI, 1, 2. de correptione & ædificatione fraterna.

- - 6. de eucharistia auditorum erga doctores.

- - 9, 10. de beneficentia erga egentes.

- - 14. de communione crucis Christi. Conf. c. II, 20.

- - 15, 16. de nova creatura.

VII. LOCA EMPHATICA

c. I, 4. de scopo redemptionis Christi.

- - 8, 9. de anathemate in pseudodidascalos.

Dd

c. I, 15

- C. I, 15. de separatione seu preparatione Pauli inde ab utero matris
 - - 16. de revelatione Filii Dei in Paulo.
 II, 9. de columnis ecclesiae, Petro & Joanne.
 - - 14. de recto pede seu incessu evangelico.
 - - 16. de justificatione ex fide
 - - 17. de ministerio peccati, Christo non tribuendo.
 - - 20. de communione crucis Christi in vita fidei spirituali.
 III, 1. de fascino Galatarum & de Christo oculis praescripto.
 - - 8, 9. de benedictione spirituali Abrahamo promissa. Conf. v. 14, 16.
 - - 11. de vita fidei. conf. c. II, 20.
 - - 13. de redemptione Christi. conf. c. IV, 5.
 - - 16. de Abrahami feminae, Christo.
 - - 22. de conclusione omnium sub peccato.
 - - 24. de lege paedagogi ad Christum.
 - - 26, 27. de Christo per fidem in baptismo induto.
 - - 28. de eo quod omnes unus in Christo.
 IV, 6. de spiritu *ὑιοθεσίας*. v. 7. de illatione ab *ὑιοθεσία* ad hereditatem.
 - - 14. de Paulo sicut angelo & Christo suscepto: conf. v. 15.
 - - 19. de regeneratione ad Christum formandum.
 - - 20. de mutatione vocis coram facienda.
 - - 28. seqq. de filiis promissionis secundum Isaacum & liberam.
 V, 4. de relapsu e gratiae statu per studium legis praeposterum.
 - - 6. de fide per caritatem efficaci.
 - - 9. de modico fermento totam massam corrumpente.
 - - 12. de iudicio adversus turbatores pronuntiato.
 - - 13. de libertate carni non destinata,
 - - 14. de amore proximi.
 - - 16. de ambulatione in spiritu.
 - - 17. de lucta carnis & spiritus.
 - - 18. de immunitate a lege.
 - - 21. de praedicta exclusionem a regno Dei.
 - - 22. de fructibus spiritus, v. 23. de carne cruci affigenda.
 - - 25. de vita & ambulatione in spiritu. v. 26. de *κρηδοξίας* fuga.
 VI, 1. de restitutione lapsorum. v. 2. de impletione legis Christi.
 - - 3. de impostore sui ipsius. v. 6. de catechumenis.
 - - 7. de semente & messe
 - - 9. de domesticis fidei. v. 12, 14. de communione crucis Christi.
 - - 15. de nova creatura in Christo. v. 17. de stigmatibus Christi.

VIII, LO.

VIII. LOCA DIFFICILIORA.

- c. III, 12. de lege fidei experte & vitæ subsidio
 - - 13. de execrabili suspensio.
 - - 17. de chronologia Pauli.
 - - 19, 20. de ministerio veteris mediatoris.
 IV, 12. de indole Pauli & Galatarum mutua.
 - - 23. seqq. de differentia & indole duorum testamentorum.

IX. LOCA DE JUDÆIS AD JUDÆOS CONVERSOS.

Cap. III, 23. *Antequam venerat fides, eramus custoditi sub lege, conclusi ad futuram fidem, quæ erat revelanda.*

v. 24. *Lex erat noster (noster, ergo non de solo Paulo sermo est) pedagogus ad Christum.*

Cap. IV, 3. seqq. *Ita & nos cum essemus ἠθητικοί, sub tutoribus & curatoribus constituti &c. Vide etiam c. V, 1.*

Cum tota fere epistola istis doctrinæ evangelicæ corruptelis, quas illi pseudodidascalici judaici, aut judaizantes, moliebantur, opposita sit; non est dubium, ipsos Galatas conversos maxima ex parte fuisse Judæos, nec paucos inter ipsos exstitisse profelytos, si non natione, tamen religione antea Judæos. Et de his præcipue accipiendus est locus c. IV, 8, 9. *Cum Deum non cognovistis, serviistis iis, qui natura non sunt dii. Nunc autem cum cognoscatis, aut potius ab eo cogniti sitis, quomodo convertistis vos ad infirma & egena rudimenta, quibus iterum de novo serviatis.*

Not. *Momenta hujus epistolæ historica vide supra Sect. II. cap. III. §. IV. & cap. IV. §. I--X.*

X. PARTITIO & ANALYSIS. Hæc partes hic constituit duas, unam *Didascalico-elencticam*, alteram *Pædeuticam*.

PARS PRIOR
 DIDASCALICO-ELENCTICA,

ubi adseritur, vindicatur ac commendatur

I. VERITAS EVANGELII prædicati: quam (præmissa inscriptione & salutatione, & utraque ad scopum istum accommodata v. 1-4. subjunctaque *δοξολογία* v. 5.) Paulus adstruit

1. *Exprobratione defectionis, aut nutationis, per turbatores effectæ v. 6, 7.*
2. *Gravissimo anathemate in eosdem pronuntiato, v. 8, 9, subjuncta significatione scopi, evangelii præconio præfixi v. 10.*

Dd 2

3. *Osten-*

3. *Ostensa divinitate evangelii & vocationis sua*: quam Paulus
- a. Accepit ἀμείωτος ab ipso Christo, postquam ejus & ecclesiae hostis fuerat v. 11--16.
 - b. Executus est in Arabia & Damasci v. 17. nec non in Syria & Cilicia v. 21. Apostolis Hierosolymae inconsultis v. 17. quos tamen notitiae causa post triennium adiit v. 18. 19. 20. sed reliquis Judaeis in Palaestina adhuc parum innotuit v. 22-24.
4. RECENSIONE COLLOQUII CUM APOSTOLIS EVANGELII CAUSA HABITI;
c. II. ejus
- Locus ac tempus* v. 1. ubi simul fit mentio comitum.
Principium, revelatio, & scopus, evangelii causa conferre v. 2.
Effectus, veritas & libertas evangelii, declarata
Per libertatem praepotii, Tito concessam v. 3.
Per cessionem a veritate, falsis fratribus negatam v. 4. 5.
Per approbationem veritatis, ab apostolis factam v. 6-9. adjecta
conditione de cura pauperum v. 10.
5. NARRATIONE CORREPTIONIS, IN PETRO FACTAE: ubi scandalum in doctrina evangelica
- Datum a Petro* per dissimulationem libertatis evangelicae v. 11. 12. 13.
Sublatum a Paulo per correptionem publicam, qua opponitur & urgetur
- Exemplum ipsius Petri*, alias libertate inter gentiles usi v. 14. 15.
Modus justificationis, per fidem in Christum sine operibus legis obtinendae v. 16.
Absurdum triplex e refugio ad legem secuturum, & iniquum
In Christum, qui hac ratione non destructor, sed adjutor & minister peccati fieret v. 17.
In unum quemque apostolum & christianum: qui se ipsos transgressores facturi essent. Id quod
Proponitur v. 18.
Illustratur ab exemplo Pauli contrario v. 19. 20. 21.
- Not.** Certo definiti nequit, quo usque sermo Pauli ad Petrum Antiochia habitus hic continuetur. Non improbabile est, ad illum pertinere, quaecunque inde ab ejus initio, seu v. 14. usque ad capitis secundi finem sequuntur. Optime enim ad eum quadrant omnia. Et compellatio Galatarum, sub initium capitis tertii facta, cum demum hic abrumpere videtur. Saltem, quae Petro dicta erant, aut dici uberius poterant, Paulus hic etiam Galatis dicit accomodatisime.

II. DO-

II. DOCTRINA DE JUSTITIA EX EVANGELIO PER FIDEM IN
CHRISTUM SINE LEGE OBTINENDA. c. III. id quod probatur &
illustratur

1. *E veris christianismi initiis, non e lege, sed e gratia in spiritu laudabili-
ter factis, & non nisi indignissime desertis, aut in dubium vocatis.
Unde modus dicendi hic est epanorthoticus. v. 1-5.*
2. *Ex Abrahami exemplo: id quod proponitur cum applicatione exempli
ad regulam universalem, & quidem
Ratione fidei ipsius Abrahami v. 6. 7.
Ratione promissionum Abrahamo generatim etiam de aliis datarum,
& pariter fide obtinendarum v. 8. 9.*
3. *E natura legis, cujus proprium est maledicere. Id quod
Adfirmatur ex oraculo Moïsis. v. 10.
Confirmatur ex effato Chabacuci de justitia & vita fidei v. 11. non
obstante alio Moïsis oraculo de vita operibus promissa v. 12.*
4. *E redemptione Christi, quæ
Maledictionem tollit v. 13.
Benedictionem adfert v. 14.*
5. *E prerogativa fœderis gratia, præ fœdere operum: quam apostolus
Probat, ductis argumentis
A natura testamentorum humanorum v. 15.
A promulgatione seu promissione gratiæ testamentaria &
divina ante legem datam facta v. 16. 17.
Ab indole hæreditatis obtinendæ per promissionem haud ir-
ritam. v. 18.
Vindicat ab objectionibus de lege, eam nec inutilem esse v. 19.
20. nec promissioni per se adversam. v. 21. 22.*
6. *Ex officio legis pædagogico ad Christum: id quod
Proponitur, & quidem
Ratione vigoris & usus ante œconomiam fidei evangelicam
v. 23. 24.
Ratione termini & abrogationis, sub œconomia ista filiorum Dei
& hæredum sine discrimine & exceptione talium. v.
25 -- fin.
Illustratur sub imagine filiorum, qui sunt sub & sine tutela: ubi
Status τῶν υἱῶν sub tutela legis c. IV, 1. 2. 3.
Status adultorum & liberorum sine tutela legis, sub œcono-
mia gratiæ: cujus
Auctor, Christus ἑσαρκος v. 4.*

Modus constituendi, redemptio Christi. v. 5,

Fructus, vicioſitas auctorum & hæreditas, Spiritu Sancto obſignata v. 5. 6. 7.

Applicatur ad Galatas: ubi indicatur

Indignitas in reſerſione ad ſtatum τῶν νηπιῶν ſervilem v. 8 -- 10: quæ laborem omnem irritum reddat v. 11.

Affectus & labor Pauli in iis convertendis v. 12. 13. 14.

Affectus & beatitas Galatarum v. 14. 15. 16.

Pſeudodidascalorum zelus inſidioſus & noxius v. 17. 18.

Niſus apoſtoli paternus & maternus in Galatis denuo regenerandis v. 19. 20.

7. *E diverſo ſervitutis & libertatis, ad quam Galatæ pervenerint, ſtatu, adumbrato in familia Abrahami: ubi typus de ancillæ & liberæ filiis*

Allegatur e Geneſi v. 21--23.

Explicatur de duobus teſtamentis v. 24--27.

Applicatur ad fideles novi teſtamenti, ſpeciatiſim ad Galatas, & quidem reſpectu

Filii promiſſionis v. 28. 31.

Perſecutionis v. 29.

Hæreditatis, repudiatis Hagarenis, obtinendæ v. 30.

PARS POSTERIOR PAEDEUTICA

ubi commendatur

I. LIBERTAS CHRISTIANA, & quidem

1. *IN FIDE INTEGRÉ TUENDA c. V, l. id quod urgetur ductis argumentis*

A damno, ſeu jactura Chriſti, ſi ea negeſta circumciſio admittatur v. 2 3. 4.

Ab utili, ſi ſervetur, nimirum a juſtitia fidei, unice in Chriſto valentis v. 5. 6.

A decoro continuandi curſus priſtini, ſed indecore interrupti. v. 7. 8. 9. ſubjuncta fiducia mentione v. 10.

Ab exemplo ſuo v. 11.

Ab exitio turbatorum v. 10. 12.

2. *IN VITA SINE ABUSU RECTE APPLICANDA, & quidem per caritatem: id quod*

Inculcatur cum nova compellatione v. 13;

Proba-

Probatur e summa legis v. 14.

Illustratur a contrario v. 15. conf. v. 26.

II, VITA ET AMBULATIO SECUNDUM SPIRITUM, ubi ejus

1. *Principium, spiritus v. 16.*
2. *Modus & proprium in lucta spiritus adversus carnem victrici. v. 16. 17. conf. v. 24-26.*
3. *Privilegium, immunitas a lege. v. 18.*
4. *Contrarium in vita & ambulatione secundum carnem, cujus opera recensentur v. 19--21.*
5. *Characteres, in fructibus Spiritus v. 22. 23.*

III, OFFICIUM CARITATIS ERGA LAPROS: ubi

1. *Lapsi & stantes c. VI, 1.*
2. *Lapsorum erectio & erectionis modus. ibid.*
3. *Erigentium cautela ibid. & v. 3. 4. 5.*
4. *Erigendi praestantia in impletione legis Christi v. 2.*

IV. MONITA VARIA

1. *De eucharistia catechumenorum erga doctores suos v. 6.*
2. *De messe sementi conveniente v. 7. 8.*
3. *De beneficentia erga egentes, praecipue fidei domesticos. v. 9. 10.*

CONCLUSIO

ubi Apostolus commemorat.

1. *Suum affectum, ipsa scriptione declaratum. v. 12.*
2. *Pseudodidascalorum circumcisionem urgentium perversitatem, quæ
Indicatur ratione postulatae circumcisionis v. 12. 13.
Refutatur exemplo Pauli, pro circumcisione crucifixione in ordine novæ
creaturæ usi. v. 15. id quod
Proponitur v. 14. 15.
Applicatur ad alios v. 16.*
3. *Molestiæ amplioris deprecatio v. 17.*
4. *Votum, seu apprecatio gratiæ v. 18.*

MEMBRUM V.

De

EPISTOLA POSTERIORE AD CORINTHIOS.

1. **L**OCUS scriptionis. Macedonia, speciatim *Philippi*, uti videtur, cum Paulus post triennium suum Ephesinum eo concessisset. Vide supra Part. I. Sect. II. cap. IV. §. XIII, II, TEM-

II. TEMPUS scriptæ epistolæ: annus primus a scripta epistola priore, ita ut vix annus integer intercesserit. 2 Cor. VIII, 10. IX, 2. Priorem enim apostolus scripsit Ephesi paulo post initia anni tertii ibidem transacti, prius quam inde discederet in Macedoniam: ubi non diu substitit, & hanc epistolam scripsit, eamque, in Achajam iturus, per Titum præmisit. Vide supra Part. I. loc. cit. item §. XIV. XV. ubi variæ exhibentur observationes, quæ ex hac temporis consideratione ipsi epistolæ permultum lucis adferunt.

III. OCCASIO & CAUSSA. Hæc fuit quadruplex:

1. *Promissio adventus*, sed impediti & dilati. Paulus enim promiserat, se Epheso Corinthum esse venturum, & Corintho in Macedoniam profecturum: sed mutato ob certas rationes consilio prius profectus erat in Macedoniam. c. I, 15. seqq. v. 23. c. II, 1. 2.
2. *Impudentia pseudapostolorum*, qui, læsa Pauli fama & auctoritate, ecclesiam Corinthiorum turbabant, & inter alia dilatum Pauli adventum sinistre interpretabantur. c. I, 17. & qui sibi Corinthios fecerant obnoxios c. XI, v. 19. seqq.
3. *Corinthiorum*, quotquot ἀτακτοὶ fuerant, *resipiscentia*, per priorem epistolam intenta & effecta: quam Paulo Titus narraverat. c. VII. Non vero omnes ac singulos ad frugem rediisse, liquet ex c. XIII, 1. seq. Unde nova emergebat scribendi causa Conf. c. XII, 20. 21. XIII, 10.
4. *Negotium stipis colligende*: id quod Paulus jam tum epistola priori Corinthiis commendaverat. 1 Cor. XVI, 1. 2 Cor. IX. IX.

IV. SCOPUS & ARGUMENTUM: Paulus, pro ratione causarum ad scribendum impellentium, dilati adventus sui causam exponit, & Corinthios per epistolam priorem afflictos, at nunc emendatos, tenerrimo affectu erigit, & currentibus nova calcaria subdit, illis, quorum emendatio adhuc desiderabatur, simul graviter notatis. Speciatim iis commendat collectionem stipis, Tito, epistolæ latori, commissam. De cetero in retundendis pseudapostolis operose est occupatus. Et varium hoc argumentum in tractatione tantam habet verborum ac locutionum *δεινότητιν*, ut epistola hæc stili gravitate, ponderibus ac emphasio reliquis omnibus antecellat, certe nulli cedat, & lectoris attentæ meditationem non parum suspensam teneat. sancta admiratione dignissima.

V. SEDES MATERIARUM PRAECIPUAE:

- C. I, 3. seqq. de afflictione & divina consolatione, qua illa fit tolerabilis & levis.
 -- 13. seqq. de sinceritate conscientiae & totius vitæ.

C. I,

C. I, 20. de promissionum evangelicarum veritate & obfignatione in animis fidelium.

III, 2. seqq. de efficacia & gloria spirituali ministerii evangelici, & oeconomiæ novi fœderis. conf. c. IV, 3. 6.

IV, 7. seqq. item v. 16. 17. 18. de mysterio regni crucis.

V, 1. seqq. de desiderio patriæ cœlestis.

-- 14. de tribunali Christi.

-- 15. seqq. de mysterio redemptionis Christi.

VI, 1. 2. de digno gratiæ usu.

-- 4. seqq. de afflictionibus & indole fervorum Dei.

-- 14. seqq. de *ἑρεσούγυια* in communionem cum Deo haud tolerabili.

VII, 1. de renovatione, ejusque continuatione.

-- 7. seqq. de pœnitentia stantium & de zelo adversus impietatem & scandala.

VIII IX. de beneficentia erga egentes fratres speciatim c. VIII, 2. seqq. de fidelitate in administratione ærarii ecclesiastici, pauperum usibus destinati.

X, 3. seqq. de armis ministrorum Dei spiritualibus.

-- 7. seqq. de defensione causæ justæ adversus obtrectatores, in negotio evangelii.

XI, 1. seqq. de eadem materia: speciatim v. 2. 3. de connubio mystico fidelium cum Christo, tanquam scopo ministerii evangelici v. 13. seqq. de pseudodidascalis, sub justitiæ & lucis specie fallentibus. v. 23. seqq. de afflictionibus fidelium Dei fervorum.

XII, 1. seqq. de ecstasi & raptu Pauli.

XIII, 5. de exploratione nostri.

VII. LOCA EMPHATICA.

C. I, 3. 4. 5. 6. 7. de consolatione in afflictionibus.

-- 8. de magnitudine afflictionum.

-- 10. de liberatione præterita, præsentis & futura.

-- 12. de sincera vitæ simplicitate.

-- 17. 18. 19. de proprietate verborum Pauli affirmativa & negativa.

-- 20. 22. de veritate interiorum regni Dei.

-- 23. de sancta asseveratione Pauli.

II, 4. de affectu Pauli.

-- 12. de ostio evangelii aperto.

-- 14. 15. 16. de fragrantia evangelii.

-- 17. de cauponatione verbi divini & de sinceritate præconii, ei opposita, Conf. c. IV, 2.

Ee

C. III,

- C. III, 2. 3. de viva Pauli epistola in Corinthiis.
 -- 6. de littera occidente & spiritu vivificante.
 -- 7. seqq. de gloria evangelii.
 -- 13. seq. de velamine Mosis.
 -- 17. de libertate, Spiritus fructu.
 -- 18. de gloria Domini resecta facie recipienda.
 IV, 4. de evangelio gloriae Christi.
 -- 6. de luce e tenebris & gloria Dei in facie Christi.
 -- 7. de thesauris vasorum testaceorum.
 -- 8-12. de paradoxis Pauli evangelicis.
 -- 13. de spiritu fidei, eloquii magistro.
 -- 16. de diversa indole externi & interni hominis.
 -- 17. de levitate afflictionum & gravitate gloriae.
 -- 18. de differentia visibilium & invisibilium.
 V, 1. 2. de domicilio terrestri & caelesti.
 -- 2, 4. de veste exuenda & superinduenda.
 -- 5. de sigillo spiritus.
 -- 6. de peregrinatione a Domino. Conf. v. 8. 9.
 -- 7. de vita fidei & visionis.
 -- 11. de persuasione auditorum.
 -- 13. de excessu & moderatione zeli.
 -- 14. de constringente Dei caritate.
 -- 15. de valore & scopo mortis Christi.
 -- 16. de notitia Christi secundum carnem.
 -- 17. de nova creatura in Christo.
 -- 18. 16. de reconciliatione cum Deo.
 -- 20. de Deo per apostolos adhortante.
 -- 21. de peccato & justitia respectu Christi & nostri.
 VI, 1. de gratia Dei non frustra recipienda.
 -- 7. de armis justitiae a dextra & sinistra; & insequentibus de paradoxis evangelicis.
 -- 14. de heterozygia vitanda.
 -- 16. de fidelibus, tanquam templis Dei vivis.
 VII, 1. de purgatione a pollutionibus carnis & spiritus.
 -- 4. de latitia in afflictionibus.
 -- 10. de tristitia secundum DEum.
 VIII, 2. de profunda paupertate in beneficentiam exuberante.
 -- 9. de paupertate Christi ditante.
 IX, 7. de datore hilari.

C. IX,

C. IX, 9. de germine justitiæ.

X, 4. 5. de armis justitiæ ad sinistram & dextram.

ibid. de ratione sub obsequium Christi redigenda.

-- 12. de falsa mensura in dijudicatione sui.

XI, 1. 2. de zelo divino pro servanda connubii mystici integritate.

-- 2. de versutia serpentis, & de simplicitate in Christum directa,

-- 13. 14. 15. de indole pseudapostolorum,

-- 23. de prærogativa Pauli calamitosa.

-- 29. de gloriatione infirmitatis. Conf. c. XII, 5, 9. 10.

XII, 9. de gratia Dei in infirmitate.

-- 14. de studio Pauli quæstus experti.

XIII, 4. de potentia Christi & Pauli in infirmitate.

-- 5. de exploratione nostri.

-- 11. de monitis Pauli ultimis.

-- 13. votum ultimum in nomine sacre sanctæ Trinitatis.

II. LOCA DE RE JUDAICA AD JUDAEOS:

Cap. III, 6. fin. de differentia veteris ac novi testamenti: qua demonstratione judaizantes ab inconsulto suo zelo efficacissime poterant avocari. Conf. c. IV, 3. 4.

Cap. V, 15. *Ab hoc tempore neminem agnoscimus (pro genuino) secundum carnem (secundum legem carnalem, in ceremoniis umbratilibus positam Hebr. VII, 16. c. IX, 10.) Si vero etiam Christum agnovimus secundum carnem (cerimoniis adumbratum & adhuc exhibendum) tamen nunc non amplius agnoscimus. Huc pertinet v. 17. Si quis est in Christo, nova est creatura (Deum in spiritu & veritate colens, non vero externis præceptis de puritate & impuritate carnali, seu externa & typica.) Vetera (umbræ legis ceremonialis) præterierunt, ecce nova facta sunt omnia (novam creaturam exigentia & decentia.)*

Cap. XI. Hic Paulus apologia sua defungitur adversus pseudodidascalos e gente Judaica. Vide imprimis v. 18. & 23.

III. LOCA DIFFICILIORA:

C. V, 16. de Christo secundum carnem haud agnito.

VI, 12. de angustia Pauli in Corinthiis, & Corinthiorum in Paulo: ubi LUTHERI versio est emendanda.

VIII, 10. de voluntate ejus effectui prælata.

X, 13. de mensura canonis in munere apostolico.

XI, 17. 18. 21. 23. de stultitia gloriationis secundum carnem. Conf. c. XII, 5-21.

C. XI, 23. seqq. de serie calamitatum & afflictionum Pauli ex Actis eruenda & cum iis conferenda. Id quod præstitum vide supra Part. I. Sect. II. c. IV. §. XV. p. 122. seqq.

XII, 2. seqq. de raptu & ecstasi Pauli.

-- 7. de palo carnis & angelo satanæ affligente.

-- 16. de dolo Pauli, sed falso credito.

XIII, 7. de Paulo sicut minus idoneo.

Not. Huc pertinent nonnullæ locutiones e classe præcedenti, nec non variæ difficultates, seu obscuritates, quas connexio passim habere videtur.

Not. *Momenta* hujus epistolæ *historica* declarata vide Sect. II. cap. IV. §. XIII. XIV. XV. confer historiam epistolæ prioris.

X. PARTITIO & ANALYSIS. Hæc in hac epistola est aliquanto difficilius, præcipue in septem prioribus capitibus, quæ multas habent digressiones, ad rem tamen ipsam omnino pertinentes. Possunt vero non incommode in his capitibus omnia referri ad tres partes; quarum prima est *paracletica* c. I, II, 1. - 11. VII. secunda *didascalica* c. III. - V. tertia prædeutica c. VI. VII, 1. quibus tribus partibus accedunt tres reliquæ sequentium capitum: ita ut quarta sit *paranetica* de collectione stypis c. VIII. IX. quinta *apologetica*, pseudapostolorum cavillationi opposita, c. X. XI. XII. sexta continet *conclusionem* c. XIII.

PARS PRIMA PARACLETICA, qua Paulus Corinthios, priori epistola castigatos & emendatos erigit, & semet ipsum in afflictionibus consolatur. c. I. II. VII. ubi post inscriptionem & salutationem c. I, 1. 2. est

Exordium amore ac consolatione plenum v. 3-14. ubi solatii.

Auctor in Paulo afflicto Deus, consolationem afflictioni attemperans v. 3-5.

Applicatio ad Corinthios castigatos v. 6. 7.

Casus in Achaja, & hic in ipso mortis discrimine v. 8. 9.

Modus, positus in liberatione omnium temporum, etiam Corinthiorum precibus promovenda v. 10. 11.

Adjunctum, mentis, muneris ac totius vitæ simplicitas ac sinceritas in Paulo v. 12-14.

Excusatio dilati adventus v. 15--fin. c. II, 1-5, ubi

Promissio adventus v. 15. 16.

Dilationis causa: ubi

Falsa diluitur argumento ducto ab indole & efficacia ministerii verissima, in ipsis Corinthiis declarata v. 17-22.

Vera

Vera exponitur, facta simul prioris & epanorthoticæ epistolæ mentione.

Commendatio v. 23, 24. c. II, 1-4. Incestuosi, nunc per adhibitam censuram emendati, ideoque in communionem recipiendi v. 5-11. ubi Recipiendus, qui tristitiæ multæ fuit auctor, sed sufficienter castigatus est v. 5, 6.

Receptio: ejus

Modus v. 7, 8.

Extensio, seu adjunctum, venia Pauli, qui per priorem epistolam aliquod obsequii experimentum quæsit. v. 9, 10.

Argumentum, ab insidiis satanæ desumptum v. 11.

Affectus caritatis & letitiæ, e Corinthiorum emendatione conceptæ, significatio. c. VII. ubi

Pauli, erga Corinthios sincere affecti, afflictio v. 2-5.

Ejusdem consolatio, ex adventu & relatione Titi percepta. v. 6, 7. item v. 4.

Scopus & effectus epistolæ prioris, redundans

In Corinthiorum emendationem v. 8--12.

In Pauli & Titi recreationem v. 13. fin.

PARS SECUNDA DIDASCALICA de munere Pauli apostolico c. II, 12. fin. III, IV, V. ejus

Terminus respectu Græciæ, Macedonia, in quam e Troade profectus est. c. II, 12, 13.

Effectus, bona fragrantia ad vitam v. 14-16.

Administratio sincera v. 17.

Fructus in Corinthiis conversis, qui quasi Dei epistola facti c. III, 1-3.

Efficacia omnis ex Deo v. 4, 5, 6.

Gloria, seu excellentia præ ministerio legis: quæ adseritur

Comparatione v. 7-11.

Applicatione ad Paulum & Corinthios v. 12, 17, 18.

Oppositione exempli Judæorum velamine obtektorum v. 13-16.

Administratio in prædicatione sincera & indefessa evangelii, ex revelatione accepti & clarissimi, at pereuntibus e sua culpa obscurati c. IV, 1-7.

Adjunctum varia calamitas cum oppositione solaminum & gloriæ: ubi

Calamitas varia v. 8-12.

Solamina efficacissima, desumpta

a Spiritu fidei animante v. 13.

a resurrectione futura v. 14.

E e 3

a fru-

a fructu in Corinthios inde redundante cum eucharistia in Deum v. 15.

ab effectu in renovatione v. 16.

a spe certa gloria æternæ, ac patriæ cœlestis: quam Paulus proponit, seu exprimit v. 17, 18.

declarat locutionibus a domicilio, indumento & a peregrinatione desumptis c. V, 1-9. subjuncta mentione extremi judicii v. 10.

Incitamentum ardoris & fidelitatis, ab amore Christi desumptum v. 11-14.

Nucleus & centrum, Christus, nostra propitiatio & justitia, sed in ordine piæ consecrationis & novæ creaturæ applicandus. v. 15. - fin.

PARS TERTIA PÆDEUTICA c. VI, VII, 1. continens adhortationem ad dignum gratiæ usum in renovatione; ubi

Commendatur dignus gratiæ usus

Primum generatim adhibito argumento a tempore salutis c. V, 1, 2.

Deinde speciatim in evitacione scandali & tolerantia adverforum v. 3. - 10.

Prohibetur heterozygia; ubi

Compellatio prævia, affectu plenissima v. 11-13.

Dehortatio ipsa ab heterozygia, ductis argumentis a natura utriusque jugi & obsequii ἀσυστάτω, nec non a dignitate fidelium v. 14- fin.

Adhortatio ad continuandum renovationis studium c. VII, 1.

Not. reliqua capituli septimi sunt argumenti paracletici, ideoque jam tum relata ad partem epistolæ primam.

PARS QUARTA PARÆNETICA de collectione stipis in usum Hierosolymitanorum. c. VIII, IX. ubi

Collectio suasa variis argumentis

Ab exemplo Macedonum, largiter & promte dantium v. 1-6.

Ab opulentia Corinthiorum spirituali v. 7, 8.

A paupertate Christi ditante v. 9.

A dato promisso, & facto initio. v. 10-12.

Subjungitur occupatio objectionis v. 13-15. conf. c. IX, 2.

A divina remuneratione; verbis metaphoricis & propriis proposita. c. IX, v. 6-11.

Ab effectu celebrati a fidelibus nominis divini. v. 12.

Traditio & cura, Tito & Lucæ ac alii cuidam fratri, cum iisdem ad Corinthios præmisso, demandata. c. VIII, 16 fin. IX, 1-5. ubi

Curatores isti commendantur c. VIII. v. 16-19, 22-24.

Ratio.

Rationes curæ & cautionis indicantur: quæ sunt

Evitatio suspicionum & calumniarum v. 20, 21.

Preparatio ad collectionem c. IX, 1-5.

PARS QUINTA APOLOGETICA, pseudapostolis opposita. c. X, XI, XII. ubi occurrunt vindiciæ

Potestatis apostolica, positæ in armis spiritualibus c. X, 1-8.

Epistola prioris, criminatione depulsa v. 9, 10, 11.

Mensuræ apostolicæ, a Deo in munere per labores inter gentes concessæ v. 12. fin.

Zeli pro connubio Corinthiorum spirituali & integritate evangelii c. XI. v. 1-4.

Auctoritatis apostolicæ, quæ asseritur

Respectu ipsius apostoli, soluta objectione, facta ab ejus sermone & labore manuario v. 5.-11.

Respectu pseudapostolorum, quorum describitur

Indoles nativa, v. 12.-15. subjuncta excusatione impositæ gloriationis v. 16-19.

Injuria, Corinthiis illata v. 20.

Præstantia falso credita & in præjudicium Pauli jactata v. 21, 22.

Respectu perpeffionum plurimarum & gravissimarum, in quibus muneris apostolici character v. 23- fin.

Respectu visionum & revelationum: quarum indicatur

Species præcipua c. XII, 1-6.

Adjunctum calamitosum quod describitur

ut immissum ad elationis suppressionem v. 7.

ut frustra detrectatum, temperatum tamen per gratiæ testimonium v. 8, 9.

ut toleratum equo animo v. 10.

Sinceritatis apostolicæ, præmissa coactæ gloriationis mentione v. 11, 12. declaratæ.

Per ipsum Paulum in opere manuum v. 13-16.

Per alios, speciatim Titum v. 17, 18., 19, subjungitur monitum epanorthoticum adversus ἀμετανοήτας v. 20, 21. unde pendet conclusio, ad quam illud ipsum etiam non incommode referas.

CONCLUSIO epistolæ c. XIII. ubi occurrit

Denuntiatio censuræ gravioris adversus ἀμετανοήτας: ubi ejus

Norma, testimonium duorum, vel trium v. 1.

Objectum personale, ἀμετανοήτοι, & modus, severitas, v. 2.

Prin^o

- Principium*, potestas & auctoritas Christi in Paulo v. 3, 4.
Ahortatio & quidem
Ad explorationem sui ipsius v. 5, 6.
Ad officium quintuplex, subjuncto voto v. 11.
Dehortatio a malo v. 7, 8. conjuncta
Cum voto pro perfectione v. 9.
Cum significatione scopi, ad prævertendam severitatem intenti. v. 10.
Salutatio, activa & passiva v. 12. & votum v. 13.

MEMBRUM VI.

De

EPISTOLA AD ROMANOS.

- I. **E**CCLESIA, ad quam scripta est hæc epistola. Hæc una est ex primis, quæ inter gentes plantatæ sunt; utpote mox post primam novi testamenti pentecosten condita: & primum, uti probabile est, e solis Judæis constitit. Vide supra Sect. II. cap. IV. §. XVII - XXII.
- II. **LOCUS**: Corinthus, vide supra Sect. II. cap. IV. §. XVII.
- III. **TEMPUS** scriptionis: annus
a plantatione vigesimus tertius circiter.
a munere apostolico commisso vigesimus primus.
ante adventum Pauli priorem quartus.
a Christo nato quinquagesimus septimus, qui Neronis erat tertius.
- IV. **OCCASIO**: quæ triplex, præcipue:
 1. *Fama*, instar *ἰσχυρίας*, jam dudum de ecclesia Romana per orbem sparsa, & Paulum incendens ad eam visendam in itinere, in Hispaniam usque extendendo. c. I, 8. seqq. XV. 14.
 2. *Propositum Romanos invisendi*, jam dudum quidem conceptum, at sæpius impeditum. c. I, 13. XV, 22, 23, 24, 28, 29, 30, 32. Huc accedit profectio Phœbæ, ad Romanos evangelii causa suscepta, sine literis eo Corintho non dimittendæ c. XV, 1, 2.
 3. *Dissensiones* quædam inter Judæos ac gentiles ad Christum conversos in praxi libertatis christianæ c. XIV, XV, 1 - 13. Huc refer, quod nonnulli e gentilibus conversi Judæos ob rejectionem contemptim habuerint. c. XI, 18. seqq.
- V. **SCOPUS & ARGUMENTUM**: Paulus suo Romanos invisendi desiderio, ob impeditum adventum diutius suspensio, satisfacturus, ipsos in agnita

in agnita doctrina evangelica & religione christiana confirmat; & ita quidem, ut materiam ejus præcipuam de justificatione per fidem in Christum, cum innexis reliquis doctrinis, egregie declaret, cum in se, tum ratione fructuum & effectuum, in renovationis ordine conspicuorum. Præterea ostensis justificationis impedimentis, in gente Judaica deprehensis, at apud gentiles remotis, horum assumptionem, & istius rejectionem, futura tamen conversione terminandam, exponit, & tandem varia justificatorum officia, speciatim confirmatorum erga imbecilliores ex Judæis conversos, commendat, adventus promissione, variisque salutationibus, inter monita alia subjunctis.

VI. SEDES MATERIARUM PRÆCIPUÆ:

1. De persona Christi. c. I, 3, 4, 5.
2. De evangelio c. I, 16, 17. conf. c. XVI, 25, 26.
3. De lumine & notitia Dei naturali c. I, 19. seqq.
4. De divino judicio, quo peccatores peccatis puniuntur. *ibid.*
5. De judicio ultimo in peccatores proæreticos & hypocritas. c. II.
6. De differentia cultus externi, seu hypocritici & interni. c. II, 28, 29.
7. De corruptione humani generis naturali & universali. c. III, 9-19.
8. De justificatione peccatorum credentium c. III, 20. seqq. IV.
9. De fructibus justificationis proximis, seu justificatorum beneficiis ac privilegiis c. V, 1-11.
10. De comparatione destitutionis per Adamum & restitutionis per Christum. c. V, 12. fin.
12. De renovatione, tanquam fructu & effectu mortis ac resurrectionis Christi. c. VI.
13. De statu peccati naturali, c. VII.
14. De justificatorum beneficiis ac officiis in regimine Spiritus Sancti. c. VIII.
15. De justificationis impedimentis in *ἀπιστία* & studio justitiæ propriæ, & simul de judæorum rejectione & gentilium adsumptione c. IX, X.
16. De futura Judæorum conversione c. XI.
17. De justificatorum officiis c. XII, XIII. speciatim de officiis magistratus ac subditorum. c. XIII, 1-7.
18. De moderatione confirmatorum erga infirmiores, eorumque tolerantia c. XIV, XV, 1-13. & simul de vocatione gentilium.
19. De munere Pauli apostolico c. XV, 15. seqq.
20. De encomiis fidelium c. XVI. ubi etiam de corruptelis pseudodidascalorum v, 17, 18.

VII. LOCA EMPHATICA:

- c. I, 3, 4. de persona Christi.
 -- 5. de munere apostolico.
 -- 8. de fide Romanorum, Conf. c.
 -- 11, 12. de scopo adventus Pauli.
 -- 16. de efficacia Evangelii.
 -- 17. de justitia & vita fidei.
 -- 18. de veritate in injustitia detenta.
 -- 20. de visibili invisibilium repræsentatione.
 -- 22. de morosophia gentilium.
 -- 28. de mente reprobata.
 II, 4. de divitiis gratiæ ad pœnitentiam invitantibus.
 -- 5, 6. seq. de justo Dei judicio.
 -- 15. de lege cordibus inscripta.
 -- 17. seqq. de hypocrita Judæo.
 -- 28, 19. de indole veri & falsi Judæi.
 III, 4. de mendaci omnium hominum indole.
 -- 8. de judicii denuntiatione.
 -- 10. seqq. de statu hominum naturali.
 -- 19. de subjecto justificationis.
 -- 22. de justitia fidei.
 -- 23. de jactura gloriæ Dei.
 -- 24. seqq. de redemptione Christi, justitiæ fidei scaturigine.
 -- 31. de lege per fidem stabilienda.
 IV, 3. de justificatione Abrahami.
 -- 4, 5. de homine operante & non operante.
 -- 3, -- 10. de verbo *imputandi*. conf. c. IV, 12 · 24.
 -- 6. seqq. de beatitudine justificati.
 -- 11. de sigillo justitiæ fidei.
 -- 12. de vestigiis fidei Abrahami.
 -- 13. de hæreditate mundi, Abrahamo promissa.
 -- 17. de vocatione non entium.
 -- 18. de fide spei contra spem rationis.
 -- 19. seqq. de qualitate fidei Abrahami.
 -- 25. de resuscitatione Christi propter justificationem nostri facta.
 V, 1, 2, 3. de pace & aditu apud Deum & de certitudine gloriæ.
 -- 3, 4, 5. de nexu beneficiorum catenato.
 -- 5. de caritate Dei per Spiritum Sanctum in anima diffusa.
 -- 8. de caritate Dei per mortem Christi vicariam commendata, seu
 declarata. IO, II.

- 10, 11. de reconciliatione per Christum accepta.
 12. de peccato Adami universali, mortis universalis causa.
 -- 14. de Adamo, Christi typo.
 -- 17. de abundantia gratiæ. conf. v. 20.
 -- 19. de obedientia Christi.
 -- 20. de lege subintrante.
 VI, 2. de iis, qui peccato mortui sunt. conf. v. 11.
 -- 3. de baptismo in Christum & ejus mortem.
 -- 5. de Christi συμφοροις.
 -- 6. de veteri homine & corpore peccati cruci affigendo.
 -- 8. de iis, qui cum Christo moriuntur & vivunt.
 -- 11. de vita Deo debita.
 -- 12. de obsequio, concupiscentiæ non præstando.
 -- 13. de membris, tanquam armis justitiæ & injustitiæ. conf. v. 19.
 -- 14. de proprietate eorum, qui sub œconomia gratiæ vivunt.
 -- 17. de obsequio typo doctrinæ præstito.
 -- 21, 22. de fructu dispari sanctimoniam & impuritatis.
 -- 23. de morte peccati absonio.
 VII, 4. de Christo novo marito.
 -- 6. de vetustate litteræ & novitate Spiritus.
 -- 7. de non concupiscendo.
 -- 12. de sanctitate & spiritualitate legis. conf. v. 14.
 -- 13. de peccato peccante supra modum.
 -- 14. de venditione sub peccatum.
 -- 23. de lege membrorum captivante.
 VIII, 1. de iis, qui Christi sunt.
 -- 2. de lege spiritus vivificante.
 -- 5, 6, 7, 9. de affectu carnis & Spiritus conf. v. 13.
 -- 9. de inhabitante Spiritu Christi, resuscitationis ad gloriam causa.
 v. 11.
 -- 14. de proprietate filiorum Dei.
 -- 15, 16. de Spiritu *υιοθεσιας*.
 -- 17. de Christi cohæredibus.
 -- 19. seqq. de gemitu & liberatione creaturæ.
 -- 23. de primitiis Spiritus.
 -- 24. de beatitudine spei.
 -- 26. de spiritu precum succurrente.
 -- 28 - 30. de gradibus in ordine salutis.
 -- 31. seqq. de plerophoria fidei.

Ff 2

C. VIII,

- C.VIII,37. de fide abundantem vincendi facultatem habente.
 -- 39. de caritate Dei pasfiva.
 IX,1, seqq. de asseveratione, affectu & voto Pauli.
 -- 5. de duabus Christi naturis.
 -- 15. de proposito gratiæ non mutando.
 -- 16. de cursu supervacaneo & Dei miseratione.
 -- 22. 23. de tolerantia Dei erga vasa iræ, & de præparatione vasorum
 misericordiæ.
 -- 33. de lapide offensionis, fidei fundamento.
 X, 3. de subjectione fidei, justitiæ Dei negata.
 -- 11. de fide non confundente.
 -- 17. de fide ex auditu.
 -- 21. de manibus Dei expansis.
 XI,17. 18. seqq. de arbore & ejus ramis amputatis & infitis,
 -- 22. de severitate & benignitate Dei.
 -- 25. de plenitudine gentium introitura in ecclesiam.
 -- 26. de salvatione totius Israelis.
 -- 32. de ἀπορία hominum & misericordia Dei universali.
 -- 33. de divitiis sapientiæ & viarum Dei abditis.
 -- 36. de Deo, auctore, directore & scopo omnium rerum.
 XII,1. de victimis spiritualibus.
 -- 2. de negata conformatione & commendata transformatione men-
 tis, ad docimasiam necessaria.
 -- 9. seqq. de officiis christianismi aphoristice commendatis.
 XIII,4. de gladio magistratus vindice.
 -- 8. 10. de caritate legem implente.
 -- 11. seqq. de officio vocatorum ad gratiam evangelicam.
 XIV,7. 8. de vita & morte Christo dicata.
 -- 9. de scopo mortis & resurrectionis Christi.
 -- 10. 11. de divinitate & gloria Christi.
 -- 15. de objecto mortis Christi.
 -- 16. de thesauro criminationi non exponendo.
 -- 17. de partibus & indole regni Christi in homine.
 -- 20. de opere Dei non dissolvendo.
 -- 23. de fide actionum omnium magistra.
 XV,4. de scopo scripturarum.
 -- 8. de Christo circumcisionis ministro.
 -- 13. de voto Pauli.

C.XV,

C. XV, 16. de sacrificio gentilium spirituali muneris apostolici scopo,
Conf. v. 18.

-- 18. de Ἰσοπνευσία Pauli.

-- 30. de certamine precum ministro.

XVI, 4. de encomio Aquilæ & Priscillæ.

-- 18. de ministerio ventris & ejus instrumento, falsa eloquentia.

-- 19. de simplicitate ad malum.

-- 20. de satana sub pedibus conculcando.

-- 26. de obedientia fidei stabilienda conf. c. I, 5. VI, 17. X, 3. XV, 18.

VIII. LOCA DIFFICILIORA.

C. I, 4. de demonstrato filio Dei &c.

IV, 2. de hypothetica Abrahami justificatione ex operibus.

V, 12. seqq. de comparatione Adami & Christi,

VI, 7. de justificato a peccatis.

VII, 14. seqq. de statu peccati.

VIII, 3. de officio Christi.

-- 10. de diversa sorte corporis & spiritus.

-- 19. seqq. de gemitu & liberatione creaturæ.

IX. X. Pleraque horum capitum de impedimento justificationis apud
Judæos.

XI. de futura Judæorum conversione.

XIV, 5. 6. de diverso statu ad Christum conversorum, imbecilliorum ac
confirmatorum.

IX. LOCA DE JUDÆIS AD JUDÆOS CONVERSOS. Hæc in hac
epistola tam sunt manifesta & crebria, quam in nulla alia, si epistolam ad
ipsos Hebræos excipias. Romam Christi & Pauli tempore Judæis abun-
dasse, & multos ex iis ad Christum fuisse conversos, docet historia sacra
Luçæ Act. c. XXVIII. ita ut non opus hic sit loca ex epistola, utpote ipsa luce
clariora, in confirmationem allegare, & probare, epistolam hanc omnino
etiam ad conversos Judæos fuisse scriptam.

Cap. VIII, 15. 16. *Non accepistis Spiritum servitutis rursus ad metum, sed accepistis
Spiritum adoptionis, per quem clamanus: Abba Pater!* Hæc de Judæis dici,
fortasse non quilibet observat. Certe de gentilibus dici nequeunt.
Hi enim ante sui conversionem carebant isto metu & statu servili, ad
quem ne reciderent multi conversi, apostolus præcavere volebat. Ju-
dæis vero conveniunt optime. Etsi enim Spiritu gratiæ sub oecono-
mia veteri non destituebantur; is tamen eos adhuc tenebat sub jugo
cerimoniarum servili, plurimum metum, e reatu tum facile contrahen-
do, adjunctum habente. De nominibus personarum propriis, quo-

rum magnus est numerus c. XVI. hujus epistolæ, vid. CRAUNIUS Select. Sacr. L. I. C. III. p. 28. seqq. ubi recte ostendit, e nominibus Latinis & Græcis judicari non posse de nationibus, cum eo tempore Judæi etiam peregrina nomina usurpaverint. Immo multos eorum, qui nomine Latino, aut Græco, insigniuntur, Judæos fuisse, aliorum locorum collatio docet.

Not. Declarationem eorum, quæ ad *momenta* hujus epistolæ *historica* pertinent, vide supra Sect. II. Cap. IV. §. XVIII. - XXII.

X. ANALYSIS & PARTITIO. Cum materia princeps sit doctrina de *justificatione*, ad eam nexu catenato referri possunt reliqua omnia, ita ut duæ epistolæ partes constituentur: quarum prior est *didascalica* de justificatione in latiori sensu c. I, 16 - fin. -- XI. posterior *padentica* de justificationum officiis c. XII. XIII. XIV. XV, 1-13. Præmittitur *exordium* c. I, 1-15. & subjungitur *conclusio* c. XV, 14. - fin. XVI.

EXORDIUM: quo continetur

1. *Epistola inscriptio*: ubi

Persona scribens, Paulus, separatus ad evangelium Dei: v. 1. quod describitur

a promissione in scripturis facta v. 2.

ab objecto, seu nucleo & centro, Jesu Christo, descripto secundum naturam

humanam v. 3.

divinam, immo utramque v. 4.

a promulgatione in scopum fidei, a Christo demandata v. 5.

Ecclesia, cui scribitur, Romana v. 6. 7.

2. *Bimembris salutatio*, seu apprecatio v. 7.

3. *Affectus significatio*, declarata

Romanorum encomio erga Deum eucharistico. v. 8.

Sua, Pauli, recordatione jugi, hic indicata v. 9.

Desiderio ipsos videndi: id quod Paulus

exprimit, ratione scopi v. 10. 11. 12. & impedimenti. v. 13.

declarat, & quidem

ratione debiti officii v. 14. 15.

ratione scopi evangelici v. 16. 17. ubi simul propositio generalis totius epistolæ ponitur v. 16. & declaratur. v. 17.

PARS

PARS PRIOR

DIDASCALICA DE JUSTIFICATIONIS
SUBJECTO, MODO, EFFECTIBUS AC
IMPEDIMENTO.

I. SUBJECTUM JUSTIFICATIONIS, seu homo JUSTIFICANDUS: qui est homo gentilis & Judæus, a legis naturalis & revelatæ abusu ad pœnitentiam adigendus c. I, 18. fin. II. III, 1-20.

GENTILES, lumine naturæ in pœnam abusi: ubi

Lumen naturæ v. 19. 20. conf. v. 32. c. II, 14. 15.

Abusus in culpa acharistix, arrogantix, vanitatis & idololatriæ. v. 21. 22. 23. 25.

Pœna, traditio in peccata plura & fœdiora: quæ commiserunt

Adversus se, in horrenda libidine utriusque sexus v. 24. 26. 27.

cum adjuncto mentis reprobæ. v. 28.

Adversus alios homines v. 29 -- fin.

JUDÆI, qui

αὐτοκατάκριτοι, una cum gentilibus aliquanto honestius peccantibus.

ubi

Culpa in peccantium censura, sed cum peccandi consuetudine, spreta Dei bonitate, *ἀμεταμέτως* conjuncta. c. II, 1--5.

Pœna in attracto justo & severo Dei judicio: v. 5. 6. 8. 9. 10. cum opposito virtutis præmio v. 7. 10.

Rei, sub lege & sine lege scripta, a Deo judicandi v. 11-16.

κενόδοχοι, & quidem

Ob prærogativam legis, quam

Inaniter jactitant v. 17.

Fastuose & præpostere alios docent. v. 18-20.

Ipsi impie transgrediuntur, cum offensione gentilium v. 21-24.

Ob sacramentum circumcisionis, ubi dignitatis & meriti persuasio refellitur: hic

Propositio de circumcisionis utilitate & inutilitate v. 25.

Declaratio ab opposito, statu præputii meliori v. 26. 27.

Confirmatio in descripta veri Judæi indole secundum spiritua-
lem circumcisionem v. 28. 29.

ἔνδοχοι, ob aliquam prærogativam: quæ

Indicatur c. III, 1. 2.

Vindicatur, & quidem

Ab

Ab objectione adversus veritatem promissionum v. 3. 4.

Ab exceptione, quæ

formatur e verbis præcedentibus, de Deo peccatis non
injuste irascente v. 5.

probatur, seu exornatur v. 7. 8.

refutatur v. 6. & fin. 8.

Negatur, respectu habito ad justificationem coram judicio Dei v. 9.

UTRIQUE peccato obnoxii, ideoque eo agnito convertendi & sic justifican-
di. Id quod

Proponitur v. 9.

Probatur e Scripturæ oraculis v. 10-18.

Declaratur e scopo legis epanorthotico & elenctico, v. 19. 20. ubi
homo justificandus quam convenientissime describitur per
ὁπώδικον, cui os obstruitur. conf. v. 23.

M. MODUS JUSTIFICATIONIS c. III, 21.-fin. IV. ubi vera sententia

Proponitur de gratia & justitia Dei

Olim promissa v. 21.

Omnibus a Christo gratis parta v. 22-24.

Justitiæ Dei vindici accommodata v. 25, 26.

Declaratur & quidem

Solida illatione v. 27. 28.

Universali applicatione ad Judæos & reliquas gentes v. 29. 30. sub-
juncta objectionis solutione. v. 31.

Illustratur exemplo Abrahami c. IV. id quod

Proponitur, cum determinatione subjecti & modi justificationis
v. 1-5.

Comprobatur oraculo Davidis v. 6-8.

Applicatur ad Judæos ac gentiles: quæ applicatio

Proponitur pro diversa Abrahami conditione v. 9-12.

Confirmatur a natura legis & fidei aevangelii, cum illatione
ac subjuncta oraculi allegatione v. 13. 17.

Commendatur laudata fide Abrahami. v. 18.

Applicatur denuo ad omnes credentes cum declaratione fundamen-
ti v. 23 - fin.

HI. BENEFICIA JUSTIFICATORUM c. V. quæ sunt

Pax cum Deo v. 1.

Aditus ad & apud DEum v. 2.

Spes gloriæ futuræ, ibid.

Exhl.

Exultatio, seu parrhesia in afflictionibus: id quod

Proponitur v. 3.

Declaratur, nexu charismatum & officiorum catenato v. 3. 4. 5.

Gustus amoris divini, in animis diffusi v. 5.

Donatio Spiritus Sancti. ibid.

Certitudo salutis & futuræ gloriæ, resultans

Ex amore Dei erga nos, qui

Magnus erga nos reconciliandos v. 6--8.

Major & certior erga reconciliatos & justificados v. 9 - II.

Et comparatione Christi cum Adamo: ubi comparatorum

Paritas in propagatione contrariorum

Adami, respectu peccati & mortis v. 12. 13. 14.

Christi, respectu justitiæ & vitæ. v. 18. 19.

Disparitas, Christi gratia exuberante v. 15. 16. 17. Id quod sub finem capitis denuo declaratur v. 20. 21.

IV. OFFICIA JUSTIFICATORUM in renovatione, ejusque facilitate & difficultate, thetice proposita: c. VI. VII. ubi quatuor objectiones solvuntur, earumque occasione & nexu tota hæc materia tractatur.

Obiectio 1. Permanebimus in peccato? c. VI, I.

Solutio negativa, ubi negationis

Ratio, desumpta

a facta conversione, quæ peccati mors fuerit. v. 2.

a communione mortis, sepulturæ ac resurrectionis Christi, per baptismum accepta v. 3--5.

Ab efficacia mortis & resurrectionis istius ad renovationem: ibid. & v. 6--10.

Applicatio pædeutica v. 11. 13.

Obiectio 2. Anne a jugo legis liberatis sub gratia peccare licet? v. 15.

Solutio negans, negationis ratione desumpta

A natura obedientiæ novæ, quæ gratiæ, jam præstitæ: id quod

Proponitur v. 16. 17. 18.

Declaratur didascalico - pædeutice a diversa natura servitutis pristinæ miserrimæ, & novæ beatissimæ v. 19-- fin.

Ab immunitate a jugo legis: id quod

Proponitur sub figura matrimonii c. VII. v. 1--3.

Applicatur ad spirituale connubium Christi & fidelium, sanctimonia & novitate spiritus fœcundum v. 4. 6.

Illustratur ab opposito, seu ab indole mortifera connubii pristini cum lege. v. 5.

Gg

Obiectio

Obiectio 3. e tractatione antecedenti orta: Num lex, cujus connubium est mortiferum, ipsa est peccatum seu peccans? v. 7.

Solutio, ubi monstratur effectus legis

Bonus per se in detectione peccati. v. 7.

Malus per accidens, in irritatione peccati, e natura hominis orta. v. 8-11, subjuncta illatione de bonitate legis v. 12. Conf. v. 16.

Obiectio 4. ex antecedenti illatione nata: Ergone bonum mihi factum est mors? v. 13.

Solutio negans: ubi

Negationis ratio, desumpta a natura

Peccati per legem irritati. v. 13.

Hominis corruptissimi v. 14.

Rationis digressio ad descriptionem status hominis sub lege constituti: qui

Proponitur cum illatione ad legis bonitatem & peccati malignitatem v. 15-20.

Declaratur uberius, ostendendo, peccatum esse legis instar in membris, legi mentis oppositæ v. 20-22.

Concluditur, & quidem

Exclamatione de miseria hominis. v. 23.

Gratiarum actione pro gratia medicinali, cum subjuncta illatione v. 24.

V. PRIVILEGIA JUSTIFICATORUM, quæ beneficiis & officiis juncta sunt eaque declarant c. VIII.

1. Immunitas a condemnatione legis & a dominio peccati: quæ

Proponitur ratione subjecti & fundamenti v. 1-4.

Declaratur, respectu differentia, quæ est inter affectum carnis & spiritus. v. 5-8.

2. Inhabitatio & relictio Spiritus Sancti: cujus proponitur

Necessitas: quia sine ea Christi non sumus. v. 9. 10.

Utilitas, respectu gloriosæ resurrectionis, v. 11.

Proprietas, mortificatio carnis v. 12. 13.

*Dignitas, respectu *ὁμοθεσίας*. v. 14. 15. 16.*

3. Jus & spes future hereditatis, sub conditione crucis. Id quod

Proponitur v. 17. 18.

Illustratur a gemitu creaturæ liberandæ v. 19-22.

Declaratur uberius ab indole filiorum Dei v. 23-25.

4. Spiritus Sancti corroboratio in infirmitate & in precibus v. 26. 27.

5. Coop-

5. *Cooperatio rerum omnium ad bonum finem*: cujus proponitur

Subiectum, Deum amantes v. 28.

Fundamentum, ordo salutis in sex gradibus, ab æterno per tempus in æternum se extendentibus. v. 29, 30.

6. *Certitudo seu plerophoria de futura salute æterna*: cujus proponitur

Fundamentum, positum in patrocínio & amore Dei, per Christum parto v. 31--34.

Adjunctum, ordo crucis v. 35, 36.

Firmitas immota & victrix v. 37--fin.

VI. IMPEDIMENTUM JUSTIFICATIONIS, in Judæis ob *ἀπιστίαν* & præposterum justitiæ studium rejectis, sed aliquando rursus convertendis c. IX. X. XI. ubi

JUDÆORUM REJECTO c. IX. Hic

Aditus ad hanc doctrinam per insinuationem, qua Paulus exponit

Suum erga Judæos affectum tenerrimum v. 1-3.

Judæorum prerogativas v. 4, 5.

Tractatio, qua apostolus

Declarat differentiam inter Judæos spurios, seu rejectos, & inter genuinos, seu acceptos. Id quod

Proponit v. 6.

Declarat a diversitate filiorum

Abrahami v. 7, 8, 9

Isaaci v. 10-13.

Urget liberum salvandi modum, non minus ab absoluto distinctum, quam humanæ & meritoria, seu mercenaria, determinationi oppositum: ubi duæ objectiones diluuntur:

Obiectio I. Estne DEus injustus? v. 14.

Solutio negans, negationis ratione desumpta ab immoto ordine & proposito non per merita propria, sed per gratiam & misericordiam salvandi: Id quod Paulus *Proponit* oraculo Dei Mosaico v. 15.

Declarat illatione de necessitate misericordia, meritorio & operario cursui opposita, v. 16.

Illustrat ab exemplo Pharaonis, e quo infertur, Deum reprobare homines non pro Judæorum, sed pro sua voluntate h. e. non ex hypothesi mercenaria, secundum quam Judæi sibi solis vindica-

dicabant gratiam & reliquis gentibus reprobationem tribuebant, sed e principio justitiæ, contemptum oblatae gratiæ vindicantis v. 17. 18.

Obiectio 2. seu occupatio scrupuli, qui ex antecedenti sententia per imperitiam, vel per cavillationem, moveri poterat: *Quid adhuc succenset, si a voluntate sua* (quæ vero recte intellecta erat, homines non nisi per viam misericordiæ salvare) *dimoveri nequit?* v. 19.

Solutio, & quidem

Indirecta per increpationem Deo sic temere & sinistre obloquentis v. 20. 21.

Directa per informationem, qua Deus dicitur

Vasa iræ, non a se, sed aliunde parata, multa lenitate tolerasse. v. 22.

Vasa misericordiæ, a se ipso præparata gloriæ destinasse v. 23. e Judæis & reliquis gentibus collecta v. 24-30.

REJECTIONIS CAUSSA: præposterum, seu meritorium ac mercenarium propriæ & legalis justitiæ studium, cum ἀπειθεία erga evangelium, seu viam gratiæ, conjunctum: id quod

Indicatur, præmissa mentione contrarii in gentilibus deprehensi. c. IX. v. 30--fin.

Declaratur per mentionem zeli secundum legem præposterum, & justitiæ evangelicæ ac fidei in Christum adversi. Id quod

Proponitur, v. 3. 4.

Declaratur, pluribus ostensa justitiæ veræ ac fidei indole ac necessitate, uti & ejusdem universalitate, aditu ad salutem omnibus patefacto. v. 5-13.

Deducitur uberius: ubi probatur, fidem per sufficientia media omnibus esse oblatam v. 14-18.

Illustratur indole contraria

Gentilium in Christum credentium, & justitiam evangelii amplectentium v. 19-20.

Judeorum, eam una cum Christo ipso non sine contradictione repudiantium v. 21.

REJECTIONIS TERMINUS, futura judæorum conversio c. XI. ubi negatur, rejectionem ipsorum

Universalem esse, ubi obiectio: *num Deus populum suum repudiavit?* diluitur negando, negationis ratione petita

Ab

Ab ipsius Pauli exemplo. v. 1.

Ab electionis, prævisionem fidei supponentis, immutabilitate v. 2.

Ab exemplo temporum Elia: quod

allegatur v. 2. 3. 4.

applicatur ad statum præsentem v. 5. cum illatione de proprietate gratiæ & meriti ἀσυστάτω. v. 6.

conciliatur cum adfertis rejectionis, scilicet illa non nisi de reprobis, e justo Dei judicio talibus, intelligenda esse v. 7--10.

Perpetuam fore: ubi Paulus de futura Judaicæ gentis conversione agit,

Primum probabiliter, ductis argumentis.

a fine & eventu rejectionis v. 11. 12. 13. 14.

ab effectu, seu eventu futuræ conversionis v. 12. 15.

ab a quo, seu a natura & dignitate majorum in judaica gente v. 16.

a possibili & facili v. 23. 23. ubi in sermone tropico, ab arboribus desumpto, præmittitur dehortatio gentilium ab arrogantia, & a securitate, nec non a contemptu Judæorum rectorum v. 17--22.

Deinde apodictice: ubi futura Judæorum conversio

Adfertur v. 25. 26.

Probatum oraculis Jesaïæ & Jeremiæ v. 26. 27.

Illustratur, & quidem ductis argumentis

a dignitate Judæorum v. 28. 29.

a misericordia per vices exercenda v. 30. 31.

*a sorte communi omnium hominum, misericordia egen-
tium v. 32.*

Accedit conclusio materiæ tribus hisce capitibus, IX. XXI. tractatæ, & totius partis didascalicæ, continens exclamationem, de sublimitate mysteriorum ac judiciorum divinorum: quæ

Proponitur v. 33.

Confirmatur, ductis argumentis a suprema Dei sapientia v. 34. beneficentia v. 34. & potentia v. 36.

PARS POSTERIOR
PÆDEUTICA, seu PRACTICA

De
JUSTIFICATORUM OFFICIIS,
qua sunt.

I. MORALIA c. XII. ubi occurrunt monita:

Generalia de vero Dei cultu antitypico, in ordine abnegationis & renovationis præstando v. 1. 2.

Specialia de modesto ac fideli usu

Charismatum, argumenro ab harmonica proprietate corporis Christi mystici ducto v. 3. - 6.

Functionum ecclesiasticarum v. 7, 8.

Specialissima in aphoristica virtutum commendatione, & quidem

Generatim erga omnes v. 9 - 13. 15. 16.

Speciatim erga adversarios v. 14, 17 - fin.

II. POLITICO-ETHICA c. XIII.

POLITICA subditorum erga magistratum: cui debetur

Subjeetio, certis argumentis commendata v. 1 - 5.

Debitorum solutio v. 6, 7.

ETHICA: ubi commendatur

Praxis caritatis secundum decalogum v. 8 - 10.

Usus evangelicæ evangelicæ, evangelio dignus, præceptus verbis tropicis v. 11, 12. & propriis v. 13, 14.

III. CERIMONIALIA c. XIV, XV, 1 - 13. ubi dirigitur.

Usus ciborum Leviticus & evangelicus: ubi

Monitum caritatis v. 1, 2, 3.

Argumentum veritatis v. 3, 4.

Cultus dierum Leviticus & evangelicus v. 5.

Uterque simul, v. 6. seqq. ubi caritatis sinceritatisque ac tolerantia fundamentum

Commendatur in vitæ nostræ scopo & termino ultimo v. 7, 8, 9.

Applicatur, & quidem

ad Romanos ipsos v. 10, 11, 12.

ad præsentem materiam v. 13.

Declaratur, cum repetita applicatione,

a natura rerum cerimonialium v. 14.

ab officio caritatis & a redemptione Christi v. 15, 16.

ab

ab indole regni Dei v. 17, 18.

a scopo pacis & ædificationis v. 19.

a constitutione conscientiaæ alterius v. 20, 21.

a proprietate fidei v. 22, 23.

Inculcatur uberius: ubi

Monitum de officio confirmatorum erga imbecilliores c. XV, 1, 2.

Argumentum desumptum ab exemplo Christi: quod

Proponitur cum allegatione & applicatione oraculi Davidici.
v. 3, 4.

Applicatur uberius cum voto & novo monito v. 5, 6, 7.

Declaratur, & quidam allegatis scripturae testimoniis respectu,

Judeorum v. 8.

Gentilium v. 9-12. subjuncto voto v. 13.

CONCLUSIO EPISTOLÆ c. XV, 14. fin. c. XVI. ubi occurrunt

CAUSSAE SCRIPTIIONIS:

Romanorum fides, egregia quidem, magis tamen adhuc accendenda, seu augenda. v. 14, 15.

Pauli officium, cujus indicantur

Objectum & *scopus* v. 16, 20, 21.

Proprietas in cultu Dei v. 17.

Medium, evangelium, signis & miraculis confirmatum v. 18, 19.

Desiderium Romanos videndi, adhuc inane, sed implendum v. 22. & quidem

Occasione itineris in Hispaniam suscipiendi v. 23, 24, 28.

Tempore eo, quo iter Hierosolymitanum, sublevandis pauperibus destinatum, fuerit absolutum v. 25-28.

Adjuncto insignium fructuum v. 29.

Subsidio precum, a Romanis fundendarum v. 30.-32. subjuncto voto. v. 33.

COMMENDATIO PHOEBES, facta ab officio *διακονίας* & ab hospitalitate v. 1, 2.

SALUTATIONES, quas Paulus nuntiat

Nomine suo v. 3-15.

Nomine aliorum v. 16, 21-23.

ADHORTATIO ad cavendos pseudodidascalos schismaticos: ubi

Monitum fugæ v. 17.

Argumenta ab indole pseudodidascalorum mala & Romanorum meliore v. 18, 19.

VOTUM geminum v. 20, 24. cum *δοξολογία* v. 25, 26, 27.

CAPUT

CAPUT II.

De

Epistolis Pauli mediis in captivitate priore
& proxime post eam in Italia scriptis.

MEMBRUM I.

De

EPISTOLA AD PHILEMONEM.

- I. **P**ERSONA, ad quam scripta est: *Philemon*, Colossensis civis, & fortasse unus ex ecclesiæ ministris, seu senioribus. Vid. de hoc, uti & de Onesimo, supra Sect. III. cap. III. §. IV.
- II. LOCUS scriptionis: Roma in vinculis prioribus. vide Part. I. Sect. III. c. III. §. V, VI, ubi reliqua *momenta* hujus epistolæ *historica* videantur.
- III. TEMPUS scriptionis: annus
a munere apostolico commisso vigesimus septimus
a Christo nato sexagesimus secundus, qui erat Neronis octavus.
- IV. OCCASIO: Onesimi, qui post commissum furtum, e familia Philemonis se subduxerat & Romam venerat, conversio, per Paulum in vinculis facta. Vid. supra l. c. Huc accedit Pauli consilium de invisendis Colossensibus conceptum.
- V. SCOPUS & ARGUMENTUM: Paulus post conceptam liberationis spem, Colossenses, & inter eos etiam Philemonem invisurus, Onesimum præmittit cum epistola, qua ipsum hero suo reconciliat.
- VI. LOCA EMPHATICA v. 6, 7, 10, 12, 16, 20.
- VII. PARTITIO & ANALYSIS: ubi
Inscriptio & salutatio v. 1, 2, 3.
Exordium, quo Paulus, se apud Philemonem infinuaturus, affectum suum ipsi prodit, & quidem commemoratione
Eucharistiæ & recordationis, e statu Philemonis optimo concepta v. 7
Caritatis, qua motus Paulus rogare malit, quam jubere in re præsentis. v. 8, 9.
Propositio de recipiendo benevole Onesimo v. 10, 12,
Confirmatio, quæ fit

ab utili

Ab utili v. 11.

Ab equo, intercedente Pauli remissione. v. 13, 14.

A digno, seu forte Onesimi digniore v. 15, 16.

A persona Pauli intercedentis v. 17-19.

Ab fiducia ejusdem erga Philemonem v. 20, 21.

Conclusio: ubi

Conditio hospitii v. 22.

Salutatio v. 23, 24.

Votum v. 25.

MEMBRUM II.

De

EPISTOLA AD COLOSSENSES.

- I. **E**CCLESIA: Hæc condita præcipue est ab Epaphra, sed tempore nobis incerto. Vid. Part. I. Sect. III. cap. III. §. VII. seqq.
- II. LOCUS scriptiois: Roma, in vinculis prioribus. vid. ibid.
- III. TEMPUS: idem, quo scripta est epistola ad Philemonem. Vide ibid. & §. V, VI.
- IV. OCCASIO: quæ triplex:
1. *Narratio Epaphræ* de statu Colossensium egregio. c. I, 7, 8. Nec improbabile est, Epaphram Paulum impulisse ad scribendum. Ad quam persuasionem cum ipsius etiam Spiritus Sancti impulsus accederet, scripta est epistola. Vid. c. IV, 12, 13.
 2. *Affectus & certamen fidei* ac precum pro ecclesiis nondum visis, qualis erat Colossensis: qui affectus se in scriptioem diffudit. c. II, 1, 2. Conf. c. I, 7, 8, 9.
 3. *Insidia & corruptela pseudodidascalorum*, a quibus Colossensibus imminabat periculum. c. II, 4, 8, 16, 18. seq.
- V. SCOPUS & ARGUMENTUM: Paulus prodito suo erga Colossenses *ὑποφύτας* affectu, e narratione Epaphræ concepto, ipsos in veritate doctrinæ evangelicæ ita confirmat, ut eosdem simul adversus pseudodidascalorum corruptelas præmuniat, & veritatis praxin in vitæ sanctimonia evangelio digna urgeat.
- VI. SEDES MATERIARUM PRÆCIPUÆ
1. De incremento spirituali c. I, 9, 10, 11. II, 2.

Hh

2, De

2. De conversione c. I, 12, 13. c. II, 11, 12, 13.
3. De persona & officio Christi c. I, 14. seqq. c. II, 3, 9, 10. seqq.
4. De evangelio c. I, 5, 6, 23, 25, 26, 27.
5. De fidelitate muneris ecclesiastici c. I, 28, 29.
6. De firmitate & perseverantia spirituali c. II, 6, 7.
7. De libertate spirituali c. II, 16, 20. 22.
8. De pseudodidascalis c. II, 18. seqq. Conf. v. 4, 8, 16.
9. De indole filiorum Dei cœlesti & gloria eorum abscondita. c. III, 1. seq.
10. De renovatione c. III, 5. seqq. 10. seqq.
11. De ædificatione mutua c. III, 16.
12. De indole & scopo spirituali actionum omnium. v. 17.
13. De officiis societatis œconomicæ v. 18. seqq. IV, 1.
14. De precibus c. IV, 2, 3, 4.
15. de prudentia conversationis c. IV, 5, 6.

VII. LOCA EMPHATICA.

C. I, 6. de fructibus evangelii.

-- 8. de caritate in spiritu.

-- 9, 10. de incremento spiritualis agnitionis.

-- 11. de robore spirituali. conf. v. 23.

-- 12. de sorte sanctorum in luce.

-- 13. de conversione.

-- 14. de præstantia remissionis peccatorum.

-- 15. de Christo, imagine Dei, & primogenito omnis creaturæ.

-- 16. de creatione omnium per Christum.

-- 18, 19. de Christo primogenito e mortuis, omnem plenitudinem habente.

-- 20. de eodem, vero pacis principe.

-- 21. de inimicis mente in malis operibus.

-- 22. de præstantia fidelium, quam e gratia Christi habent.

-- 23. de universalitate præconii evangelici.

-- 27. de Christo in nobis, tanquam spe gloriæ.

-- 28. de universalitate objecti in præconio evangelico.

-- 29. de efficacia Dei in fidelibus verbi præconibus.

II, 1. de incremento agnitionis Dei.

-- 5. de firmitate fidei in Christum.

-- 6, 7. de ambulatione & confirmatione in Christo.

-- 8. de philosophiæ deceptione.

-- 9. de plenitudine divinitatis in Christo.

-- 11. de circumcissione spirituali,

C. 12,

C. II, 12, 13. de conformitate cum Christo.

- 15. de triumphatis hostibus.
- 17. de corpore Christi antitypico.
- 19. de corpore Christi mystico.

C. III, 1. de resurrectione spirituali,

- 3. de vita fidelium in Deo abscondita.
- 9, 10. de exuendo vetere & induendo novo homine.
- 11. de eo, quod Christus omnia in omnibus.
- 12. de misericordiae visceribus induendis.
- 14. de caritate, integritatis vinculo.
- 15. de brabeo pacis.
- 16. de inhabitatione verbi Dei & de musica spirituali.
- 17. de cynosura omnium actionum.
- 24. de servitute Christo praestita.

C. IV, 2. de modo precandi,

- 3. de ostio verbi.
- 6. de sale, sermonis condimento.
- 12. de certamine precum.
- 17. de ministerio in Deo complendo.

VIII. LOCA DIFFICILIORA

C. I, 15. de primogenito omnis creaturae, conf. v. 18.

- 16. de diversis angelorum ordinibus.
- 24. de afflictionibus Pauli ad Colossensium salutem relatis.

C. II, 11. de circumcisione spirituali,

- 14. de chirographo deleto.
- 15. de triumphatis principibus & potestatibus.
- 18. de cultu angelorum conf. v. 23. de cultu commentitio.

Not. *Momenta hujus epistolae historica* vide supra Part. I. Sect. III, Cap. III. §. VII. VIII. IX.

IX. LOCA DE JUDAISMO AD JUDAEOS CONVERSOS.

Cap. II, 8. *Videte ne quis vos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi & non secundum Christum.* Etiam priora hujus commatis verba de pseudo-philosophia judaica dici, posteriora ostendunt. Nam *παράδοσις traditio* est ipsa קבלה *Kabbala* de lege orali a Deo Mose in monte tradita, & deinceps secreta voce ad posteros propagata; quemadmodum doctores Judaeorum post captivitatem Babylonicam fabulati sunt. Et *elementa mundi* (seu rerum visibilium & crassiorum) de cerimoniais Judaicis dici, ma-

nifestum est e v. 20. & e Gal. IV, 3. Jam vero *philosophia* hæc dicitur *secundum traditionem & secundum elementa mundi*. Ergo intelligitur *pseudophilosophia* Judaica (gentilium tamen *philosophia* corrupta nequaquam exclusa) quæ falso credita traditione nitebatur, & cumulum ceremoniarum Leviticarum augebat, eumque in superstitionem vertebat. Unde BRAUNIUS Select. Sacr. p. 93. seqq. recte ita scribit: *Scribas & Phariseos Judaorum fuisse philosophos, eorumque doctrinam, quam docuerunt de patrum traditionibus, sophismata & argutiunculas, quibus plebem corrumpebant ac in suam massam discipulos allicere studebant, satis clare docet Josephus Antiquit. L. XVIII. c. 2. & de B. Jud. L. II, 12. Hanc philosophiam hodie totum docet opus Talmudicum. Illius sophismata, syllogismi, argutationes & conclusiones exponuntur in toto opere Halichot Vlam.*

- v. 9. *Quia in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Hæc ratio apud conversos Judæos desumitur a fundamento traditionum, & elementorum mundi, seu rituum abrogatorum, quod est in Christo, qui, tanquam antitypus, *corpus solidum*, umbris typicis oppositum v. 17. Hebr. VIII, 5. X, 1. Jo. I, 4. Atque ita voce *σωματικῶς*, supposita humana Christi natura, respicitur proprie ad soliditatem antitypicam.
- v. 16. Hic totus contextus Judaismo opponitur usque ad finem capituli. Commate autem hoc decimo duplex adversus judaizantes argumentum urgetur, quorum prius, in applicatione præcedentis argumenti, desumptum est a *christianismi perfectione*, elementorum Judaicorum haud indiga; alterum a *dignitate Christi*, longe superioris quovis principatu & potestate populi, nec non synedrii & synagogæ Judaicæ. Et hoc sensu hic accipiendas esse istas voces, contextus indicat, uti & vox *κεφαλῆ* caput.
- v. 13. Etiam hic voces; *in præputio carnis vestre*, ethnicis haud exclusis, præcipue de Judæis accipiendas esse, indicat contextus integer, & parallelismus illorum locorum, in quibus Judæorum præputio spiritali circumcisio spiritalis commendatur, seu opponitur. Act. VII, 51. Deut. X, 16. XXX, 6. Jer. IV, 4. Ezech. XI, 19. XXXVI, 26. Conf. Rom. II, 28, 29. c. VI, 6.
- Ibid. *Et condonavit vobis omnia peccata:* post plenam reconciliationem offert plenam peccatorum remissionem & justificationem, æternam vilituram, conscientia plene tranquillata per sacrificium Christi semel præstitum: cum in Judaismo sanguis & mors pecudum, seu sacrificia, non possent mundare conscientiam, sed repetitione sua innumera peccatorum reatum ad recordationem perpetuam refricarent. Hebr. IX. X.
- v. 14. *Delevit chirographum, quod nobis contrarium erat in dogmatis.* Judæi quoties

quoties offerebant victimas vicarias, iis, tanquam chirographo quodam, testabantur, se mortis esse reos. Et cum victimarum sanguis cornibus altaris adspargeretur, ideo reatus quasi altari inscribatur. Ex qua observatione intelligitur locus Jer. XVII, 1. Ubi *peccatum Juda dicitur scriptum super tabulam cordis & in cornua altarium.* Voce *δόγμασι* respici ad ritus Leviticos, manifestum est e re ipsa, & contextu, & speciatim e v. 20. ubi τὸ δόγματιζοῦσθαι de ritibus istis usurpatur. Atque ita Paulus hic proprie non egit de lege morali. Neque enim Christus hanc delevit, aut e medio sustulit ratione obligationis, a qua hic immunes pronuntiantur christiani, sed implevit ac stabilivit.

v. 15. Hic voces: τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας, procul dubio eodem sensu accipiuntur, quo v. 10. ubi Christus dicitur *caput omnis principatus & potestatis*, contextu eandem significationem requirente. Jam vero Christus etsi est Dominus & victor diabolorum, tamen dici nequit *caput ipsorum*, quasi illi ad corpus, tanquam membra ipsius pertinerent. Ita autem ad illud, typice adhuc consideratum, pertinebant populi Judaici, synedrii, sacerdotii & synagogæ proceres, principes, iudices & rectores, qui tanquam curatores & tutores ac pædagogi Gal. IV, 2. pro potestate sua magna sub duro imperio populum tenebant. Erant enim exactores rigidissimi, & pro gravitate delicti ceremonialis, ad mortem usque severi. Deut. XVII, 8. 9. 13. Hebr. X, 27. 28. Eundem sensum in contextu requirunt speciatim ea, quæ proxime sequuntur: *Ne igitur quisquam vos iudicet in cibo aut potu, aut parte festi, aut novilunii, aut sabbatorum.* Conf. BRAUNIUM Select. Sacr. L. I. c. VIII. p. 98. seqq. ubi hanc materiam ex instituto tractat, suamque sententiam fusius vindicat, in se quidem vere, at in argumentis & expolitionibus non per omnia satis solide, ut ego quidem arbitror. Inprimis vid. p. 113. & p. 124, 125. Conf. COCCEJUS in h. l.

v. 18. Carpitur hic superstitiosus Judæorum error de angelorum officiis, apparitionibus, colloquiis & cultu, errori Platonicorum de diis tutelariis simillimus. Adhuc enim de Judæis sermonem esse, totus contextus, maxime consequentium, nos dubitare non finit.

Not. Momenta hujus epistolæ historica vide supra Part. I. Sect. I II. Cap. III. §. VII. VIII. IX.

X. PARTITIO & ANALYSIS. Hæc post *inscriptionem & salutationem* c. I. 1. 2. & post *exordium*, qua occasio scribendi cum eucharistia & affectu indicatur v. 3--13. admittit duas partes, quarum prior *didascalica* c. I. II. posterior *pædenticæ* c. III. IV.

Hh 3

PARS

PARS PRIOR, & quidem

DIDASCALICA, qua Colossenses in Christianismo confirmantur: ubi
Christianismi

Fundamentum, Christus, descriptus

ratione *personæ & nature divine* v. 15 -- 19.

ratione *officii* v. 14. 20. 22.

Applicatio ad Colossenses, quæ

didascalica, ratione redemptionis & conversionis v. 21-22.

paedeutica, ratione perseverantiæ. v. 23.

Minister Paulus: ubi apostolici muneris

collatio v. 23. 25.

fata adversa v. 24.

objectum, Christus & evangelium v. 26. 27.

administratio fidelis & laboriosa & quidem

generatim respectu omnium v. 28. 29.

speciatim respectu Colossensium, nec non Laodiceen-
sium & aliorum nondum visorum c. II, 1.

scopus v. 28. c. II, 2. subjuncta commendatione Christi v. 3.

Conservatio integra adversus corruptelas, solidis initiis digna v. 4-7.

ELENTICA, corruptelis doctrinæ opposita: ubi

Monitum primum adversus corruptelas philosophiæ, ductis dehor-
tationis argumentis a præstantia ac perfectione Christi ac
Christianismi v. 8 -- 15.

Monitum secundum judaismo oppositum, ducta ratione a natura ejus
umbratili, v. 16. 17.

Monitum tertium, oppositum spiritibus fanaticis, graviter descriptis
v. 18. 19.

Monitum quartum, cum erroris, seu obsequii maligni, exprobratione
denuo pseudojudæis & fanaticis oppositum. v. 20. fin.

PARS POSTERIOR PAEDEUTICA ad studium sanctimonix, evangelio
& christianismo dignæ. c. III, IV. ubi adhortatio varia:

Generalis omnium ordinum

Prima ad studium ac sensum rerum cœlestium: ubi

Monitum duplex c. III. v. 1. 2.

Argumentum duplex, desumptum a statu christianorum præsentis &
futuro v. 3. 4.

Secunda ad ἐκδυσιν & depositionem veteris hominis: ubi

Monitum triplex v. 5. 8. 9.

Argumentum duplex, desumptum a damno & statu pristino v. 6. 7.

Tertia

Tertia ad ἐνδυσιν & praxin novi hominis: ubi

Actus induendi, sine discrimine ad omnes pertinens v. 10. 11.

Species induendæ variæ, quarum præcipua *caritas* v. 12. 13. 14.

Adjunctum in brabeo pacis v. 15.

Subsidium præcipuum, dignus verbi divini usus v. 16.

Norma & scopus, gloria Dei v. 17.

Specialis, & quidem

Uxorum v. 18. & *maritorum* v. 19.

Liberorum v. 20. & *parentum* v. 21.

Servorum *servarumque*: ubi

Monitum varium v. 22. 23.

Argumentum ab hero primario, Christo, & ab eventu diverso desumptum v. 23-- fin.

Herorum erga *servos* c. IV, 1.

Generalis: ubi commendatur

Exercitium precum, speciatim pro apostolo fundendarum v. 2. 3. 4.

Prudentia conversationis,

In factis v. 5.

In verbis v. 6.

CONCLUSIO: ubi

Communicatio mutua de statu per Tychicum & Onesimum quaesita v. 7. 8. 9.

Salutatio varia, & quidem

Passiva, seu lata Colossensibus

ab Aristarcho & Marco v. 10.

a Jesu Justo v. 11.

ab Epaphra, de Colossensibus optime merito. v. 12. 13.

a Luca & Dema v. 14.

Activa, seu ferenda per eos aliis v. 15.

Communicatio epistole v. 16.

Excitatio Archippi v. 17. accedente salutazione, commendatione sui & voto v. 18.

MEMBRUM

MEMBRUM III.

De

EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

- I. **E**CCLESIA. Hæc fundata est a Paulo anno Christi LI, Claudii imperantis XI. in illa expeditione, quam cum Sila per Asiam & Græciam faciebat. Vid. Part. I. Sect. II. Cap. III. §. VI. seqq.
- II. **LOCUS** scriptionis; Roma, in vinculis prioribus. Vide Part. I. Sect. III. Cap. III. §. X.
- III. **TEMPUS**: Brevi ante finem vinculorum: annus
ab ecclesia plantata undecimus.
a munere apostolica commisso vigesimus septimus.
a Christo nato sexagesimus secundus, qui octavus erat Neronis.
- IV. **OCCASIO**: quæ quadruplex præcipue:
 1. *Subsidium vite* a Philippensibus per Epaphroditum Paulo submissum, c. IV, 10-18.
 2. *Narratio Epaphroditi* de statu Philippensium, uti & de periculo, quod eidem a pseudodidascalis impendebat. c. I, 28. c. III, 2. 18. 19.
 3. *Epaphroditi desiderium* ad Philippenses revertendi, postquam gravissimus morbus superatus erat. c. III, 25. seqq.
 4. *Pauli propositum* Philippenses revisendi & Timotheum ad ipsos præmittendi, sub certa liberationis spe. c. I, 8. 25. 26. c. II, 23. 24.
- V. **SCOPUS & ARGUMENTUM**: Paulus, pro tenerrimo suo erga Philippenses affectu, remisso Epaphrodito iisdem per litteras statum suum indicat, facta mittendi Timothei & adventus sui spe: eosdemque denuo excitatos interea in fide & ejus praxi confirmat & adversus pseudodiscalorum insidias ac corruptelas solícite præmunit, actis simul gratiis pro subsidiis Romam transmisissis.
- VI. **SEDES MATERIARUM PRAECIPUAE**.
 1. De incremento cognitionis in praxi fidei & caritatis c. I, 9. 10. 11.
 2. De utroque Christi statu, exinanitionis & exaltationis. c. II, 6. seqq.
 3. De falsis doctoribus c. III, 2. 18. 19.
 4. De abnegatione, præcipue propriæ justitiæ, in ordine obtinendæ justitiæ Christi & salutis c. III, 7. seqq.
 5. De contentione citata ad scopum vitæ æternæ c. III, 12. seqq.
 6. De spe futuræ gloriæ, etiam respectu corporis c. III, 20. 21.
 7. De precibus ac pace spirituali. c. IV, 6. 7.

8. De

8. De ἀνταρεία & abnegatione commoditatum hujus vitæ, c. IV.
v. 11. 12, 13.

VII. LOCA EMPHATICA

Cap. I. v. 4. de precibus.

v. 8. de affectu Pauli.

v. 9. de abundantia caritatis in agnitione, cum sensu seu gustu
conjuncta.

v. 10. 11. de requisito & adjuncto δοκιμασίας.

v. 21. de Christo vitæ & mortis scopo.

Cap. II. v. 1. 2. de modo obtestandi & convincendi.

v. 11. de Jesu Christo Domino.

v. 15. de filiorum Dei indole.

v. 25. de commendatione Epaphræ.

Cap. III. v. 2. de indole falsorum doctorum.

v. 8. 9. de abnegatione falsæ justitiæ.

v. 10. de conformitate cum Christo.

v. 12. seqq. de contentione ad scopum.

v. 17. de imitatione Pauli.

v. 18. 19. de indole falsorum doctorum.

v. 20. 21. de jure civitatis & futura corporis transformatione.

Cap. IV. v. 1. de affectu Pauli.

v. 7. de proprietate & excellentia pacis.

v. 9. de typo doctrinæ & vitæ imitando.

v. 13. de omnipotentia per Christum.

v. 18. de bona beneficentiæ fragrantia.

VIII. LOCA DIFFICILIORA

Cap. I. 18. de objecto gaudii Pauli.

II, 6. de negata Christi rapina.

IV, 15. de communicatione dati & accepti.

Not. *Momenta* hujus epistolæ *historica* vide Part. I. Sect. II. cap. III. §. VI-XVII.

item Sect. III. cap. III. §. X. XI.

X. LOCA DE JUDÆIS AD JUDÆOS. Pertinent huc ea, quæ Paulus
cap. III, 1. seqq. pseudodidascalis judaicis & judaizantibus, ac pristino
suimet ipsius Pharisaismo, quo secundum legem, nimirum cerimoniam,
fuit ἀνεπιτος, opponit. Conf. quæ c. III, 18. 19. de iisdem falsis do-
ctoribus dicuntur. BRAUNIUS quidem existimat, etiam hanc episto-
lam præcipue ad conversos Judæos scriptam esse. Sed sine fundamen-
to: quemadmodum ex iis, quæ supra suo loco de plantatione hujus
eccle-

ecclesiæ Philippensis dicta sunt, satis constat. Non tamen defuerunt hic Judæi, saltem judaizantes irrepererunt & neophytorum fidem sollicitarunt.

X. PARTITIO & ANALYSIS. Hæc post inscriptionem & salutationem c. l. v. 1. 2. pro varietate argumenti diversas agnoscit partes, uti sunt

I. EXODIUM patheticum, scribentis affectum declarans, & quidem *Precibus eucharisticis* pro statu Philippensium spirituali v. 3. 4. 5. *Fiducia & desiderio de & pro status istius confirmatione & incremento* v. 6--11.

II. SIGNIFICATIO STATUS EVANGELII & PAULI.

EVANGELII, ejus

Incrementum, seu amplificatio sub afflictione v. 12. 13.

Præcones, quorum alii

Genuini, sub afflictione excitati. v. 14. 15. 17. 18.

Spurii, qui Paulo afflicto afflictionem addebant. v. 15. 16. 18.

PAULI captivi: cujus indicatur

Gaudium in Domino, afflictioni oppositum, sub fiducia salutaris eventus v. 19.

Spes sollicita de gloria Christi per vitam & mortem amplificanda. v. 20. 21.

Hæsitatio in electione

Mortis, quam cum gaudio exoptat v. 22. 23. huc pertinet, c. II. v. 17. 18.

Vite, quam habet pro magis necessaria, & sub cujus spe adventum promittit. v. 24. 25. 26. huc ref. c. II, 24.

III. ADHORTATIO PARENTHETICA ad certamen fidei & praxin bonæ conscientie: ubi commendatur

Vita evangelio digna generatim, speciatim concors adversorum tolerantia: ubi

Monitum v. 27. 28.

Argumentum desumptum

a salutaris eventu v. 28.

ab accepto charismate v. 29.

ab exemplo Pauli v. 30.

Concordia, præmissa excitatione pathetica c. II, 1. 2.

Demissio & abnegatio: ubi

Monitum triplex v. 3. 4. 5.

Argumentum desumptum ab exemplo, quod Paulus

Primum

Primum commendat v. 5.
 Deinde pluribus describit, & quidem
 respectu formæ & graduum v. 6--8.
 respectu eventus in statu exaltationis & in fructu ad-
 orationis v. 9--11.

Cura salutis, habenda
 in obsequio, addito argumento v. 12. 13.
 in acquiescente fiducia v. 14.
 in demonstratione indolis filiorum Dei v. 15.
 in practico evangelii studio v. 16.

IV. SPES de TIMOTHEO MITTENDO & COMMENDATIO EPA-
 PHRAE jam missi: ubi

Timotheus mittendus: ubi
 Commendatio personæ v. 20. 21. 22.
 Spes missionis v. 19. 23. adjecta fiducia proprii adventus v. 24.
Epaphras, seu *Epaphroditus*, missus commendatus, cujus indicatur
 Missio & missionis scopus v. 25. 28.
 Morbus superatus v. 26. 27.
 Indoles egregia, omni receptione digna v. 25. 29. 30.

V. PAULI EXEMPLUM ad imitationem propositum, c. III. ubi, post ini-
 tium patheticum v. 1. ejus

Oppositum in falsis doctoribus, descriptis
 ab indole canina & præpostero circumcisionis studio v. 2. adjuncto
 contrario v. 3.
 a mente hostili & ministerio ventris, interitus causa v. 18. 19.
Prærogative variæ status pristini v. 4. 5. 6.
Abnegatio prærogativarum istarum, facta Christi & evangelii causa.
 v. 7-10.

Contentio ad scopum: quæ

Describitur v. 12--14.

Ad imitationem, proponitur, una cum reliqua exempli forma
 v. 15. 16. 17.

Scopus ipse, cœlestis civitas & gloriosa corporis transformatio. v. 20. 21,
 subjuncto epiphonemate c. IV. I.

VI. MONITA VARIA, eaque

Specialia, & quidem
 de Euodia Syntyche c. IV. v. 2.
 de socio germano & Clemente. v. 3.

li 2

Genera-

Generalia ad omnes, quibus commendatur

Gaudium in Domino v. 4.

Aequitas facile cedens cuivis v. 5.

Fiducia v. 6.

Exercitium precum. *ibid.*

Possessio & fructus pacis. v. 7.

Idea virtutum generalis & octuplex ad Pauli exemplum v. 8. 9.

VII. **COMMEMORATIO BENEFICENTIAE** eucharistica. v. 10-19, in qua indicatur

Colossensium *προθυμία* & repetita liberalitas v. 10. 14. 15. 16. 17. 18.

Pauli affectus, & quidem

Laetitiae v. 10.

Αυταρκείας v. 11. 12. 13.

Comprobationis v. 14.

Dei benedictio, appreciatione *Colossensibus* exoptata v. 19.

CONCLUSIO: ubi occurrit *δοξολογία* v. 20. salutatio v. 21. 22. & votum. v. 23.

MEMBRUM IV.

De

EPISTOLA AD HEBRAEOS.

- I. **AUCTOR:** PAULUS: id quod pluribus argumentis demonstratum vide supra Part. I. Sect. III. §. XIV. XV.
- II. **ECCLESIA:** Hæc non est unius loci, sed universæ gentis Hebrææ, cum in Judæa, tum in dispersione inter gentes alias viventis, maxime autem in Judæa.
- III. **LOCUS** scriptionis: Italia, Paulo post vincula priora, & Paulo ante discessum Apostoli. Vide supra Part. I. Sect. III, cap. III. §. XII. XIII. ubi etiam *momenta* hujus epistolæ *historica* videantur.
- IV. **TEMPUS** scriptionis: annus
a munere apostolico commisso, vigesimus octavus.
a Christo nato sexagesimus tertius, qui Neronis erat nonus. Vide tab. chronol. sub finem Partis I.
- V. **OCCASIO, & CAUSSA:** quæ quadruplex:
 1. *Cognita* multorum *infirmitas* in cognitione & praxi christianismi, c. V, 12. seqq.

2. *Prævi-*

2. *Prævisa*, immo cognita, quorundam *offensio* ac *defectio* a Christianismo ad Judaismum. c. II, 1. 3. III, 8. 12, 13. IV, 2. VI, 4. 5. 6. X, 26. seqq. XII, 15. 16.

3. *Vehementia afflictionum*, & explorata multorum imbecillitas in iis perferendis c. X, 35. 36. XII, 3. seqq.

4. *Propositum* ad Hebræos proxime *veniendi*. c. XIII, 19. 23.

VI. SCOPUS & ARGUMENTUM: Paulus Hebræos revisurus præmissa hac epistola eos, a cultu Levitico denuo avocatos, in religione christiana, præcipue in doctrina de Christi persona & officio sacerdotali antitypico, confirmat, eosdem adversus relapsum & scandalum crucis simul præmuniens, & fidei christianæ praxin in vitæ sanctimonia ac perseverantia evangelio digna efficacissimis argumentis modisque urgens.

VII. SEDES MATERIARUM PRAECIPUAE.

C. I. de divinitate filii Dei, Jesu Christi.

ibid. v. 7. & 14. de natura & officio angelorum.

C. II, 1. seqq. de obsequio evangelio convenienti.

-- 6. seqq. de statu Christi utroque, & humana ejus natura.

C. III, 1. seqq. de obsequio iterum. Conf. c. IV.

C. IV, 14. 15. 16. de officio Christi sacerdotali ejusque digno usu. Huc refer c. V.

C. V, 12. 13. 14. de diversa christianismi ætate.

C. VI, 4. seqq. de statu relapsorum exitiali.

-- 13. seqq. de firmitate divinarum promissionum, earumque usu.

C. VII. de Christo, altero Melchisedeco.

C. VIII. de veteri testamento typico, per novum abolendo.

C. IX. de novo testamento, & in eo de officio Christi sacerdotali, typis Leviticis opposito. Huc ref. c. X.

C. X, 22. seqq. de digno gratiæ evangelicæ usu.

C. XI. de natura & exemplis fidei heroicis.

C. XII. de vita evangelio digna, & in ea speciatim de tolerantia adversorum & de perseverantia.

C. XIII. de variis christianorum officiis, speciatim de caritate, de puritate vitæ conjugalis, de animo sua sorte contento, de obsequio erga doctores &c.

VIII. LOCA EMPHATICA.

C. I, 1. de modo revelationum divinarum,

-- 2. de gloria Jesu Christi.

-- 7. de natura angelorum.

- c. I. 9. de unctiōne Christi & christianorum.
 -- 13. de sessione Christi ad dextram patris.
 II, 1. 3. de reatu & pœna immorigerorum.
 -- 10. de principe salutis per afflictiones consummato.
 III, 1. de Christo, apostolo & summo sacerdote.
 -- 6. de perseverantia in fide & spe. conf. v. 14. c. VI, II,
 -- 12. de defectione a Deo.
 -- 13. de peccati deceptione.
 IV, 2. de verbo fide permixto.
 -- 8. de quiete vera per Josuam non obtenta.
 -- 9. de sabbatismo populi Dei.
 -- 10. de cessatione ab operibus nostris.
 -- 12. de efficacia verbi Dei.
 -- 13. de reiectis coram verbo Dei creaturis.
 -- 16. de accessu ad thronum gratiæ.
 V, 7. de Christo in precibus inter lacrymas exaudito.
 -- 9. de Christo salutis causa obedientibus.
 -- 12, 13, 14. de cibo animorum diverso & de habitu ad cognoscendum exercitato.
 VI, 4, 5. de sensu & gustu rerum divinarum.
 -- 10. de labore caritatis.
 -- 19, 20. de ancora salutis in interiora penetrante.
 VII, 19. de meliore spe, in qua accessus ad Deum.
 -- 22. de Christo melioris testamenti sponse.
 -- 25. de accessu ad Deum per Christum.
 -- 26. de innocentia & sanctitate Christi sacerdotis.
 VIII, 1. de majestate Christi sacerdotis.
 -- 2. de tabernaculo vero v. 5. de umbra rerum cœlestium.
 -- 6. de melioris testamenti mediatore.
 -- 10. 11. de inscriptione legis in cor, & de Θεοδιδασκαλία.
 IX, 1. de sancto mundano.
 -- 7. de ingressu in adytum anniversario.
 -- 9. de imbecillitate sacrificiorum.
 -- 12. de ingressu Christi in adytum.
 -- 14. de efficacia sanguinis Christi.
 -- 18. seqq. de initiatione veteris testamenti.
 -- 21. de remissione peccatorum ad effusionem sanguinis adstricta.
 X, 1. de umbra rerum futurarum in lege Levitica,

c. X.

- c. X 10. de Christi voluntate nos sanctificante. conf. v. 14.
 -- 19, 20. de parrhesia ad ingressum in adytum per viam novam.
 -- 22, 23. de ordine ingrediendi in adytum antitypicum.
 -- 24. de paroxysmo caritatis & bonorum operum.
 -- 29. de conculcatione filii Dei &c.
 -- 33, 34. de productis in theatrum, & meliorem substantiam habentibus.
 -- 38. de vita fidei & de subducentibus se. conf. v. 39.

XI, 1. de natura fidei. v. 4. de loquela Abelis v. 5. de translatione Henochi.

- 10. de civitate Dei, objecto fidei. conf. v. 16.
 -- 13. de fide & spe patriarcharum omnium, uti & de eorum confessione.
 -- 19. de fide Abrahami in Deum mortuos resuscitaturum,
 -- 23. seqq. de fide Mosis.
 -- 30. de fide muros Jerichuntis dejiciente,
 -- 38. de indignitate mundi & dignitate testium veritatis.

XII, 1. de onere peccati adhærescentis deponendo.

- 2. de Jesu auctore & consummatore fidei,
 -- 6. de amore castigante.
 -- 11. de diversa afflictionum indole ac facie.
 -- 12. de erectione manuum & genuum &c.
 -- 14. de sanctimonia ad ordinem salutis pertinente.
 -- 15. de radice amara succrescente.
 -- 22, 23. de monte Sionis & panegyri justorum.
 -- 24. de virtute sanguinis Christi,
 -- 29. de Deo, igne consumente,

XIII, 4. de dignitate & puritate conjugii.

- 7. de consideratione & imitatione doctorum.
 -- 8. de Christo heri & hodie.
 -- 9. de firmitate animi in gratia
 -- 13. de egressu extra portam.
 -- 15. de sacrificio laudis
 -- 20. de magno pastore ovium,

IX. LOCA DIFFICILIORA.

- c. II, 6. seqq. de sensu verborum psalmi octavi.
 -- 11. de una origine sanctificantis & sanctificatorum.
 III, 3, 4. de domo Dei & ejus architecto,

c. IV.

- c. IV, 12. de divisione animæ & corporis, nervorum & medullarum.
 VI, 1. de progressu ad consummationem.
 VI, 4. seqq. de statu relapsorum.
 VII. de ordine h. e. de persona & officio, Melchisedeci cum applica-
 tione ad Christum.
 VIII, 5. de typo in monte ostenso.
 IX, 2, 3, 4, 5. de contentis sancti & adyti.
 X, 5. seqq. de oraculo Davidis Psalm. XL.
 -- 26. seqq. de statu relapsorum.
 XI, 21. de inclinatione Jacobi ad sceptrum Josephi.
 XIII, 10. de altari christianorum judaizantes repellente.
- §. X. PARTITIO & ANALYSIS. Hæc hic est aliquanto difficilior: pos-
 sunt tamen quam commodissime omnia ad tres partes referri: quarum
 prima est *didascalico-pædēutica* de *persona Christi*, insertis pasim momentis
 de *officio* ejusdem. c. I, II, III, IV, V, VI. Secunda itidem *didascalico-pæ-*
dēutica, sed de *officio Christi sacerdotali*. c. VII, VIII, IX, X. Tertia *Paræne-*
tica de *officiis christianorum*. c. XI, XII, XIII..

PARS PRIMA

De

PERSONA CHRISTI.

inserta commemoratione officii ejusdem: ubi

NATURA CHRISTI DIVINA: quæ doctrina

Proponitur, desumptis argumentis*ab appellatione*, qua dicitur *Filius Dei* c. I, 1, 5.*ab opere creationis* v. 2.*a divina majestate*, secundum quam est splendor gloriæ & character
hypostaseos Patris. v. 3.*a prerogativa* præ angelis infinita: ubi comparatio Christi & angelorum
inchoatur productis tribus scripturæ oraculis v. 4, 5, 6.*continuatur* quatuor oraculis aliis v. 7-13. subjuncto effato de na-
tura & officio angelorum v. 14.*Applicatur pædēutice* ad obsequium fidei evangelio Christi præstandum:
id quod*Postulatur*, addito argumento a periculo & damno c. II, 1.*Urgetur* vehementius per argumentationem a majori ad minus: ubi*Antecedens* sub œconomia legis v. 2.

Con-

Consequens sub œconomia evangelii v. 3.

Ratio illationis, a confirmatione evangelii & ejusdem destinatione desumpta v. 4, 5.

NATURA CHRISTI HUMANA; quæ doctrina

Proponitur, & quidem

ut a Davide per prædictionem *indicata* v. 6.

in tempore impleta per assumptionem humanæ naturæ, factam ad humani generis redemptionem v. 14 - 16.

ad officium sacerdotale, in quo illa est præstita v. 17, 18.

Declaratur ab adjuncto, seu statu utroque, exinanitionis & exaltationis qui itidem

proponitur v. 7, 8, 9. conf. v. 6. cohærens.

declaratur, exposita causa & facta applicatione ad christianorum dignitatem v. 10 - 13.

Applicatur: ubi applicationis

Initium c. III, 1.

Argumentum, desumptum

a dignitate & fidelitate officii Christi v. 2 - 6.

ab exemplo Israelitarum veterum, ob gratiæ abusum a promissa quiete exclusorum.

Progressus v. 7 - 11. ubi monitum

repetitum verbis gravissimis, & subjuncto argumento a jam facta Christi participatione v. 12, 13, 14.

illustratum ab exemplo Israelitarum veterum v. 15. fin.

APPLICATIO TRACTATORUM UBERIOR: ubi

Applicatur exemplum Israelitarum a possessione Cananæ exclusorum c. IV. id quod

Proponitur cum adhortatione ad studium ingrediendi in quietem c. IV, 1 - 3, 5, 7.

Illustratur, & quidem

ab exemplo requiescentis Dei v. 4.

ab oraculo Davidis, proposito & per illationem applicato v. 7 - 10.

Inculcatur denuo, additis argumentis,

ab indole & efficacia verbi Dei v. 11, 12, 13.

a sacerdotio Christi, ad accessum & ingressum nos invitante v. 14. fin.

Urgetur officium Christi sacerdotale, jam in antecedentibus argumenti loco commemoratum. c. V. ubi

K k

Sacer-

- Sacerdotii Christi descriptio, & quidem*
ratione typi Levitici 1-4.
ratione antitypi v. 5-11.
Hebræorum, proposita non fatis intelligentium, correptio v. 12. fin.
Præmonetur adversus relapsum c. VI. ubi præmissa præteritione certo-
rum dogmatum v. 1, 2, 3.
Describitur summum relapsus periculum ac damnum, & quidem
per propositionem v. 4. 5. 6.
per illustrationem a diverso agro desumptam v. 7. 8.
Applicantur proposita ad Hebræos, & quidem
sub spe status melioris v. 9, 10.
sub desiderio perseverantiæ, quæ
commendatur secundum exempla veterum, speciatim Abrahami
v. 11-15.
comprobatur a firmitate promissionum divinarum, jure jurando
confirmatarum v. 16-18.
illustratur sub figura ancoræ, v. 19, 20.

PARS SECUNDA

De

OFFICIO CHRISTI,

præcipue sacerdotali.

I. PRÆSTANTIA sacerdotii Christi, demonstrata

E typo Melchisedeci c. VII. quî

Proponitur, & quidem

primum in se secundum diversa membra v. 1-4

deinde cum extensione ad tribum Levi & familiam Aaronis v. 5-10.

tandem cum illatione ad imperfectionem sacerdotii Levitici.

v. 11, 12.

Applicatur ad Christum, sacerdotem ordinis Melchisedeciani v. 13-17.

cum illatione ad abrogationem constitutionis Leviticæ & præ-
stantiam novi testamenti, v. 18-22.

E comparatione sacerdotum Leviticorum & Christi, & quidem ratione

numeri, durationis & efficaciar v. 23-25.

sanctitatis v. 26, 27.

perfectioris v. 28.

Em.

E majestate ipsius sacerdotis c. VIII. v. 1.

Ex objecto sacerdotii sublimi, seu spirituali & cœlesti: id quod

Indicatur v. 2.

Illustratur e typo v. 3, 4, 5.

Confirmatur ex indole promissionum v. 6.

E mutatione testamentorum, ex oraculo Jeremiæ adserta v. 7. fin.

E qualitate veteris testamenti typica, quæ

Proponitur, secundum partes c. IX, 1-8.

Declaratur uberius v. 9, 10.

Compleatur in Christo antitypo, facta argumentatione a minori ad majus v. 11-14.

II. PROPRIETAS sacerdotii Christi, seu novi testamenti v. 15. quod est

Testatoris morte sancitum: id quod

Proponitur generatim de omni testamento v. 16, 17.

Illustratur a sanctione testamenti veteris v. 18-21.

Declaratur ab usu effusi sanguinis generatim v. 22.

Applicatur ad Christi mortem & sanguinem,

ratione veritatis antitypicæ v. 23, 24.

ratione actus monadici v. 25, fin.

Sacerdotio typico adumbratum: c. X. ubi

Adumbratio in typo imbecilli v. 1.-4.

Impletio in antitypo validissimo: quæ est

prædicta oraculo Davidico v. 5-9.

effecta a Christo v. 10.

Efficacia & effectu validissimum ac saluberrimum: id quod

Proponitur, illustratum ab imbecillitate typi v. 11-14.

Declaratur oraculo Jeremiæ v. 15.-18.

III. APPLICATIO ET USUS sacerdotii Christi: ubi

Monitum evangelicum ad ingressum in sanctum, seu in communionem cum Deo arctiorem, descriptum

Ab opportunitate & facilitate v. 19, 20, 21.

A modo sinceritatis & mundationis v. 22, 23.

Ab Adjuncto paroxysmi charitatis & ædificationis v. 24, 25.

Argumentum gravissimum, desumptum

A periculo & damno relapsorum, quod

Indicatur v. 26, 27.

Exaggeratur per argumentationem a majori ad minus v. 28, 29.

Confirmatur oraculo Moïsis v. 30, 31.

A statu stantium pristino, multa afflictione & patientia comprobato v.

32-34.

Kk 2

Mo-

Monitum repetitum ad constantiam: ubi

Ipsum monitum duplex v. 35, 36.

Argumentum, desumptum,

a veritate promissionis de liberatione v. 37.

a salute perseverantium & exitio relabentium v. 38, 39.

PARS TERTIA

De

OFFICIIS CHRISTIANORUM IN RENOVATIONE,

tanquam praxi doctrina

DE PERSONA ET OFFICIO CHRISTI.

- I. SUPPOSITUM praxeos, FIDES, quæ primum paucis descripta respectu naturæ v. 1. testimonii veterum generatim v. 2. & applicationis ad doctrinam de creatione v. 3. deinde illustrata veterum heroum exemplis:

Abelis v. 4. & Henochi v. 5, 6.

Noachi, Dei architecti v. 7.

Abrahami, cujus fidei notantur

Specimina varia v. 8, 9, 17.

Fundamenta immota v. 10, 19.

Saræ vetulæ v. 11, 12.

Horum omnium v. 13 - 16.

Isaaci v. 20. & Jacobi v. 21.

Josephi exodum prædicentis v. 22.

Mosis thaumaturgi, cujus fidem, post fidem parentum, indicat

Animus intrepidus v. 23.

Abnegatio vitæ aulicæ v. 24.

Electio crucis v. 25, 26.

Relictio Ægypti v. 27.

Celebratio paschatis v. 28.

Transitus per mare rubrum v. 29.

Josue in expugnatione Jerichuntis v. 30.

Rachabæ meretricis conversæ v. 31.

Multorum aliorum conjunctim, quorum indicantur

Nomina, ut Gideon, Barak, Simson &c. v. 32.

Facinora egregia, quidem

in editis operibus v. 33-34.

in toleratis afflictionibus v. 35-38.

Characteres fidei, sed cum prerogativa fidelium novi testamenti
v. 39. 40.

II. IPSA PRAXIS, c. XII. & XIII.

In tolerantia adverforum c. XII. ejus

Suppositum, depositio impediens peccati v. 1.

Actus agonisticus. ibid.

Exemplar in Christo v. 2. 3.

Argumenta desumpta

a defectu pugnae necessariae v. 4.

a Dei dilectione, per castigationem in filiis genuinis conspicua v. 5-7.

ab indole spuriorum contraria v. 8.

a simili, seu tolerata castigatione parentum naturalium.
v. 9. 10.

a natura & fructu afflictionum v. 11.

Monita repetita ad fidei parrhesiam & vitae angustias v. 12. 13.

In studio concordiae & sanctimoniae v. 14.

In cura & conservatione aliorum: ubi

Monitum v. 15. huc ref. v. 25.

Argumentum, & quidem

a damno, in exemplo Esavi ostensum v. 16. 17.

a statu fidelium Hebraeorum, qui proponitur
negative v. 18-21.

positive v. 22-24.

a prerogativa regni, seu oeconomiae gratiae v. 25. 26.

Illatio paedutica ad timorem Dei sincerum v. 27. 28.

In praxi bonorum operum, c. XIII. uti sunt

Philadelphia v. 1.

Hospitalitas v. 2.

Liberalitas erga afflictos. v. 3.

Castitas conjugalis v. 4.

Fuga avaritiae & sollicitudinis v. 5. 6.

Obsequium doctoribus praebendum v. 7-17.

Constantia in doctrina evangelica, cultui Levitico opposita v. 8-15.

Beneficentia erga egentes v. 16.

Kk 3

CON.

CONCLUSIO epistolæ: ubi

Petitio de precibus cum significatione bonæ conscientiæ & instantis ad-
ventus v. 18. 19.

Votum evangelicum v. 20. 21.

Monitum de obsequio v. 22.

Promissio adventus v. 23.

Salutatio & votum ultimum v. 24. 25.

CAPUT III.

De

Epistolis Pauli ultimis, post priora vincula
extra & intra Italiam scriptis.

MEMBRUM I.

De

EPISTOLA PRIORE AD TIMOTHEUM.

- I. **P**ERSONA, cui inscripta est, Timotheus: vide quo de passim Part. I. præcipue Sect. II. cap. III. §. I. II. Sect. III. cap. IV. §. V. VI.
- II. **LOCUS** scriptionis Philippi in Macedonia. Locus missionis ad quem, Ephesus. vid. ibid. Sect. III. cap. IV. §. V.
- III. **TEMPUS**: annus
a relicto Ephesi Timotheo vix unus integer.
ab adsumto in ministerium Timotheo decimus quintus.
a munere apostolico trigessimus.
a Christo nato sexagesimus quintus, qui Neronis erat undecimus. Vide Part. I. in fin. Tab. Chronol.
- IV. **OCCASIO**: Paulus ex Italia reversus statum ecclesiæ Ephesinæ, uti prædixerat Act. XX. variis corruptelis, præcipue falsorum doctorum, turbatum invenerat. Quem cum ipse præsens nondum omni ex parte potuisset emendare, in Macedoniam inde profectus, ad plenioram ejus emendationem Timotheum Ephesi reliquerat. Novos ecclesiæ Ephesinæ ex hac præcipue epistola collectos vide supra. Part. I. Sect. III. cap. IV. §. VII. VIII.
- V. **SCOPUS & ARGUMENTUM**: Paulus Timotheum Ephesi relicto, pro ratione status, in quo ecclesiam Ephesinam deprehenderat, per episto-

epistolam hanc sufficienti communit auctoritate, instruitque ejusmodi monitis, quæ ad statum istius ecclesiæ in doctrina, disciplina & vita recte emendandum necessaria erant. Vid. c. I, 3. seqq. III, 14, 15.

VI. SEDES MATERIARUM PRAECIPUAE:

C. I, 5. de summa doctrinæ, præcipue moralis,

-- 5. seqq. de usu legis.

-- 15. 16. de adventu Christi salutifero.

-- 19. de studio conscientia bonæ.

II, 1. 2. 3. 8. de precibus.

-- 4. 5. 6. de gratia Dei & redemptione Christi universali.

-- 9. seqq. de cultu & officio mulierum decenti.

III, 1. seqq. de notis boni pastoris.

-- 16. de mysterio pietatis in Christo.

IV, 1. seqq. de defectione in ultimis temporibus.

-- 8. de præstantia & utilitate pietatis.

-- 15. 16. de cura animæ propria, boni pastoris nota.

V, 1. seqq. de prudentia boni doctoris respectu diverforum vitæ ordinum. Conf. v. 19. 22.

-- 3. seqq. de diversitate & officiis viduarum.

-- 17. 18. de digna laborum æstimatione.

VI, 1. 2. de officiis piorum fervorum.

-- 3. seqq. de heterodidascalia. Conf. v. 20. 21.

-- 6. 7. 8. de ἀνταρξία christiana.

9. seqq. de indole avarorum & divitum. Conf. v. 17. seqq.

VII. LOCA EMPHATICA:

C. I, 5. de summa doctrinæ.

-- 9. de lege justo haud incumbente.

-- 12. de corroborante Domino.

-- 15. de sermone fide & omni receptione digno. Conf. c. IV, 9.

-- 16. de fido in Christo ἐπ' αὐτῷ pro εἰς αὐτόν.

-- 18. de bono certamine.

-- 19. de tuenda conscientia & de fidei naufragio.

-- 20. de traditione in potestatem satanæ.

II, 4. de voluntate Dei universali & ordinata.

-- 6. de antilytro.

III, 2. de necessitate proprietatum boni episcopi.

-- 4. de cura propria familia.

-- 6. de inhabilitate neophytorum.

-- 9. de conscientia mysteriorum custode.

C. III,

- C. III, 15. de columna & firmamento veritatis,
 -- 16. de mysterio pietatis magno,
 IV, 1. de doctrina dæmonum.
 -- 2. de cauterio conscientia.
 -- 5. de innutritio in verbo veritatis.
 -- 7. 8. de exercitio pietatis hujus & futura vitæ promissionem habente.
 -- 12. de typo fidelium.
 -- 15. de cura boni pastoris primaria.
 -- 16. de ordine curæ pastoralis.
 V, 6. de vivis & simul mortuis.
 VI, 3. de sermonibus salubribus & doctrina secundum pietatem,
 -- 4. de animo falsorum doctorum inflato & morbido.
 -- 6. de quæstu pietatis.
 -- 8. de proprietate alimentorum & vestimentorum,
 -- 9. 10. de indole avarorum, & proprietate avaritiæ.
 -- 12. de certando fidei certamine.
 -- 19. de thesauro futuro colligendo.
 -- 20. de deposito, adversus cognitionem falso creditam custodiendo.

VIII. LOCA DIFFICILIORA

- C. I, 3. de hortatione Pauli, respectu apodoseos.
 -- 20. de traditione in potestatem Satanæ.
 III, 16. de mysterio pietatis, speciatim respectu quorundam verborum,
 V, 18. de bove triturante.

IX. LOCA DE JUDÆIS CONVERSIS : Judæos Ephesi habitasse & ad Christum conversos esse multos, notissimum est ex Actis Lucæ, & ipsa epistolæ analysi supra data. Ephesinæ vero ecclesiæ præerat Timotheus, cum hanc ad ipsum epistolam scriberet Paulus. Quare non est mirum, etiam hic occurrere, quæ ad Judæos præcipue pertineant. Huc maxime pertinet locus c. I, 3. 4. de fabulis, genealogiis & quæstionibus Judaicis inutilibus. De his vero audiamus Jo. BRAUNIUM, virum in Antiquitatibus Judaicis versatissimum Select. Sacr. L. I. c. VI. p. 77. seq.

Erant Ephesi multi in ecclesia, qui fabulas & genealogias docebant. Hi fuerunt Judæi natione. Fabulas docuerunt ineptas ipsi etiam gentiles, fateor, de suis diis deabusque. Legendi sunt eorum poetæ, præsertim fabularum conditores, Hesiodus, Homerus, alii. Tamen eos superabant Judæi fabulis suorum Patrum, quas hodie Talmudicas dicunt,

cunt, & quas ecclesie tamquam verbum Dei obtrudere conabantur, quod gentiles de suis ineptiis adfirmare non ausi sunt. Idem existimandum est de *Genealogiis*. Quamvis & ipsi gentiles suas habuerint, maxime deorum dearumque atque heroum principumque, tamen cum *Judeis* conferendi non sunt. Gloriabantur omnes verpæ, se habere Abrahamum patrem Joh. 8. Minimus inter eos cum maximo principe gentilium conferri noluisse dignitate generis & sanctitate. Genus ipsis magnum attulit honorem & prærogativas magnamque sanctitatem. Decem erant gradus sanctitatis personarum, quemadmodum locorum. Kidduschim cap. IV. §. I. *Sacerdotes, Levite, Israelite, Prophani* (quorum pater erat Judæus, mater gentilis, aut pater gentilis & mater Judæa) *Profelyti, Manumissi, Nothi* (extra legitimum matrimonium nati) *Neibenai, Spurii* (quorum maternota erat, non pater) & *Expositi*; quem locum allegavimus de *sanctitate & perfectione summi sacerdotis* §. XII. Inter sacerdotes nonnulli ex summi Pontificis progenie se natos contendebant. Inter Israelitas alius se *nobilem* & בן חורין jaçtabat. Alter jus primogenituræ sibi arrogavit. Alter erat *Prophanus, Nothus, Spurius, aut Expositus*. Quilibet alteri honore & sanctitate præferri volebat. Magno itaque studio omni que contentione allegabant genealogiam. Vanitas ista *questiones* & disidia præbuit potius quam *edificationem*. Eo graviores sæpe fuisse contentiones est verisimile, cum istis temporibus ex *genealogiis* multa perierint. Herodes enim rex Judæorum, cum esset *Idumæus* prosapia, adeoque rex contra legem Dei, quæ postulat, ut rex eligeretur ex *fratribus*, id est ex Israelis progenie Deut. XVII. profelytus factus, jaçtitabat se Judæum ex posteris Abrahami. Ut autem minori difficultate eum Israelitam agnoscerent, & ut ejus genuina ex Idumæis prosapia in occulto lateret, atque familiam Davidis, ex quo indies regem expectabant Judæi, quantum poterat extingueret, tabellas genealogicas, quotquot poterat, combusit, testante *Eusebio, Hist. Eccles. libr. I. cap. VII. natus, inquit, se tum demum nobilem visum iri, cum nemo esset, qui ex publicis monumentis originem generis sui, vel ad Patriarchas, vel ad profelytos, vel ad permixtos Israelitis peregrinos qui יעוֹבָאֵי dicuntur, posset referre*. Ideo factum est, ut multi genus suum difficiliter probaverint; quare & plures indies nascebantur rixæ & contentiones. Omnes sane genealogias comburere non poterat Herodes; plures remanserunt procul dubio apud proceres honestioresque viros, maxime illæ, quæ familias tangebant Sacerdotum, Levitarum, & Davidis: ut, non obstante regis astuta crudelitate, genealogiæ Christi aliorumque notissimæ fuerint omnibus. Hæc BRAUNIVS

X. PARTITIO & ANALYSIS. Hæc post *inscriptionem & salutationem* c. 1, 1. 2. pro capitum partitione: (quæ quidem alias in analysi non attenditur, hic autem ipsi rei non male convenit) partes admittit sex, uti sunt:

I. DOCTRINAE PURITAS adversus CORRUPTELAS conservanda. c. 1, ubi doctrinæ

PURITAS: ejus

Studium v. 3. conf. v. 18. 19.

Summa practica v. 5.

Partes generales

Lex, quæ bona v. 8.

non incumbens justis v. 9.

sed injustis varii generis v. 9. 10.

Evangelium, cujus minister Paulus, qui describitur

ratione itatus pristini v. 13.

ratione conversionis & vocationis ad apostolatam in ty-
pum aliorum per evangelium convertendorum &
salvatorum v. 11. 12. 14. 15. 16.

Adjunctum, *δοξολογία*. v. 17.

CORRUPTELAE, quæ indicantur

Generalius v. 4. 6. 7.

Specialius, & quidem

in re ipsa, seu jactura bonæ conscientia. v. 19.

in exemplis Hymenæi & Alexandri v. 20.

II. CONSTITUTIO COETUS PUBLICI. c. II.

IN PRECIBUS: ubi precum

Species quatuor v. 1.

Objectum, omnes homines v. 1. 2.

Fundamenta,

Dei voluntas & gratia universalis v. 3. 4.

Christi meritum universale v. 5. 6.

per Apostolos annuntiandum v. 7.

Subjctum, viri & fœminæ, cum sancto modo, v. 8. 9.

IN CULTU & MINISTERIO MULIERUM: ubi

Cultus corporis & animæ præscribitur v. 9. 10.

Ministerium publicum prohibetur: ubi

Præceptum negativum, positivo junctum v. 11. 12.

Negationis ratio, desumpta ab ordine

Creatio-

Creationis v. 13.

Lapsus v. 14. subjuncta mentione salutis. v. 15.

III. IDEA BONI ECCLESIAE MINISTRI c. III. & quidem

Episcopi, ubi praemissa commendatione *ἐπισκοπῆς* v. 1, *episcopi* requisita recensentur

Negative v. 3.

Positive, ratione

Vitæ praesentis v. 2.

Disciplinae domesticae v. 4. 5.

Vitæ antecedentis v. 6. 7.

Diaconi: ubi occurrunt

Monita, & quidem

Negativa v. 8.

Positiva de diaconi

persona v. 9. 10.

matrimonio & familia v. 11. 12.

Argumentum, a commodo spirituali desumptum. v. 13.

Not. Subjungitur scopus epistolæ & summa totius doctrinae evangelicæ, v. 14. 15. 16.

IV. PRAEDICTIO APOSTASIAE & INSTRUCTIO TIMOTHEI. c. IV.

Praedictio apostasia, cujus indicatur

Ortus & gravitas v. 1. 2. 3.

Absurditas, simul refutata v. 4. 5.

Instructio Timothei: cui dantur monita

Communia de vitæ pietate, ipsius Pauli exemplo commendata.

v. 7. - 10.

Pastoralia, & quidem

de monitorum praecedentium inculcatione v. 6. 11.

de typo gregi praebendo v. 12.

de laborandi assiduitate v. 13.

de usu charismatum acceptorum v. 14.

de studio proficiendi v. 15.

de observatione sui ac doctrinae v. 16.

V. MONITA PASTORALIA DE DIVERSIS HOMINUM AETATIBUS ac GENERIBUS: c. V. uti sunt:

Senes ac juvenes corripiendi v. 1. 2.

Viduae, quæ vel vetulae, vel juniores

L1 2

Vetulae,

Vetula, quæ

honorandæ v. 3. conf. v. 5.

a liberis & nepotibus alendæ v. 4. 8. 16.

publicis sumptibus sustentandæ v. 9. 10. ubi earum qualitas simul describitur. conf. v. 5.

Juniores, quæ

reprehendendæ & fugiendæ ob crimen

lasciviæ v. 6. 7. 11.

defectionis v. 12.

curiositatis & pigritiæ. v. 13.

Matrimonio iterum jungendæ v. 14. 15.

Presbyteri, qui

reverenter habendi v. 17. 19.

ab ecclesia alendi v. 18.

Peccatores, qui

publice & ἀπροσωπολήπτως reprehendendi, v. 20. 21.

probe distinguendi respectu indolis manifestæ & occultæ v. 24. 25.

Not. Inferitur monitum triplex ad Timotheum:

Primum de fugienda peccatorum participatione v. 22.

Secundum de castitate, ibid.

Tertium de cura valetudinis v. 23.

VI. MONITA ALIA de servis, falsis doctoribus avaris & divitibus.**SERVI**, quibus injungitur erga heros

Reverentia c. VI, 1.

Serviendi προθυμία & fidelitas v. 2.

DOCTORES FALSI, qui describuntur pluribus v. 3. 4. 5.**AVARI**, quibus

Commendatur pietas cum ἀνταρκεία. v. 6. 7. 8.

Exprobratur, seu describitur avaritia, ut exitialis v. 9. 10.

Not. Hic inseritur *pathetica prosphonestis* ad ipsum Timotheum, qua ipsi commendatur

Fuga avaritiæ, heterodidascalix matris v. 11.

Certamen bonum fidei. v. 12.

Observatio preceptorum. v. 13. 14. 15. 16.

DIVITES: quibus

Prohibetur fastus & fiducia vana divitiarum v. 17.

Præcipitur studium ditescendi bonis operibus v. 18. 19.

CON-

CONCLUSIO continet repetitum epiphonema ad Timotheum de fuga martirologia, una cum voto v. 20. 21.

MEMBRUM II.

De

EPISTOLA AD TITUM.

- I. **P**ERSONA, ad quam scripta est epistola, Titus, de quo vide supra Part. I. Sect. II. cap. II. §. XV. Sect. III. cap. IV. §. III.
- II. **LOCUS** scriptionis: Macedonia, speciatim Nicopolis, aut ejus vicinia, Vid. ibid. Sect. III. Cap. IV. §. IX. X. Ubi etiam reliqua hujus epistolæ momenta historica videantur.
- III. **TEMPUS**: annus
a relicto in Creta Tito secundus
a conversione seu munere apostolico trigesimus,
a Christo nato sexagesimus quintus, qui Neronis erat undecimus.
- IV. **OCCASIO**: quæ triplex:
 1. *Scopus Pauli, cur Titum in Creta reliquerat. c. I, 5. seqq.*
 2. *Falsi doctores, inter Cretenses ab ipso Pauli deprehensi c. I, 10. seqq; c. III, 9. 10. 11.*
 3. *Desiderium Titum Nicopoli videndi, ipsumque coram pluribus instruendi c. III, 12.*
- V. **SCOPUS & ARGUMENTUM**: Paulus Titum, in Creta ad res ecclesiæ ordinandas relicto, per epistolam instruit partim sufficienti auctoritate, partim consiliis monitisque, ad constitutionem ecclesiarum Cretensium & ad doctrinam vitamque adversus errorum ac impietatis corruptelas præmuniendam necessariis, & simul Titum ad se arcescit, promittens, se Tychicum in ipsius locum esse submissurum; cujus etiam gratia jam in antecessum hanc ipsam epistolam scripsit. Quod enim scriptum erat Tito, non poterat non etiam sibi dictum reputare Tychicus.
- VI. **SEDES MATERIARUM PRAECIPUAE**:
 C. I. 1. 2. 3. de evangelio.
 -- 6. seqq. de notis boni pastoris.
 II, 2. seqq. de officiis hominum diversæ ætatis ac sortis.
 -- 7. 8. de typo doctrinæ & vitæ in bono pastore.
 -- 11. seqq. de scopo & efficacia gratiæ evangelicæ.

L1 3

C. II,

- C. II, 14. de scopo & effectu meriti Christi.
 III, 4-7. de fundamento & ordine salutis, speciatim de efficacia baptismi.
 -- 8. 14. de statu bonorum operum.
 -- 10. 11. de fuga hæreseos ac hæreticorum.

VII. LOCA EMPHATICA.

C. I, 2. de agnitione veritatis secundum pietatis indolem.

- 4. de filio genuino.
 -- 9. de doctrina salubri, c. II, 1.
 -- 13. de elencho curatiore, & de sanitate fidei, Conf. c. II, 2.
 II, 7. 8. de typo doctrinæ & vitæ.
 -- 10. de ornanda doctrina.
 -- 11. 12. de gratia salutari & castigante.
 -- 13. de Christo, Deo magno.
 -- 14. de redemptione, & populo peculiari.
 III, 4. de Dei gratia.
 -- 5. de lavacro regenerationis & renovationis.
 -- 7. de nexu justificationis & hæreditatis.
 -- 8. de sermone fidei, & de studio bonorum operum.
 -- 11. de hæretico *αὐτοκατακρίτω*.

VIII. LOCA DE JUDÆIS ET JUDAIZANTIBUS INTER CRETENSES
vide c. I, 10. 14. 15. c. III. 9. Conf. Act. II, 11.

X. PARTITIO & ANALYSIS. Hæc post *inscriptionem* emphaticam c. I, 1. 2. 3. & post *salutationem* v. 4. commode duas habet partes, quarum prior agit de *doctoribus* c. I. posterior de *auditoribus* c. II. III.

PARS PRIOR DE DOCTORIBUS c. I. eorum

Constitutio in urbibus Cretæ v. 5.

Vita, descripta

Negative, remotis vitiis v. 6. 7.

Positive, commendatis virtutibus. v. 8.

Officium didascalico-elencticum v. 9. ejus

Objectum, matæologi, eorum

Corrupta doctrina v. 9. 10.

Impia vita v. 12. 16.

Functio in refutatione v. 11. 13.

Scopus & fructus v. 13. 14. 15.

PARS POSTERIOR DE AUDITORIBUS c. II. III. ubi

Monita, secundum normam sanæ doctrinæ, v. 1. 15. & quidem respectu.

C. II,

Senum

Senum utriusque sexus v. 2, 3, 4.

Juniorum utriusque sexus v. 4, 5, 6.

Titii ipsius in præbendo doctrinæ & vitæ typo v. 7, 8.

Servorum v. 9, 10.

Subditorum erga magistratum & omnium erga omnes. c. III, 1, 2.

Argumenta, desumpta

a Dei gratia erudiente c. II, 11, 12.

a spe æternæ gloriæ v. 13.

a Christi redemptione v. 14.

a vitæ pristinæ conditione c. III. v. 3.

a Dei gratia denuo, uti & ab ordine salutis v. 4-7.

Monita ad Titum

de commendatorum inculcatione v. 8.

de matæologiæ & hæreticorum fuga v. 9, 10, 11.

CONCLUSIO continet *monita* quædam personalia v. 12, 13, 14. nec non *salutem*, & *votum* v. 15.

MEMBRUM III.

De

EPISTOLA AD EPHESIOS.

I. **E**CCLESIA, ad quam scripta est. Hæc plantata ab ipso Paulo. Vide supra Part. I. Sect. II. cap. III. §. XXXVIII. cap. IV. §. II-XII. conf. §. XXV, XXVI.

II. **LOCUS** scriptionis. Roma in vinculis posterioribus. Id quod probatum vide supra Part. I. Sect. III. cap. V. §. II, III. ubi etiam, uti & in reliquis locis citatis *momenta* epistolæ hujus *historica* videantur.

III. **TEMPUS** scriptionis: qui annus

ab apostoli conversione trigessimus.

ab Ecclesia Ephesina plantata decimus

a Christo nato sexagesimus quintus, qui Neronis erat undecimus.

III. **OCCASIO**, quæ præter plantationem ecclesiæ ante decem annos factam, & præter hinc ortum affectum Ephesiis inserviendi erat duplex præcipue:

Una, metus scandalii apud ipsos ex afflictionibus Pauli exoritur c. III, 1, 13.

Alter metus corruptelarum, a prædictis lupis inter Ephesios ex parte jam exortarum & posthac exoriturarum Act. XX, 29. Eph. III, 1, 13.

IV, 14. Conf. Apoc. II, 4. 1. Tim. I, 3. seqq.

V. SCO

V. SCOPUS & ARGUMENTUM; docet, Judæos & gentiles Ephesi ad Christum conversos in uno Christo, tanquam sub capite & in corpore membra, habere communionem gratiæ, sublato omni discrimine; & utrorumque esse, ut, superatis afflictionum scandalis & doctrinæ vitæque corruptelis, Deo serviant pure & incorrupte, & hanc Dei cultum reliquis christianismi officiis probent.

VI. SEDES MATERIARUM PRÆCIPUÆ:

Cap. I, 3. seqq. de electione, nec non de acquisitione, applicatione & promulgatione salutis.

-- 17, 18. de illuminatione continuata.

-- 19, 20. de origine fidei divina.

-- 20. seqq. de statu exaltationis Christi.

Cap. II, 1, 2, 3. de statu hominis naturali.

-- 4. seqq. de statu gratiæ & restitutionis.

-- 11, 12. de statu gentium naturali.

-- 13. seqq. de restitutione per Christum.

-- 19. de ecclesia, domo Dei e Judæis & gentilibus constructa.

Cap. III, 5. seqq. de œconomia evangelii.

-- 26. seqq. de interioribus regni Dei in homine.

-- 18, 19. de abundantia divini amoris.

Cap. IV. 3. seqq. de unitate & communione spirituali.

-- 11, 12, 13. de diversis ministerii evangelici partibus & gradibus.

-- 13. seqq. de soliditate & incremento structuræ spiritualis in corpore Christi mystico.

-- 17. seqq. de statu gentilium naturali.

-- 22. seqq. de renovatione in exuendo veteri & induendo novo homine.

-- 30. de Spiritu Sancto non contristando.

Cap. V, 2. de redemptione Christi.

-- 7. seqq. de communione impiorum fugienda.

19, 20. de usu musicæ spiritualis.

22. seqq. de officio conjugum, & de mysterio conjugii cum Christo mystici.

Cap. VI, 1. seqq. de officiis in societate œconomica.

10. seqq. de militia & armatura spirituali, speciatim de precibus v. 18, 10.

VII. LOCA EMPHATICA

Cap. I, 3. de benedictione spirituali.

-- 4. de electione in Christo.

-- 7. de redemptione Christi & fructu ejus primario.

Cap. I,

Cap. I, 10. de anacephalæosi in Christo.

- 13, 14. de obsignatione & pignore hæreditatis.
- 18. de oculis mentis spiritualibus.
- 19, 20. de divina operatione & efficacia in excitatione fidei.
- 22, 23. de Christo, ecclesiæ capite, omnia in omnibus implente.

Cap. II, 2. de maligno spiritu in infidelibus operante.

- 3. de filiis iræ, natura talibus.
- 5, 6. de excitatione spirituali e morte, &c.
- 8. de salute, Dei dono.
- 10. de nova creatione, bonorum operum causa. conf. v. 15,
- 12. de atheis in mundo.
- 14. de Christo pace nostra.
- 18. de accessu in uno spiritu ad Patrem.
- 20. de Christo angulari lapide.
- 22. de domicilio Dei in Spiritu.

Cap. III, 6. de communionem Judæorum & gentilium spirituali.

- 8. de divitiis Christi haud investigabilibus.
- 9. de Deo omnium conditore per Christum.
- 10. de sapientia Dei multifariam tali.
- 12. de accessu ad Deum per Christum.
- 16. de corroboratione interioris hominis secundum divitias gloriæ.
- 17. de inhabitatione Christi.
- 18. de magnitudine divini amoris secundum omnes dimensiones.
- 19. de amore Christi omnem cognitionem superante, & plenitudine Dei nos implente.
- 20. de potentia Dei in fidelibus se exferente.

Cap. IV, 1. de ambulatione, quæ vocatione est digna.

- 3. de unitate spiritus in vinculo pacis.
- 12. de ædificatione corporis Christi.
- 13. de viro perfecto ad mensuram staturæ Christi.
- 14. de periculis corruptelarum in doctrina & vita.
- 15. de studio veritatis in caritate.
- 16. de nexu & incremento corporis Christi spiritualis.
- 18. de callo pectoris.
- 19. de propudiosa libidine.
- 20. de phrasi: discere Christum.
- 21. de veritate in Christo.
- 22, 23, 24. de vetere & novo homine & de renovatione mentis.
- 30. de Spiritu Sancto nos obsignante & haud contristando.

M m

Cap. V.

Cap. V, 2. de Christo odore bonæ fragrantia.

- 4. de *εὐτραπείᾳ* prohibita.
- 8. de fidelibus, qui e tenebris lux in Domino.
- 14. de excitatione e somno spirituali.
- 15. de officio curate ambulandi.
- 16. de tempore redimendo.
- 19. de musica cordis.
- 27. de decore & ornatu ecclesie.

Cap. VI, 1. de locutione: *in Domino*.

- 5. de simplicitate cordis.
- 10. de robore spirituali.
- 3. seqq. de panoplia Dei.
- 16, 17. de clypeo fidei, galea salutis & gladio spiritus.
- 18. de precum exercitio.
- 24. de iis, qui Christum amant *ἐν ἀφθαρσίᾳ*.

VIII. LOCA DIFFICILIORA:

Cap. II, 2. de principe potestatem aeris habente.

Cap. III, 10. de principatibus & potestatibus cœlestibus.

- 15. de Deo Patre, omnis *πατριᾶς* auctore.
- 18. de quatuor amoris divini dimensionibus.

Cap. IV, 8. seqq. de Christi adscensu & descensu.

- 8. de fidelibus e Christi carne & ossibus.

IX. LOCA DE JUDÆIS AD JUDÆOS hic adeo manifesta sunt, ut Ephesii utriusque generis etiam in ipsa analysi hic non incommode fuerint distinguendi. Nec est dubium c. IV, 14. præcipue ad corruptelas purioris doctrinæ judaicas respici.

X. PARTITIO & ANALYSIS. Hæc duas habet partes, quarum prior est *dogmatica*, c. I. II. III. posterior *practica*, seu *pædeutica*. c. IV. V. VI.

PARS PRIOR *dogmatica* de *universalitate gratiæ evangelicæ* dignoque ejus usu. Ubi, post inscriptionem & salutationem, describuntur

GRATIÆ CONSORTES: qui

JUDÆI, quibus obtigit in Christo beneficium

Benedictionis c. I, 3.

Electionis: cujus describitur

Actus ab æterno factus v. 4.

Finis medius & ultimus v. 4, 6.

Principium *εὐδοκία* voluntatis v. 5.

Fundamentum, redemptio Christi v. 6.

Fructus, remissio peccatorum & illuminatio. v. 6, 7.

Reve.

Revelationis, seu manifestationis & annuntiationis evangelicæ cum prærogativa temporis præ gentibus reliquis v. 8-12.

GENTILES, speciatim Ephesii, quibus

Communione gratiæ tribuit, & quidem in ordine auditionis, receptionis & oblationis v. 12, 13.

Incrementum & divitias ejusdem apprecatur; ubi voti hujus

Occasio, auditio de Ephesiis v. 15.

Forma, in precibus eucharisticis v. 16.

Materia, cognitio salutaris, & quidem

Dei ipsius v. 17.

Spei vocationis & hæreditatis v. 18.

Potentia divinx, demonstrata

in excitatione fidei v. 19.

in exaltatione Christi v. 20. fin.

UTRIQUE: ubi

Status nature, & quidem

Gentilium c. 11, 1, 2.

Judæorum v. 3.

Status gratiæ: ejus causa

Impellens, Dei gratia v. 4.

Formalis, regeneratio, justificatio &c. v. 5, 6, 8, 10.

Promerens, talis

positive, meritum Christi v. 5, 6, 7, 10.

negative, nostra merita v. 8, 9.

Finalis, & quidem

ex parte Dei, demonstratio gratiæ, v. 7.

ex parte hominum, præparatio ad bona opera v. 10.

Illatio ad gentiles: ubi gentium

Status pristinus valde miser v. 11, 12.

Status novus, beatissimus in Christo, qui reconciliatis Judæis & gen-

tilibus pacem

Promeruit & stabilivit

Per redemptionem in cruce v. 13, 15, 16.

Per parietis intergerini abrogationem v. 14.

Publicavit utrisque ad accessum ad Deum v. 17, 18.

Illatio ad eosdem gentiles de civitate ipsorum spirituali & jure domestico v. 19. fin.

PRECES PRO DIGNO GRATIÆ USU: ubi earum

Mm 2

Sub.

Subiectum, Paulus vincetus c. III, 1. qui ob affectum & rei necessitatem in parenthesi agit de munere suo apostolico, cujus indicatur

Collatio v. 2, 7, 8.

Adjunctum, Pauli cognitio & sapientia v. 3, 4.

Objectum, mysterium evangelii de reconciliatione Judæorum & gentilium v. 5, 6.

Scopus in præconio hujus mysterii ad communionem gratiæ v. 9-12.

Illatio de afflictione Pauli, quæ sine offensione recte dijudicanda. v. 13.

Objectum, ad quod diriguntur, Deus Pater v. 14, 15.

Materia, quæ

Corroboratio interioris hominis v. 16.

Inhabitatio Christi v. 17.

Comprehensio mysterii gratiæ v. 18.

Cognitio caritatis Christi agnitionem omnem transcendentis v. 19.

Clausula, δοξολογίαν continens. v. 20, 21.

PARS POSTERIOR PRACTICA seu PÆDEUTICA: ubi

MONITA UNIVERSALIA AD OMNES: ubi commendatur

Vita vocatione digna, speciatim in demissione, mansuetudine, patientia & caritate conspicua c. IV, 1, 2.

Concordia & consensus: ubi

Monitum v. 3.

Argumenta v. 4-6.

Expositio de varietate *charismatum* v. 7. quorum indicatur

Dispensatio secundum oraculum Davidis v. 8-11.

Scopus, qui sanctorum

Instauratio, ad exemplum Christi v. 13.

Confirmatio, corruptelis opposita v. 14.

Studium veritatis in caritate, symmetricam corporis Christi ædificationem efficiente v. 17, 18.

Sanctimonia vite, statui gentilium pristino opposita: ubi

Status pristinus v. 17.-19.

Translatio ex eodem per disciplinam Christi facta v. 20, 21.

Sanctimonia ipsa, respectu hominis

Novi induendi. v. 23, 24. conf. v. 32.

Veteris exuendi, & quidem

Generatim v. 22.

Speciatim, & quidem quoad

verbi

Verba mendacia v. 25.

Affectum iracundiæ v. 26, 27.

Opera diversa v. 28-31.

Imitatio divini amoris, qui in Deo Patre & filio c. V, 1, 2.

Puritas vite, rebus impuri oris & operis opposita v. 3.-5 subjuncta
præmonitione v. 6.

Fuga pravi consortii, quæ fieri debet

Per averſationem: ubi

Monitum v. 7, 11.

Argumentum v. 8, 9.

Adjunctum, divinæ voluntatis exploratio v. 10.

Per correptionem: ubi

Monitum v. 11.

Argumentum, defumtum

a corripendorum turpitudine v. 12.

a correptionis fructu, qui

proponitur v. 13.

declaratur oraculo Jesaïæ v. 14.

Prudens conversatio: ubi commendatur

Vitæ ængiſtea v. 15.

Digna temporis observatio, seu collocatio v. 16.

Prudentia ipsa in cognitione divinæ voluntatis v. 17.

Impletio, seu uberior mensura Spiritus: ubi ejus

Oppositum in ebrietate & asotia v. 18.

Effectus & characteres

in musica spirituali v. 19.

in eucharistia v. 20.

In subjectione membrorum subordinata v. 21. a quo monito

sequens specialis tractatio dependet.

MONITA SINGULARIA: ubi officii sui admonentur

Conjuges, & quidem

Uxores: ubi

Monitum v. 22.

Argumentum, a Christo & ecclesia, in conjugio representata,

defumtum v. 23, 24.

Mariti: ubi

Monitum de amore v. 25.

Argumentum defumtum ab amore Christi erga ecclesiam: id

quod

Mm 3

Pro.

Proponitur v. 25.

Declaratur ab effectu v. 26, 27. conf. v. 29, 30.

Commendatur epiphonemate v. 32.

Monitum repetitum v. 28.

Argumentum desumptum

ab æquo ἐαυτοφιλίας v. 28, 29.

ab oraculo Mosis v. 31.

Conclusio epiphonematica hujus materiæ v. 33.

Liberi: ubi monitum & argumentum c. VI, 1-3.

Parentes, negative & positive v. 4.

Servi, ubi

Monitum v. 5, 6.

Argumentum v. 7, 8.

Heri, qui itidem monentur subjuncto argumento v. 9.

CONCLUSIO c. VI, 10. fin. ubi commendatio

Militia christiana: ejus

Suppositum, corroboratio v. 10.

Hostes v. 12.

Arma, commendata

Generatim, respectu panopliz v. 11, 13.

Speciatim & quidem

Balteus veritatis v. 14.

Thorax justitiæ. ibid.

Calceamentum pacis evangelicæ v. 15.

Clypeus fidei v. 16.

Galea salutis v. 17.

Gladius spiritus ibid.

Precum, earum

Modus v. 18.

Objectum, Paulus v. 19, 20.

Tychici grammatophori v. 21, 22.

Accedit votum v. 23, 24.

MEMBRUM

MEMBRUM IV.

De

EPISTOLA AD TIMOTHEUM POSTERIORE.

- I. **L**OCUS scriptionis: Roma in vinculis posterioribus. Id quod supra demonstratum vide Part. I. Sect. III. cap. V. §. IV.
- II. **L**OCUS missionis, seu terminus, ad quem, Ephesus. Vide supra I. c. §. V. VI. VII. seqq. ubi etiam momenta reliqua hujus epistolæ historica videantur.
- III. **T**EMPUS scriptionis: annus
 a relicto Ephesi Timotheo tertius.
 a scripta priori epistola secundus jam completus.
 ab adsumto in ministerium Timotheo decimus septimus.
 a Pauli conversione trigessimus secundus.
 a Christo nato sexagesimus septimus, qui Neronis erat decimus tertius ante Pauli mortem unus circiter. Vide tabulam chronologicam sub finem Partis I.
- IV. **O**CCASIO & CAUSSA SCRIBENDI: quæ
 Primaria, instans Pauli mors, videndi desiderium gignens c. I, 4.
 IV, 6-9. 21.
 Secundaria, quæ diversa.
 Timothei lacrymæ, videndi desiderium augentes.
 Pauli desertio c. I, 15. IV, 10, 11. 16.
 Thecæ librariæ relicto c. IV, 13.
- V. **S**COPUS & ARGUMENTUM: Paulus, a parastatis peregrinis Romæ in vinculis posterioribus desertus, & morti vicinus, ad se arcescit Timotheum, cum eo de rebus ecclesiæ coram pluribus collaturus. Quia vero adventus Timothei incertus erat, & is, etsi Paulum denuo videret, nova egebat instructione ad res ecclesiæ prudenter, sancte & cum auctoritate moderandas, ipsum simul necessariis monitis instruit, ratione personæ & officii sui: expositoque statu suo expetit, ut Timotheus thecam librariam una cum libris Troade relictam secum ferat. c. IV.
- VI. **S**EDES MATERIARUM PRAECIPUAE.
 Cap. 1, 7. 8. de charismatis Spiritus Sancti ad parrhesiam evangelicam necessariis.
 -- 9. 10, 11. de evangelio.

C. I, 13.

- C, I, 13. 14. de servanda doctrinae hypotyposi.
 II, 1. seqq. de officio boni pastoris & antistitis. conf. v. 15. & v. 24. 25. 26.
 -- II. 12. de communione cum Christo in utroque statu.
 -- 20. 21. de diversis Dei vasis, seu ecclesiae ministris.
 III, 1. seqq. de facie ultimorum temporum.
 -- 12. de afflictionibus piorum.
 -- 15. 16. 17. de scriptura sacra.
 IV, 1. seqq. de fidelitate muneris pastoralis.
 -- 6. seqq. de laxa conscientia moribundi, praecipue boni doctoris.

VI. LOCA EMPHATICA

- C, I, 3. de pura conscientia.
 -- 5. de fide fuci experte.
 -- 6. de resurrectione charismatum.
 -- 7. de Spiritu timoris, roboris, amoris ac moderationis.
 -- 8. de parrhesia & *παρορμησία* cum evangelio adversatolerandi.
 -- 10. de vita & *ἀφθαρσία* in lucem per Christum producta.
 -- 12. 13. 14. de deposito adservando & tuendo, & de hypotyposi salubrium verborum.
 II, 1. de corroboratione spirituali.
 -- 2. de hominibus fidis & aptis ad ministerium evangelii.
 -- 3. 4. 5. de indole boni militis Christiani.
 -- 8. de memoria Christi resuscitati.
 -- 11. 12. de communione fortis in Christo & christianis.
 -- 15. de idea boni operarii. conf. v. 24. 25.
 -- 17. de gangraena errorum.
 -- 19. de sigillo fundamenti firmioris.
 -- 20. de vase electo.
 -- 25. de poenitentia ad cognoscendam veritatem.
 -- 26. de laqueis diaboli inebriantibus.
 III, 5. de specie pietatis simulata & virtute ejus abnegata.
 -- 13. de seductis & seducentibus.
 -- 14. 15. de usu & efficacia scripturae sacrae.
 IV, 2. de praconio verbi non intermittendo.
 -- 3. 4. de vocatione falsorum doctorum.
 -- 5. de fidelitate boni praconis,
 -- 7. 8. de agone & cursu Pauli coronante.
 -- 10. de cosmophilia Demæ.
 -- 13. de theca libraria, qui *locus* solus in hac epistola est aliquanto
difficilior.

VIII. PAR-

VIII. PARTITIO & ANALYSIS. Hæc hic est difficilior, Possunt tamen omnia referri ad quinque partes, uti sunt

III. TRIPLEX ADHORTATIO, c.I. qua commendatur

Suscitatio donorum: ubi

Antecedens,

Significatio amoris & desiderii v. 3. 4.

Mentio charismatum collatorum v. 5.

Ipsa adhortatio v. 6.

Argumentum a collatione donorum desumptum v. 7.

Tolerantia aduersorum cum evangelio: ubi

Ipsa adhortatio v. 9.

Argumentum, desumptum

a præstantia evangelii v. 9. 10.

ab exemplo Pauli v. 11. 12.

Depositum doctrine, cum hypotyposi fidei ac caritatis tuendum: ubi

Ipsa adhortatio v. 13. 14.

Argumentum desumptum

a desertorum perfidia v. 15.

ab Onesiphori fidelitate v. 16--fin.

III. MONITA ALIA PASTORALIA c.II. ubi commendatur

Fortitudo spiritualis & constantia militaris sub cruce: ubi

Monitum v. 1.

Adjunctum in constitutione fidorum parastatarum. v. 2.

Illustratio, desumpta ab officio

Militis v. 3, 4.

Athletæ v. 5.

Agricolæ v. 6.

Epiphonema pædeutico-didascalicum. v. 7.

Memoria Christi resuscitati, tanquam nuclei evangelici, afflictionibus obnoxii: ubi

Nucleus resurrectionis evangelicus virenti memoria tenendus v. 8.

Afflictiones, quæ ejus causa

Tolerata a Paulo v. 9. 10.

Toleranda ab omnibus sub spe gloriæ v. 11--13.

Cum pastoralis

in prohibenda logomachia v. 14.

in fidelitate laborum & orthotomia verbi v. 15.

in fuga νενοφωρίας: ubi

Nb

Moni-

Monitum v. 16.

Argumentum desumptum a noxio falsorum doctorum exemplo: id quod

Propositur v. 17, 18.

Illustratur sub imagine vasorum diversorum.

Applicatur ad fugam v. 19, 21.

in studio iustitiae, cum fuga voluptatum conjuncto. v. 22.

in fuga questionum inutilium & contentiosarum: ubi

Monitum v. 23.

Argumentum, desumptum ab officio boni doctoris didactico & elenctico; ejus

Praxis v. 24.

Fructus v. 25, 26.

III. FACIES ULTIMORUM TEMPORUM PRAEDICTA: c. III, ubi pessimorum hominum

Exortus, ultimis temporibus v. 1.

Mores corruptissimi: qui

describuntur v. 2--7.

illustrantur ab exemplis Jannæ & Jambrae v. 8. cum subjuncta epicrisi. v. 9. quæ repetitur v. 13.

Oppositum, in exemplo laudabili

Pauli afflictissimi v. 10, 11.

Timothei recte instituti in scripturis divinis v. 14-- fin.

IV. MONITA ULTIMA de sedulitate & fidelitate muneris c. IV, ubi

Monitum gravissimum v. 1, 2.

Argumentum desumptum

a conditione tristi futurorum temporum v. 3, 4.

Monitum iteratum v. 5.

Argumentum, desumptum a morte Pauli instante: quam

Indicat v. 6.

Exspectat, & quidem

cum lata vitæ transactæ conscientia v. 7.

sub spe certa futuræ gloriæ v. 8.

V. CONCLUSIO: ubi

Monita, & quidem

de maturando adventu: ubi

Monitum ipsum v. 9. conf. v. 21.

Argumentum a desertione parastatarum desumptum v. 10--12.

de afferenda theca libraria v. 13.

Narra-

Narratio, & quidem

de Alexandro fabro v. 14, 15.

de desertione amicorum v. 16.

de auxilio & patrocinio Domini v. 17, 18.

de Erasto & Trophimo v. 20.

Salutationes diversæ v. 19, 21.

Votum duplex v. 22.

SECTIONIS I.

APPENDIX

De

EPISTOLIS PETRI, JACOBI,
JUDÆ & JOANNIS,

EPISTOLÆ PRIORIS

APOSTOLI PETRI

PROLEGOMENA ET DISPOSITIO.

- I. **A**UCTOR, Petrus *Ἰερόπνευστος* } de his vid. comment. in hanc
 II. **O**BJECTUM personale, seu quibus } Ep. c. I, v. 1.
 III. **L**OCUS & IV. **T**EMPUS scriptionis; Ille Babylon. hoc annus Christi
 fti incertus. vid. Comment. c. V, 12.
 V. **O**CCASIO hanc epistolam scribendi. Hæc fuit triplex:
 1. Cognitus Status Judæorum, in dispersione ad Christum converforum:
 qui erat conspicuus:
 1. fide in Christum; Cap. I, v. 1, 2, 5, 7, 8, 9, 11.
 2. renovationis exercitio Cap. I, v. 3, 14, 15, &c.
 3. hinc resultante varia afflictione Cap. I, v. 6, 7. &c. ideoque egebat
 confirmatione didascalica, pædeutica, paracletica.
 2. Conditio Petri, qui *κατ' ἐξοχήν* erat minister circumcisionis, seu Ju-
 dæorum ad Christum adducendorum & fide confirmandorum. Gal. II,
 v. 9.

Nn 2

v. 9.

v. 9. ideoque præ reliquis Apostolis obstrictus, ut Ecclesiæ Christi, e Judæis collectæ, curam gereret.

3. Adventus & discessus Silvani Cap. V, 12. Nam hic Silvanus, seu Silas, fidus Pauli comes & parastata in itinere per Asiæ provincias & ecclesias instituto Act. XV, 36 - 40, 41. a Paulo ex ejusdem consilio digressus, adiit Babylonem, Petrum, qui ibidem tunc degebat, Evangelii causa invisurus. Hic statum istarum ecclesiarum afflictum, jam antea non plane ignotum, procul dubio Petro plenius enarravit, & uti probabile est, addidit, ex illa disceptatione publica, quam cum ipso Paulus habuerat Antiochiæ Gal. II, 11. seqq. cum offensione infirmorum passim sparsum esse rumorem, Petrum in causa Evangelii a Paulo dissentire, neque recto pedo incedere ad veritatem Evangelii. Fortasse Silvanus Petrum, jam per se adscribendas litteras pronum, movit, ut se, ad Antiochenos revertentem, litteris ad istas ecclesias datis, & modo dictis rerum momentis accommodatis, instrueret. E diversa autem hac scribendi occasione, atque causa cognoscitur scriptio

VI. SCOPUS & ARGUMENTUM, quod est:

1. Didascalicum, confirmare fideles in doctrina, gratia & fide Evangelica, semel recepta; atque ita re ipsa suum cum Paulo & Sila in eadem consensum testari de his vid. cap. V, 12, 13.
2. Pædeuticum, excitare ad dignum gratiæ seu Evangelii usum in indefesso renovationis exercitio atque cursu, cum generatim respectu omnium, tum speciatim ratione diversarum vitæ conditionum considerato. cap. I, 14, 15, 22. &c.
3. Paracleticum, consolari ac erigere afflictos, seu Evangelii ac Christianismi causa divexatos, & posthac gravius divexandos Cap. I. 6. seq. &c.

VII. STILUS seu dicendi genus est sanctum ac venerabile, magna ex parte, pro affectus abundantia, copiosum, ac quasi catenatum, artissimo *συναφία* nexu, qui diversas res, aut diversa rerum momenta, pro cognatione sua copulat, cohærens.

VIII. DISPOSITIO, seu ANALYSIS, post titulum, qui exprimit auctorem, inscriptionem & salutationem c. I, v. 1. 2. sistit tractationem didascalicam, pædeuticam, paracleticam; & quidem non seorsum, sed conjunctim, ita ut tria hæc tractandi genera, pro vicinitate sua & affectu Apostoli, inter se permisceantur. Ut vero memoria aliquod habeat subsidium, didascalia & pædia commode poterit considerari sejunctim, paraclesi ad utramque relata.

DIDA-

DIDASCALIA est brevior, commendans doctrinam de veritate, magnitudine & præstantia gratiæ Evangelicæ, jam receptæ c. 1, v. 3 -- 13. ubi
 THESIS: *Verissima, ingens ac præstantissima gratia nobis in Christo obtigit: quæ* propositio latet in gratiarum actione, ex affectu sic prolata v. 3. utpote qui non permisit, ut hæc summi momenti thesis directe & nude proponeretur: nec enim oratorem agere voluit Apostolus ex arte, nec logicum.

Theseos probatio: a

regeneratione ad spem vivam v. 3.

futura gloriæ hæreditate v. 4.

intercedente divina conservazione: ubi hujus

indoles, seu forma v. 5.

status sub afflictione v. 5, 7.

scopus, æterna gloria ibid. it. v. 6, 8.

adminiculum ex parte nostri, fides ibid.

consensu, testimonio & investigatione prophetarum v. 10. 11.

promulgatione Apostolorum v. 12.

desiderio Angelorum ibid.

Probationis nervus cum illatione ad fidei & spei perseveranturæ corroboracionem v. 13.

PÆDIA & quidem

Generalis, ubi commendatur

1. vitæ sanctimonia,

negative v. 14.

positive a

Dei { sancta natura v. 15.

{ sancto præcepto v. 16.

{ sancto justoque judicio v. 17.

Christi redemptione v. 18 - 21.

2. *Φιλαδέλφια*, ubi ejus

indoles v. 22.

principium, regeneratio: ejus

natura v. 23.

medium, semen verbi, quod

incorruptibile cum opposito v. 23, 24.

in æternum durabile v. 25.

3. Incrementum in Christianismo, cujus

suppositum, depositio malorum cap. II, 1.

indoles seu forma in spirituali

Nn 3

alimen-

alimento assumendo v. 2, 3.
 templo exstruendo, cujus
 fundamentum v. 4. quod
 positum & probatum v. 4, 9
 reprobatum v. 7, 8.
 structura, fideles v. 5.
 usus in sacrificiis mysticis, ibid.

argumentum, a præstantia status præsentis in gratia v. 9, 10.

adjunctum, vitæ innocentia, ubi monitum & argumentum v. 11, 12,

Specialis, respectu

Subditorum erga magistratus, ubi

monitum v. 13, 14, 15.

argumentum a

Dei voluntate v. 15.

libertatis Christianæ indole v. 16.

adjunctum in timore Dei & amore fratrum v. 17.

Servorum erga heros, ubi

monitum de subjectione & patientia

argumentum a

Dei gratia & conscientia bonitate: id quod

proponitur v. 19.

illustratur a contrario v. 20.

nostri vocatione v. 21.

Christi exemplo: hujus

obligatio v. 21.

ratio in

innocentia v. 22.

patientia. v. 23.

scopus v. 24.

effectus v. 25.

Uxorum erga maritos; ubi

monitum de

subjectione c. III, v. 1.

casta conversatione v. 2.

cultu corporis, descripto

negative v. 3.

positive v. 4.

argumentum a

scopo

scopo lucrandi maritos v. 1, 2.

priscis piarum matronarum exemplis v. 5. 6.

Maritorum erga uxores, ubi monitum & argumentum v. 7.

Generalis. Ubi commendatur

Fraterna animorum consensio v. 8.

Tolerantia & parrhesia in adversis : ubi

monitum v. 9. 14.

argumentum a

ratione vocationis, quod

proponitur v. 9.

illustratur loco Davidico v. 10--12.

tuto in imitatione boni v. 13.

beato & utili in perpesione mali v. 14. 17.

Christi exemplo: hujus

passio: ejus

ratio v. 18.

consequens, Christi prædicatio v. 19. 21.

gloria v. 22.

adjunctum, Dei veneratio & decens apologia v. 15.

Tolerantia adversorum denuo: ubi

adversa cum adversariis judicandis c. IV. v. 4. 5. 6.

monitum v. 1.

argumentum a

Christi exemplo repetito ibid.

tolerantiæ fructu in renovatione: ejus

indoles v. 2.

contrarium v. 3.

adjunctum adhortatio ad pietatem in

mentis sobrietate & precibus v. 7.

fraterno amore v. 8.

hospitalitate v. 9.

digno charismatum usu v. 10. 11.

Tolerantia adversorum porro: ubi

adversa multa & magna v. 12. 14. 17. 18.

monitum v. 12.

argumentum a

Christi exemplo & communione v. 13. 14.

futura gloria v. 13.

præsenti beatitate v. 14.

Dei

Dei voluntate v. 19.
 adjunctum, vitæ innocentia v. 15, 16, 19.
Specialis & quidem ad
 Seniores: ubi
 monens: c. V. v. 1.
 monitum v. 2, 3.
 argumentum v. 4.
 Juniores v. 5.
Generalis, respectu omnium ad
 humilitatem v. 5, 6.
 fiduciam ἀμέριμον v. 7.
 sobrietatem & vigilan-
 iam incommuni aduersorum sorte v. 8, 9.

CONCLUSIO

qua continetur

Votum pro corroboratione in agnita & accepta gratia v. 10.

Δοξολογία v. 11.

Epistolæ occasio & argumentum repetitum v. 12.

Salutationes reciprocæ v. 13, 14.

Comprecatio v. 14.

EPISTOLÆ POSTERIORIS
 APOSTOLI PETRI,

PROLEGOMINA ET DISPOSITIO.

- I. **A**UCTOR. Simon Petrus, discipulus & Apostolus Jesu Christi
 θεοπνευστος Act. II, 3. 14. 2 Cor. V, 20. spectator transformationis
 Christi, in monte factæ c. 1. v. 16. conf. Matth. XVII. v. 1. seq. fra-
 ter Pauli dilectus c. III, 14.
- II. AUCTORITAS eadem, quæ epistolæ prioris h. e. divina, quia ab eo-
 dem Apostolo θεοπνευστως scripta est vid. c. III, 1. ubi epistolæ prioris
 mentio fit. Nec obstat, a quibusdam olim de hujus epistolæ auctori-
 tate fuisse dubitatum, cum longe plures eam, tanquam genuinam, re-
 ceperint in canonem, quorum testimoniis ejus γνησιότης postea uni-
 versalem assensum, quam per se ipsa meretur, in ecclesia Græca & La-
 tina obtinuit.
- III. OBJECTUM PERSONALE hic idem, quod in priori epistola, scilicet Ju-
 dæi

dæi per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam dispersi, sed ad Christum conversi, quemadmodum constat ex collatione ep. 1. c. I. v. 1. & epist. 2. Cap. III, 1. ubi Petrus: Hanc jam, inquit, carissimi, secundam vobis scribo epistolam. Judæi habebant propheticum sermonem, ad quem provocat c. I, 19. tanquam *λόγια τῆς θεῆς*, ipsis peculiariter concredita Rom. III, 2. utpote Mosen & prophetas habentibus Luc. XVI, 29. Et cum ad eosdem Hebræos Paulus epistolam scripsisset, ejus mentionem facit Petrus, hoc ipso testatus, se ac Paulum iisdem ecclesiis scripsisse: in quibus vero jam olim multos, & nunc plurimos, fuisse e paganis ad Christum conversos, nullum est dubium. Conferantur, quæ in Comment. in hanc Epist. ad Cap. I. v. 1. dicta sunt. Omisit autem Apostolus hic voces *ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς κ. τ. λ.* quia posteriorem epistolam scripsisse videtur post ejusmodi temporis, a scripta priori computati, intervallum, quo numerus fidelium, e paganis per regiones Ponti &c. conversorum, ita accreverat & cum Judæis in unum ecclesiæ corpus coaluerat, ut fideles Judæi a fidelibus e paganis non amplius ita distinguerentur, uti antea, utpote numero jam pauciores. Fideles vero e paganis scripta prophetarum jam tum non minus sua fecerant, quam Judæi.

IV. LOCUS & TEMPUS scriptionis. Utrumque haud legitur expressum. Probabile autem est, posteriorem hanc epistolam eodem scriptam esse loco, quo prior, h. e. in urbe Babylon, Chaldææ metropoli. Tempus a Baronio in annum Christi 63. refertur. Ipse Petrus Cap. I, 14. testatur, se eam scripsisse morti vicinum: quo respectu convenit cum epistola Pauli posteriore ad Timotheum, instantis mortis nuntia.

V. OCCASIO fuit cum mors instans, iterandam scriptionem svadens c. I, 14. seqq. tum periculum, plantatis ecclesiis a pseudoprophetarum & emperætarum corruptelis imminens c. II, 1. seqq. III, 3. Huc accedit conditio Petri, cui fors apostolatus præcipue inter dispersos obtigerat Gal. II, 9. Unde intelligebat, se hisce maxime esse obstrictum ad ministerium evangelicum.

VI. SCOPUS & ARGUMENTUM: quod facile cognoscitur e scribendi occasione, utpote pro qua est didascalico prædeuticum. Didascalicum in confirmatione doctrinæ semel traditæ & receptæ. Prædeuticum partim in excitatione ad vitæ sanctimoniam, doctrina evangelica dignam; partim in præmunitione adversus corruptelas *ψευδοδιδασκαλῶν*, jam præsentium, & præcipue adhuc oriturorum. Vide epistolæ argumentum ab ipso Apostolo inter alia c. I, 12. seqq. satis clare propositum: Quapropter non negligam, vos semper commonere de his,

Oo

tametsi

„tamen si sciatis, & confirmati sitis in præfenti veritate. Justum autem
 „duco, quamdiu sum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonitio-
 „nem, & studebo, ut subinde vos post exitum meum horum mentionem
 „facere possitis. It. III. v. 1. Hanc jam alteram vobis, carissimi, scribo
 „epistolam, in quibus per commonefactionem excito vestram sinceram
 „mentem, ut memores sitis verborum &c. De stilo vide, quæ in epi-
 „stolæ prioris prolegomenis in Comment. dicta sunt. Nec enim is a di-
 „ctione illius epistolæ discrepat, uti non nullis visum fuit. Aut si qua
 hic adest discrepantia, ea a materiæ aliarumque circumstantiarum di-
 versitate, nequaquam a diverso auctore, dependet.

VII. ANALYSIS & DISPOSITIO post titulum, qui auctorem, inscriptio-
 nem & salutationem v. 1. 2. continet, exhibet partes hujus epistolæ
 duas, quarum prior est didascalico-pædeutica, posterior didascalico-
 elenctica.

PARS PRIOR DIDASCALICO-PÆDEUTICA:

Propositio de collatis per Christum gratiæ donis v. 3. 4.

Illatio seu applicatio gemina

Prior ad dignum donorum istorum usum, in renovationis studio,
 seu catenatarum virtutum exercitio: ubi

Ipsa illatio; de servanda virtutum catena: cujus octo sunt
 articuli:

πίστις fides

ἀρετὴ virtus

γνώσις cognitio Erläutniß

ἐγκράτεια die Enthaltung

ὑπομονὴ die Gedult/ Ausdauerung

εὐσέβεια pietas

Φιλαδελφία amor erga fratres

ἀγάπη, amor, nimirum communis.

Illationis confirmatio, eaque itidem gemina:

prior in commendatione catenatarum virtutum, ducta
 ab istius praxeos

exercitiæ commodo in luculentiore Christi agnitio-
 ne v. 8.

neglectæ damno in summa mentis cæcitate v. 9.

posterior in exercitatione ad vocationis & electionis cor-
 roboracionem: ubi

ipsa illatio v. 10.

ejus ratio a fine & fructu v. 11.

Poste-

Posterior ad officium apostolicum adhortatione explendum ;
quæ illatio triplex :

prima v. 12.

secunda v. 13. ubi

ipsa illatio de commonefactione v. 13.

ejus ratio ducta ab instante morte v. 14.

tertia v. 14. seqq. ubi itidem

ipsa illatio de commonefactione ad servandam doctrinæ &
vitæ Evangelicæ integritatem v. 15.

illationis ratio, quæ

proponitur, desumpta a doctrinæ evangelicæ præstantia &
ipsius Christi majestate, oculis & auribus percepta
v. 16. 17. 18.

illustratur ab auctoritate & consensu scriptorum propheti-
corum : id quod
proponitur v. 19.

confirmatur v. 20. 21.

PARS POSTERIOR DIDASCALICO-ELENCTICA: de falsis doctoribus
& illusoribus; eaque gemina,

Prior Cap. II. ubi sistuntur ipsorum

Nomina: vocantur

falsi doctores v. 1.

animalia bruta v. 12.

maledictionis filii v. 14.

fontes aqua carentes v. 17.

nubes a ventis agitatae ibid.

servi corruptionis v. 19.

Doctrina corruptissima, cujus

Ratio præcipue est in
abnegatione Christi v. 1.

deserta via recta v. 15.

propugnata concupiscentiæ & voluptatis adiaphoria, in
Christi abnegationem cedente v. 18. 19.

Effectus, qui est

seductio multorum v. 2. 14. 15. & inde orta

blasphemia adversus nomen Christianum v. 2.

Instrumentum, quod est

fucata eloquentia v. 3. 18.

esca voluptatis v. 14. 18.

- promissio libertatis v. 19.
 Adjunctum, criminatio adversus veritatem v. 12.
Vita impurissima, in qua dominatur
 avaritia, quod vitium
 proponitur v. 13. 14.
 illustratur exemplo Bileami desipientis v. 15. 16.
 libido, cum polluendi turpitudine v. 10.
 audacissima blasphemia, quod crimen
 proponitur v. 10. 12.
 illustratur exemplo bonorum Angelorum contrario v. 11.
 luxuria v. 13.
 adulterium v. 14.
Pena, quæ describitur, ut
 ab ipsis attracta v. 1.
 jam olim denunciata v. 3.
 illustrata exemplo vindicatorum
 malorum angelorum v. 4.
 hominum antediluvianorum v. 5.
 Sodomitarum & Gomorrhæorum: quod exemplum
 proponitur v. 6.
 illustratur exemplo pii Lothi servati: id quod
 in hypothese proponitur v. 7. 8.
 ad thesin applicatur v. 9.
 certo irroganda v. 12. 13.
Effectus, qui est in multorum seductione: ubi
 seducti multi v. 2. 18.
 ipsa seductio, facta per promissionem libertatis v. 19.
 seductionis periculum: quod
 proponitur v. 20. 21.
 illustratur similitudine a canibus & porcis desumpta v. 22.
Posterior, de irrisoribus: ubi
 Antecedens, de indicato epistolæ scopo
 Prædictio de futuris irrisoribus, quorum
 vita impura v. 3.
 illusio adversus Christi adventum directa v. 4.
 Refutatio per
 exemplum mundi antediluviani v. 5. 6.
 denuntiatum interitum mundi præsentis v. 7.

Conse-

Consequens, informatio de novissimis, quæ
 datur cum significatione causæ moræ v. 8, 9, 10.
 applicatur ad pietatis studium, quæ applicatio gemina est.
 prior, cum promissione novi mundi conjuncta v. 11, 12, 13.
 posterior v. 14, 15.
 confirmatur testimonio Pauli: id quod generatim
 proponitur v. 15.
 a corruptelis vindicatur v. 16.

CONCLUSIO epistolæ continet

admonitionem ad
 custodiam nostri v. 17.
 incrementum Christianismi ibid.
 δοξολογίαν ibid.

De

EPISTOLA JACOBI.

- I. **A**UCTOR, JACOBUS, non ille, qui Zebedæi filius & frater Joannis, alias Jacobus major dictus, sed filius Alphæi, frater Domini ob cognationem vocatus, alias cognomento Justus, frater Judæ. Vide Matth. X, 2, 3.
- II. **A**UCTORITAS: quæ canonica, testibus HIERONYMO aliisque multis veterum: de qua auctoritate & ipso auctore videatur ABRAHAM, CALOVIUS Bibl. Illustr. in Prolegom. hujus epistolæ.
- III. **E**CCLÉSIA, cui scripta: generatim ea, quæ e Judæis in dispersione inter gentes versantibus collecta erat. Vid. c. I, 1.
- IV. **T**EMPUS & **L**OCUS scriptionis. De his nihil certi potest definiri. Ex argumento tamen ejus colligitur, eam serius esse scriptam, post Pauli & Petri epistolas. Non enim Jacobus ecclesias amplius instruit in doctrina de merito Christi & de justificatione, sed quia illa jam tum recepta, at in abusum, seu peccandi licentiam, versa erat, huic vitæ impietati occurrit, salutaris doctrinæ praxin urgens: id quod etiam primarium fuit argumentum epistolæ Joannæ primæ. Immo non desunt vestigia allegatæ epistolæ Pauli ad Galatas & prioris Petri. Vid. Jac. IV, 5. coll. Gal. V, 17. Jac. IV, 6. coll. 1. Pet. V, 5.

V. OCCASIO: hæc jam indicata est, scilicet abusus evangelii, libertate christiana, quæ solius spiritus est, in carnis licentiam conversa, & persuasione vana pro fide venditata. Vide cap. II.

VI. SCOPUS & ARGUMENTUM. Jacobus christianis, e Judaismo præcipue ad Christum conversis, sed per carnalem vitæ securitatem ad evangelii abusum prolapsis, veterum illum excutit, eosque variis monitis, ad vitæ sanctimoniam & ἀκρίβειαν necessariis, instruit, afflictos ante omnia erigens solatio evangelico, maxime autem vivam & efficacem fidei indolem urgens.

VII. SEDES MATERIARUM PRÆCIPUÆ:

Cap. I, 2. seqq. de christianorum afflictionibus. conf. v. 12.

- - 5, 6, 7, 8. de fidenti precum indole.

- - 10. seqq. de divitibus, & divitiarum vanitate.

- - 13, 14, 15. de tentationibus malis

- - 17. de origine & indole bonorum donorum.

- - 18. de regeneratione.

- - 21. seqq. de verbo Dei, ejusque praxi.

- - 27. de charactere veri cultus divini.

Cap. II, 1. seqq. de ἀπροσωποληψία in cœtu publico.

- - 8. seqq. de lege ejusque praxi.

- - 14. seqq. de fide, ejus natura & differentia.

Cap. III, 1. de doctoris munere non affectando.

- - 2. seqq. de vitio & regimine linguæ.

- - 13. seqq. de differentia & criteriis veræ ac falsæ sapientiæ.

Cap. IV, 4. de amicitia Dei & mundi.

- - 11. de judicio temerario fugiendo.

- - 13. seqq. de arbitrio humano ad voluntatem Dei restringendo.

- - 17. de peccatis omissionis.

Cap. V, 1. seqq. de vitiis divitum ac avarorum.

- - 15. seqq. de efficacia precum piarum.

- - 19, 20. de correptione fraterna.

VIII. LOCA EMPHATICA

Cap. I, 2. de gaudio in afflictionibus.

- - 4. de perfectione christiana.

- - 5. de dandi simplicitate.

- - 8. de viro δουλόχῳ.

- - 12. de corona vitæ.

- - 14, 15. de gradibus peccati actualis.

Cap. I.

- - 17. de Deo mutationis omnis experte.
- - 18. de regeneratione.
- - 21. de efficacia verbi infiti.
- - 25. de lege libertatis pervidenda.
- Cap. II, 7. de bono christianorum nomine.
- - 8. de præcepto caritatis regio.
- - 20. de fide sine operibus mortua.
- Cap. III, 6. de lingua, mundo iniquitatis.
- - 9. de homine ad imaginem Dei condito.
- - 15, 17. de characteribus veræ ac falsæ sapientiæ.
- Cap. IV, 4. de mundi amicitia amicitia Dei inimica.
- - 8. de appropinquatione ad Deum.
- - 15. de voluntate Dei, nostræ voluntatis norma.
- Cap. V, 1. seqq. de indole divitum & avarorum, uti & voluptuosorum.
- - 15, 16. de efficacia & effectu precum seriarum.

IX. LOCA DIFFICILIORA.

Cap. II, 21. seqq. de justificatione per opera.

V, 14. de extrema unctiōne.

Pertinet huc connexionis difficultas, quæ passim deprehenditur in locis per se quidem haud obscuris.

X. PARTITIO & ANALYSIS. Hæc est difficilis ob varietatem argumenti & difficultatem connexionis. Ut tamen lectoris memoria etiam hic aliquod subsidium inveniat, exhibebo dispositionem aliquam pro numero capitum.

I. Informatio quadruplex, & quidem

Tentatorum: ubi

Monitum de gaudio c. I, v. 2.

Argumentum, desumptum a probatione & fructu fidei. v. 3.

Adjunctum de patientia v. 4.

Monitum iteratum de beato tentationis eventu v. 12.

Informatio

de origine & gradibus malorum in tentatione ad malum v. 13. 16.

de origine bonorum v. 17, 18.

Precantium: ubi

Monitum de precum objecto & forma v. 5, 6.

Illustratio, a contrario desumpta v. 6, 7, 8.

Pauperum & divitum: ubi

Moni-

Monitum ad utrosque v. 9, 10.

Argumentum, desumptum a gloriæ ac divitiarum inconstantia. v. 10, 11.

Omniū, & quidem

de moderatione iræ ac linguæ v. 19, 20. Conf. v. 26.

de recipiendo Dei verbo ejusque digna praxi: id quod

Proponitur v. 21, 22.

Illustratur a contrario & absurdo v. 23, 24.

Confirmatur ab indole boni auditoris v. 25.

de charactere divini cultus v. 27.

II. DISCUSSIO ERRORIS DE FIDE: c. II. qui duplex

Unus de fidei *προσωποληψία*: ubi error

Indicatur v. 1.

Illustratur exemplo v. 2, 3, 4.

Refutatur ductis rationibus

ab electione Dei v. 5.

a divitum vitiis v. 6, 7.

a violatione legis, reatum attrahente v. 8-11. subjuncto epiphonemate. v. 12.

ab immiseri cordium judicio v. 13.

Alter de fidei inanitate: ubi

Ipsè error v. 14.

Erroris discussio, facta

ab absurdo fidem sine caritate jactantium, quod exemplo demonstratur v. 15, 16, 17.

a proprietate operum fidem probante v. 18.

a discrimine fidei veræ & diabolicæ v. 19, 20.

ab exemplis justificatorum

Abrahami: quod

Allegatur v. 21.

Applicatur v. 22--24.

Rachabæ v. 25.

a natura fidei v. 26.

III. DOGMA PRACTICUM DUPLEX, c. III.

Unum de moderatione linguæ: ubi

Occasus ab affectatione muneris didactici, seu magisterii, desumpta v. 1, 2.

Imagines, moderationem linguæ illustrantes, desumptæ

a regimine equi v. 3.

a moderamine navis v. 4.

Vitisa

Vitia lingue v. 5 - 10.

Vitiorum istorum exprobratio v. 10, 11, 12.

Alterum de indole & praxi veræ sapientiæ: ubi

Monitum de sapientiæ praxi v. 13.

Oppositum, sapientia falsa ejusque characteres v. 14, 15, 16.

Descriptio veræ sapientiæ a proprietatibus ejus desumpta v. 17, 18.

IV. OBJURGATIO IMPROBORUM, c. IV. & quidem

Contentiosorum v. 1, 2.

Voluptuosorum v. 3, 4.

Tumidorum & impurorum v. 5, 6, 7-10. conf. v. 16.

Obtreclatorum v. 11, 12.

Temerariorum v. 13 - 15. accedit epiphonema de peccatis omissionis. v. 16.

Divitum c. V, 1, 2, 3.

Oppressorum & luxuriantium v. 4. 6.

V. ADHORTATIO VARIA: ubi commendatur

Patientia, & quidem

Argumentis v. 7, 8, 9.

Exemplis prophetarum & *Jobi* v. 10, 11.

Simplicitas & *sinceritas* in dictis v. 12.

Exercitium precum, præcipue in morbis: quod commendatur

Argumentis v. 13. -- 16.

Exemplo Eliæ v. 17, 18.

Correptio fraterna v. 19, 20.

DE EPISTOLA JUDÆ.

I. **A**UCTOR, Judas Thaddæus, seu Lebbæus, Alphæi filius, Jacobi Justi & Simonis Cananæi frater. Vide Matth. X, 3. Act. 1, 13. qui in Ægypto, nec non in Mesopotamia, Ponto & Perside, docuisse dicitur.

II. AUCTORITAS, quæ canonica. Vide ARET. & CALOV. in Prolegom.

III. ECCLESIA, cui scribitur. Hæc est universalis, eorum tamen maxime locorum, quæ Apostolus luce evangelii collustraverat. Unde lectores suos generatim *vocatorum*, *sanctorum* & in christo *conservatorum* nomine appellat, v. 1.

pp

IV. LO.

- IV. LOCUS & TEMPUS** scriptionis ignorantur. Scriptam tamen esse se-
rius, paulo post epistolam posteriorem Petri, ex eo colligitur, quod
quandam ejus epitomen continet, & quod mentionem facit prædictio-
num apostolicarum v. 17.
- V. OCCASIO.** Hanc præbuerant spiritus plani, seu impostores, qui Dei
gratia ad peccandi licentiam traducta, exemplo suo doctrinæ & vi-
tæ puritatem corrumpabant, ideoque ab Apostolo gravissime redar-
guuntur.
- VI. SCOPUS & ARGUMENTUM:** modo dictis doctrinæ & vitæ corru-
ptelis obviam ire & fideles adversus easdem in doctrinæ integritate
confirmare ac ad vitæ sanctimoniam paucis excitare.
- VII. SEDES MATERIARUM PRÆCIPUÆ:**
- v. 4. de abusu gratiæ.
 - v. 6. de lapsu angelorum.
 - v. 9. de certamine Michaelis, archangeli, cum diabolo super corpo-
re Mosis.
 - v. 10. seqq. de spiritibus planis. Conf. v. 18, 9.
 - v. 14, 15. de prophetia Henochi & extremo judicio.
 - v. 22, 23. de ædificatione proximi.
- VIII. LOCA EMPHATICA.**
- v. 2. de multiplicatione misericordiæ, pacis & caritatis.
 - v. 3. de certamine super fide.
 - v. 4. de abusu gratiæ & abnegatione Domini.
 - v. 6. de principio & domicilio angelorum.
 - v. 7. de sequela post carnem alteram.
 - v. 12. de nubibus ἀνύδρως & arboribus bis mortuis.
 - v. 16. de tumore eloquii.
 - v. 19. de animalibus spiritu carentibus.
 - v. 20. de ædificatione super fide sanctissima.
- IX. LOCA DIFFICILIORA:**
- v. 4. de olim proscriptis ad judicium.
 - v. 6. de angelorum lapsu & judicio.
 - v. 8. de certamine Michaelis.
 - v. 23. de polluta a carne tunica.
- X. PARTITIO & ANALYSIS.** Hic post *inscriptionem & salutationem* v. 1, 2.
occurrit:
- Propositio pædemptiva* de certamine super fide semel tradita, defectioni
opposita v. 3.
- Confirmatio* constans dehortatione & adhortatione: ubi

Debor-

Dehortatio a defectione, desumptis argumentis

a seductorum presentia & indole v. 4.

ab exemplis judiciorum divinatorum in deficientes

Israelitas ex Ægypto servatos v. 5.

Angelos apostatas v. 6.

Sodomitas & Gomorrhæos v. 7.

a seductorum turpitudine varia, speciatim

Libidinis nefandæ v. 8.

Blasphemix v. 8. 9. 10.

Vitæ Cainiticæ & Bileamiticæ, v. 11.

Luxuriæ v. 12. 13.

Tumoris queruli v. 16.

a judicio ipsorum extremo v. 14. 15.

a prædictione apostolorum reliquorum v. 17. 18. 19.

Adhortatio duplex:

Una ad perseverantiam in fide & caritate v. 20. 21.

Alteram ad emendationem aliorum v. 22. 23.

Accedit δοξολογία v. 24. 25.

ISAGOGE GENERALIS

IN EPISTOLAM I. JOANNIS,

Generalia totius epistolæ momenta, ejusdem-
que analyfin & dispositionem, continens,

MEMBRUM PRIUS

De

*Septem momentis hujus epistolæ generalibus, nimirum de descriptionis I. Au-
ctore. II. Objecto. III. Loco. IV. Tempore. V. Occasione. VI.
Scopo & Argumento. VII. Stilo.*

I. **A**UCTOR hujus epistolæ, citra ullam controversiam, est Apосто-
lus, & Evangelista Joannes, etsi ejus nomen non gerat in fron-
te, sed sit ἀτιτλος. Vir hic Dei, Spiritu Sancto ductus, existi-
mavit, ipsius materiæ & stili harmoniam, quæ epistolæ cum historia ev-
angelica intercedat, sufficere ad ejus auctoritatem, e re potius ipsa, quam
e scri-

P p 2

e scribentis nomine & officio æstimandam. Et cum Evangelium Joannis, uti probabile est, jamtum in plurimorum manibus esset, hæc vero epistola ecclesiæ ab ipso Joanne partim coram, partim per fide dignos testes, tanquam apostolicum depositum, in nomine Christi traderetur; sua epistolico hoc monumento auctoritas omnino poterat constare, etsi sine expresso auctoris nomine prodiret. Id quod inter reliquos e venerando patrum choro agnovit EUSEBIUS, qui Hist. Eccles. L. VII. c. 25. e Dionysio Alexandrino sequentia tradit: *Concordant inter se evangelium & epistola. Similia sunt utrobique exordia. Evangelium in principio inquit erat verbum. Epistola, quoderat, inquit, ab initio. Evangelium & verbum, inquit, caro factum est & habitavit in nobis & vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti a Patre. Epistola eadem habet parumper immutata. Quod audivimus, inquit, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostra contrectaverunt de verbo vite, & vita manifestata est. Nam ista præfatus adhuc est, ut, sicut in sequentibus patet, hæreticos impugnaret, qui Dominum in carne verisse, negant. Qua propter etiam ista accurate conjunxit. Et quod vidimus testificamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, que erat apud Patrem & manifestata est nobis: quod vidimus & audivimus, annuntiamus vobis. Huic immo- natur & a proposito non discedit, sed per hæc capita & nomina cuncta tractat: quorum nos breviter aliqua commemorabimus. Qui attente legit, inveniet utrinque frequenter vitam, frequenter lucem, deborationem a tenebris, creberrime veritatem, gaudium, carnem ac sanguinem Domini, judicium, peccatorum remissionem, dilectionem Dei erga nos, præceptum nos invicem diligendi, servanda esse cuncta præcepta, redargutionem mundi, diaboli, & anticristi, promissionem spiritus Sancti, adoptionem Dei, fidem ubique a nobis expetitam, ubique Patrem & Filium; & si per omnia character utriusque notetur, prorsus unus & idem Evangelii & Epistola color reperietur κ. τ. λ. Conferatur FLACIUS præf. in Joannem de argumenti ac stili convenientia. Hic JOANNES, non sine eventu sic dictus a voce Hebraica יְהוָה / seu יְהוּי (quæ κεχαρισμένον seu κεχαριτωμένον, gratia adfectum, einen von Gott sonderlich begnadigten notat) frater Jacobi majoris & filius Zebedæi, piscatoris Matth. X, 2. ipse piscator Matth. IV, 21. a Jesu vocatus ejus disciplinæ se commisit Cap. I. & ab ipso constitutus est Apostolus. Notanda in eo sunt momenta sequentia, ipsi præreliquis peculiariora.*

1. A Christo insignitus fuit nomine Βοανεργῆς (quæ vox e Syriaca formata) quod est ἡὸς βροντῆς filius tonitru, quasi tonans & fulminans βροντόφωνος, seu fulminaturus in officio apostolico, singulari cum doctrinæ pondere atque efficacia: conf. Ps. XXIX, 3. seqq. LXII X, 3. 4. Habuit vero hoc nomen commune cum fratre suo Jacobo. Marc. III, 17.

2. Cum

2. Cum Petro & Jacobo a Christo peculiariter assumptus fuit in montem Tabor, & in selectum locum oliveti Matth. XVII, 1. c. XXVI, 37. Ut & transformationis, gloriosæ, & profundissimæ κενώσεως testis esset αὐτόπτης & αὐτήκοος. Conf. Luc. VIII, 51. Cum iisdem habitus est pro columna ecclesiæ. Gal. II, 9.
 3. Christo κατ' ἐξοχὴν fuit carus Jo. XIII, 23. XIX, 26. XX, 2. ἀνακείμενος ἐν τῷ κόλπῳ Ἰησοῦ ἐπιπεσῶν ἐπὶ τὸ στήθος Ἰησοῦ Jesu in sinu ad petus proxime asfidens, & quasi discipulis ἐπικόλπιος & ἐπιστήθιος, Der Schoos- und Brust-Jünger Jesu. Jo. XIII, 23. 25. XXI, 20.
 4. Reliquis discipulis adhuc metu latitantibus, cum Maria, Christi matre, stetit sub Cruce Jesu, insignem suum erga ipsum amorem testatus Jo. XIX, 26. Primus quoque e discipulis ad sepulchrum venit post ἀνάστασιν Christi Jo. XX, 2.
 5. Stilo seu sermonis genere utitur plane singulari ac egregio, de quo vide paulo post.
 6. Non solum hic apostolus fuit Evangelista simul, sed etiam solus ex apostolis fuit κατ' ἐξοχὴν propheta novi testamenti, nimirum in Apocalypsi omnium Veteris Testamenti prophetarum clave.
 7. Præ reliquis Apostolis fuit μακρόβιος, seu ævi longioris, ætatis & honoris causa nomen presbyteri & theologi nactus: vide inscriptionem Apocalypseos, nec non secundæ & tertię epistolæ. Solus, postquam Romæ imperante Domitiano ex oleo ferventi in columis exiverat, ex insula, Patmo, in libertatem restitutus, Ephesi evangelio & epistolis scriptis, naturali morte obiisse dicitur, & quidem sub ipsum finem seculi primi.
- II. OBJECTUM, seu illi ad quos Joannes scripsit. Hi sunt generatim omnes Christiani, in oriente, seu in Asia, & inter hos (uti Augustino, sed sine solido fundamento visum est) præcipue Parthi, seu in Parthia, partim ex ipsa Parthorum, partim ex Israelitarum inter eos dispersorum gente ad Christum conversi. Unde, quia generatim omnibus fuit destinata, vocatur epistola καθολική; quemadmodum vetus habet inscriptio.
- III. LOCUS hic ignotus est: Fortasse Ephesus, ubi præ reliquis locis Apostolus, in primis e Patmo redux, commoratus esse legitur.
- IV. TEMPUS: etiam hoc est incertum: Baronius illud non incommode refert ad seculi primi finem, seu ad annum Christi 99. & 25. ab excidio Hierosolymitano. Probabile enim est Joannem hanc epistolam scripsisse Ephesi, post suum e Patmo reditum.

V. OCCASIO hæc fuit multiplex

1. Doctrinæ purioris, speciatim ejus, quæ de Jesu Christi *θεανθρωπος* persona & officio agit, corruptelæ, per falsos doctores & præcipue per Cerinthum factæ, saltem tentatæ. Conf. Irenæum, Polycarpi, qui Joannis discipulus fuerat, discipulum L. III. cap. 11.
2. Doctrinæ purioris, speciatim ejus, quæ de satisfactione, justificatione, & remissione peccatorum, agit, abusus, factus ad vitæ impietatem, seu securitatem Epicuræam.
3. Afflictiones, quas pii ab impiis sustinebant vid. c. III. 1. 13. quod quidem doctrinæ momentum parcius attingitur: Ex hac vero occasione facile cognoscitur

VI, SCOPUS ac argumentum epistolæ: quod pro occasionis, seu causæ impellentis, diversitate est

Didascalico - elencticum, repetita & denuo confirmata doctrina de Christo, & hinc emergente summa evangelii, redarguere falsos doctores, & fideles adversus insultus eorum munire.

Pædæutico - epanorthoticum, graviter reprehensio turpi illo evangelii abusu, damnataque peccandi licentia fidei fructus & Christianismi praxin in charitatis officiis urgere, & hac ratione cum fidei puritate puritatem, seu sanctimoniam, vitæ conjungere ac commendare.

Paracleticum, erigere ac confirmare afflictos in adversorum tolerantia c. III. 1. 13. Meretur huc transcribi argumentum Athanasii in hanc epistolam: Hoc nomine vocatur & ipsa epistola, propterea quod a Joanne evangelista scripta est, ut commonesceret eos, qui jam in Dominum crediderant. Et primum quidem perinde atque in Evangelio, ita & in hac epistola, de verbi divinitate disserit, ostendens illud in Deo semper esse, ac docens Patrem esse lucem, ut verbum ita cognoscamus ex Patre esse, tanquam fulgorem a luce. Differens autem de divinitate verbi, exponit, fidei nostræ mysterium non esse rem novitiam, sed esse sempiternum ab initio, nunc vero manifestatum in Domino, qui vita est sempiterna & verus Deus. Causam etiam, ob quam verbum ad nos venerit, & apparuerit, ponit, hanc videlicet, ut opera Diaboli dissolveret, ac nos morte liberaret, efficeretque, ut patrem agnosceremus & Filium Dominum nostrum Jesum Christum. Scribit igitur ad quamvis ætatem, ad pueros, ad adolescentes, ad senes, quod Deus innotuerit, diabolica vero operatio, deleta morte, devicta sit. Quod reliquum est, per totam epistolam dilectionem docet, volens, ut nos invicem alius alium diligamus, propterea quod Christus dilexit nos. Disserit itaque de differentia timoris & dilectionis filiorum diaboli, de peccato mortifero, & non mortifero, de differentia spirituum, discernitque, quisnam spiritus ex Deo, quis vero seductionis sit, & quando cognoscamur filii Dei, quando vero Diaboli. Item
cujus

cujus peccati gratia orandum sit pro his, qui deliquerunt, & pro quo non sit. Et quod vocatione indignus sit, nec Christi esse dici possit, qui proximum non diligit: Unitatem autem Filii cum Patre ostendit, & quod, qui Filium negat, nec Patrem habeat. Decernit quoque in hac epistola, quid sit proprium anticristi, nempe hoc, si negat, Jesum esse Christum, ita ut, quasi ille sit, se ipsum mentiendo dicat esse Christum. Hortatur autem per totam epistolam Christo credentes, ne animo sint abjecto, si odio habeantur in hoc mundo, sed magis gaudeant; ob id quod odium hujus mundi declarat, credentes migrasse ex hoc mundo, & posthac conversari in caelis. Et in calce epistolae iterum admonet, Filium Dei esse vitam aeternam, ac verum Deum, ut illi serviamus, nos ipsosque a simularis custodiamus.

VII. STILUS Joannis multa habet singularia, in antecessum probe notanda:

1. De Christo ejusque divinitate aeterna testans adhibet vocem λόγος, aliis Apostolis hoc sensu inusitatam: vid. Jo. I, Apoc. XIX. & Ep. I. c. I. & V. Multis vero non incommode huc referenda esse videntur duo sequentia loca Luc. I, 2. Hebr. IV, 12. 13. Ad quorum analogiam accedit locus Pauli in Actis. c. XX, 32.

2. De statu peccati agens, praecipue adhibet sequentes phrasas: *tenebrae, ambulare in tenebris; mundus, amare mundum, esse de mundo: habere & facere peccatum: opera diaboli, mendax, mendacium, mentiri: κ. τ. λ.* Speciatim notandum est, evangelii, seu christianismi, hostes, eosque domesticos & nocentiores, a Joanne anticristos vocari.

3. De statu gratiae loquens sequentibus delectatur locutionibus: *lux, in luce ambulare, ad lucem venire. Spiritus, & Spiritu natum esse, Spiritu esse unctum, habere unctionem. Regenerari, ex Deo esse, aut nasci: cognoscere Deum. Amor, amare Deum & fratres, non amare mundum, vincere mundum. Mandatum, praecipuum, servare mandata: manere in Deo, in Christo. Veritas, ex veritate esse, in veritate ambulare κ. τ. λ.*

4. In compellationibus est blandus, seu paternum prodit adfectum, unde voces: *fili, filioli, pro quibus alii Apostoli saepius adhibuere voces; fratres dilecti,*

5. Creber est in explicationibus & repetitionibus, semel atque iterum posita ita repetens, ut ea novis membris seu momentis, augeat, declarat & identidem, inculcet; v. g. *Scribo vobis filioli, scribo vobis, patres: scribo vobis juvenes: scripsi vobis &c. c. II, 12. 14. Conf. v. 7. 11. c. IV, 12. seqq. Huc pertinent certae sententiarum appendices v. g. c. III, 23. Hoc est mandatum ejus, ut credamus nomini Filii ejus, Jesu Christi, & amemus nos mutuo; sicut dedit nobis mandatum,*

G. Mul.

6. *Multum utitur antithesibus, cum in verbis, tum in integris sententiis v. g. Deus est lux, & tenebrae in illo sunt nulla; ambulare in tenebris, ambulare in luce. Diligere & odio habere fratrem. Cognoscere Deum, non cognoscere Deum.* Unde non parum lucis & δεινώσεως adfunditur orationi; siquidem opposita juxta se posita magis elucescunt.
7. *Peculiare explicationis & antitheseos genus est, quando emphaseos gratia subinde loquitur affirmative & negative v. g. Mentimur & veritatem non facimus c. I, 6. Qui autem verbum ejus servat &c. v. 5.*
8. *Identidem reprimit voces hypocritarum, hominumque Epicureorum εαυταπατών, in inani de Christianismo persuasione acquiescentium, nec non agnitionem & communionem cum Deo jaectantium.* Unde statim Cap. I. ter ejusmodi jaectantiam reprehendit, in vocibus: εαν ειπωμεν si dixerimus. Sic c. II. τό ό λέγων wer da saget ter repetitum reprimit, εαυταπάτη manifestata v. 4. 6. 9. Conf. c. IV, 20.
9. *Totus est in demonstratione: quem in finem subinde certa exhibet criteria, e quibus τό κρινόμενον constare ac cognosci possit.* Item sapissime utitur verbo cognoscendi, seu dijudicandi cum pronomine demonstrativo τῆτο, εν τῆτω: cui deinde & res dijudicanda, & ejus criterium seu argumentum, per quod judicium fiat, subjici solet. Vid. c. II, 3. 5. III, 10. 11. 16. 24. c. IV, 2. 9. 10. 13. 17. V, 2.
10. *Demonstrandis vis subinde acuitur loquendi genere universalis, voce πάντος expresso, etiam ubi illa videri poterat haud esse necessaria.* Lutherus, haud observans hujus vocis δεινώσειν, eam saepe plane omisit v. g. c. III, 4. πάντος ό ποιών την άμαρτίαν, wer Sünde thut / quasi tantum legeretur: ό ποιών την άμαρτίαν. Confer de hujus vocis emphasi c. I, 7. 9. II, 16. 23. 29. III, 3. 4. 6. 9. 10. 15. IV, 2. 3. V, 1. 4. 18.
11. *Oratio Joannis est quasi melliflua, seu melle dulcior; utpote ex Evangelio evangelico cum affectu profluens; sed tamen simul gravis est & non raro fulminans, seu legalia reprehensionis fulmina emittens v. g. Mentimur c. I, 6. nos ipsos decipimus v. 8. Mendacem facimus Deum v. 10. Mendax est c. II, 4. in tenebris est & ambulat v. 9. 10. 11. qui facit peccatum e Diabolo est c. III, 18. in hoc manifesti sunt filii Dei, & filii Diaboli v. 10. Qui fratrem suum odit, est homicida v. 15. κ. τ. λ.*
15. *Scribendi modus est aphoristicus, ita ut ponantur sententiae primariae, exque plenius declarentur ac illustrentur & pro ratione urgentis affectus, novis cum momentis subinde repetitae, instillentur.* Unde Flacius in praef. hac de re ita judicat: *Ratio autem methodusque hujus epistola videri possit talis esse, qualis sollicitorum patrum esse solet, cum dilectissimos filios informant & corrigunt, qualem etiam necessitas tenerorum liberorum*

ac pusillorum Christi postulat, ut eadem, quæ quidem etiam maxime illis necessaria esse opinantur, sæpius instillent ac primaria documenta pietatis, veluti brevibus summis aut aphorismis comprehensa proponant.

MEMBRUM POSTERIUS.

De

Hujus Epistola

Analyfi & Dispositione.

ORdo hujus epistolæ nec nullus omnino est, nec talis, qui accuratiorrem analyfin admittat, qualis locum habet in plerisque reliquorum Apostolorum epistolis. Quare uti hæc epistola ex una parte nequaquam arguenda est confusionis; sic nec connexionis ratio in ea semper secundum vulgares regulas requirenda est. Neque enim ea necessaria erat in aphoristico tractandi genere; utpote in quo sufficit, singula, saltem plurima, latentiore nexu, qui in ipsarum rerum cognatione est, cohærere, sive ad didascaliam, sive ad pædiam pertineant, aut hæc illi mista sit. Ponam Aphorismos XII. primarios, ad eosque reliqua referam.

APHORISMUS I.

De Christi persona.

2 *Salvator noster est Θεάνθρωπος, verus Deus & verus homo.*

Id quod

proponitur C. I. v. 1. 2.

applicatur ad scopum apostolicæ

annuntiationis, qui est communio cum Deo. v. 3.

scriptionis, qui est gaudium perfectum. v. 4.

APHORISMUS II.

De natura Dei, per Christum patefacta.

Deus est mera lux, per Christum Θεάνθρωπον mundo, in tenebris posito, ad communionem sui illucescens:

Id quod

proponitur v. 5.

applicatur ad communionem cum Deo & quidem

negative ratione tenebrarum v. 6.

Qg

affirma-

affirmative, ratione lucis v. 7.

Illustratur, seu amplificatur a vitæ, in luce constitutæ, principio, seu a mundatione per sanguinem Christi: id quod

proponitur v. 7.

adplicatur ad peccatorum
confessionem

non negandam v. 8. 10.

sed edendam. v. 9.

remissionem & expurgationem v. 9.

APHORISMUS III.

De officio Christi sacerdotali.

Christus est paracletus & propitiatio pro peccatis totius mundi.

Id quod

Proponitur: ubi propositionis

occafio, dehortatio a peccato c. II, 1.

ipsa ratio seu forma v. 1.

confirmatio v. 2.

adplicatur ad

servationem præceptorum, tanquam fidei, seu salutaris cognitionis, criterium: quod proponitur

affirmative v. 3.

negative v. 4.

iterum positive v. 5.

mansionem in Christo, seu communionem cum Christo, ipsa vita demonstrandam v. 6.

APHORISMUS IV.

De Joannæ doctrinæ qualitate.

Doctrina mea diverso respectu vetus est & nova.

Id quod

proponitur, respectu

vetustatis v. 7.

novitatis v. 8.

adplicatur ad Christianos

genuinos lucis filios v. 8-11.

de

degeneres tenebris ambulantes : ibid.

omnes ratione ætatis in Christianismo,

puerilis v. 12.

juvenilis v. 13. 14.

senilis ibid.

illustratur, dehoratione a κοσμοφιλία, quæ
descripta v. 16.

disvasa ubi

ipsa disvasio v. 15.

ejus ratio petita

a natura θεοφιλίας & κοσμοφιλίας ἀσυστάτω v. 16.

a mundi & voluptatum transitu v. 17.

a θεοφιλίας duratione ibid.

APHORISMUS V.

De doctrinæ apostolicæ corruptoribus, antichristis.

Ultima hac mundi hora multi jam antichristi orti sunt.

Id quod

proponitur, indicando

quod venerint, v. 18.

unde venerint, v. 19.

quales sint & quid sentiant v. 22. 23.

illustratur a contrario, seu christianis sinceris, qui

spiritu sancto uncti sunt v. 20. 27.

veritatem agnoscunt v. 21.

in veritate & Deo manent v. 24.

& hinc promissionem ac spem vitæ æternæ habent. v. 25.

concluditur epiphonemate gemino, quorum

prius, de mansionem in Deo, parrhesiam in die iudicii allatura v. 28.

posterius, de iustissimo iustorum patre v. 29.

APHORISMUS VI.

De filiorum Dei dignitate.

*Summa est filiorum Dei, seu sincerorum Christiano-
rum, dignitas in regno gratiæ & gloriæ:*

Id quod

proponitur, respectu

Q 9 2

regni

regni gratiæ c. III. v. 1.

regni gloriæ v. 2.

applicatur ad varia, uti sunt:

vitiæ sanctimonia v. 3.

peccati fuga: quæ
commendatur

ob peccati naturam ἀνομιαν v. 4.

ob Christi satisfactionem, ejusque fructum in destruendo peccato, opere diaboli v. 5. 8.

ob christianorum in Christo mansionem v. 6.

ob peccantium

ἀγνοσίαν Dei v. 6.

deceptionem sui ac aliorum v. 7.

communione cum diabolo v. 8.

illustratur ab indole regeneratorum haud peccantium v. 9.

concluditur epiphonemate de contraria filiorum Dei & diaboli indole v. 10.

amor erga fratres: cujus sistitur

commendatio a Christi mandato. v. 11,

contrarium in exemplo Caini, quod

proponitur v. 12.

applicatur ad thesin de

odio mundi erga Christianos v. 13.

odii gravitate in homicidio v. 15.

fundamentum, factus transitus e morte in vitam v. 14.

exemplum in Christo, ex amore erga nos vitam suam profunde v. 16.

exercitium non verbis, sed re ipsa præstandum v. 17. 18.

parrhesia & fiducia erga Deum: cujus sistitur

fundamentum; regeneratio facta ex veritate

ratio, nimirum placatio conscientiæ v. 19.

defectus condemnationis propriæ. v. 20, 21.

exauditio precum v. 22.

servatio præcepti de fide & dilectione: id quod

proponitur v. 23.

commendatur ab adjuncto, seu fructu ac beneficio

mansionis in Deo v. 24.

spiritus Sancti. ibid.

APHO.

APHORISMUS VII.

De probatione spirituum.

Spiritus sine credulitate probandi sunt,

Id quod

proponitur c. IV, 1.*confirmatur*, ab exitu seu ortu falsorum prophetarum *ibid.**declaratur* descriptione

doctorum & quidem

verorum v. 2. 6.

falsorum, qui ab improbis audiuntur v. 3. 5.

auditorum falsos doctores fugientium. v. 4.

APHORISMUS IIX.

De dilectione fratrum.

Inter Christianos vigere debet φιλαδελφία.

Id quod

proponitur v. 7.*confirmatur* ab amoris & amantium præstantia. *ibid.**illustratur* & quidem

a contrario amoris defectu, ἀγνωσίαν Dei prodente v. 8.

ab exemplo amoris divini erga nos in Christo, nobis ad vitam

missio: id quod

proponitur v. 9. 10.*adplicatur* ad φιλαδελφίαν v. 11.a fructu seu adjuncto gemino,
mansionis in Deo: id quod*proponitur* v. 12.*declaratur* a mansione hujus

adjuncto, dono Spiritus Sancti v. 13.

fundamento, missione filii v. 14. 15.

confirmatur v. 16.

parrhesias, metum expellentis v. 17. 18.

inferitur proshonefis ad Deum amandum v. 19.

a nexu cum amore Dei v. 20. 21.

Qq 3

APHO.

APHORISMUS IX.

De regeneratione & ejus criteriis.

Regeniti, diversis agnoscuntur criteriis.

Ubi;

*Ipsi regeniti. c. V. 1.**Ipsorum criteria, quæ sunt*

amor erga Deum v. 1.

amor erga fratres v. 1. 2.

servatio præceptorum v. 2. 3.

victoria de mundo v. 4. 5.

APHORSIMUS X.

De testibus in cælo & terra

Sunt tres testes in terris, tres in cælo.

Ubi

Ipsi testes & quidem

in terris, spiritus, aqua, sanguis v. 6. 8.

in cælis Pater, Verbum, Spiritus S. v. 7.

Eorum testimonium: id quod

datum ab ipso Deo v. 9.

recipiendum fide. v. 10.

receptum vitam aternam secum fert v. 11. 12. 13.

APHORISMUS XI.

de parrhesia in precibus

*Christianorum parrhesia erga Deum se in precibus
exserit.*

Id quod

*proponitur, una cum precum effectu v. 14. 15.**illustratur ab objecto precum personali, quod sunt*

positive, non peccantes ad mortem v. 16.

negative, peccantes ad mortem ibid.

APHO.

APHORISMVS XII.

de beneficio regenerationis.

*Regenerationis beneficium memori mente servandum
est cum fuga peccatorum, diaboli & mundi.*

Id quod

proponitur, respectu fugiendi

peccati & diaboli v. 18.

mundi, in maligno positi v. 19.

declatur a fine ἐνσαρκώσεως Christi

cujus æterna divinitas asseritur v. 20.

accedit conclusio totius epistolæ epiphonematica, de fugienda idololatria v. 21.

EPISTOLAE II. JOANNIS.

PROLEGOMENA ET DISPOSITIO.

- I. **A**UCTOR hujus epistolæ idem est Joannes Apostolus & Evangelista. Nec obstat 1.) quod Auctor se vocat πρεσβύτερον, seniore. Nam uti hoc nomen generatim erat ecclesiæ antistitem & Episcoporum, sic κατ' ἐξοχήν conveniebat Apostolis. Et quia Joannes ætate reliquos omnes, quantum constat, superavit, sub ingravescentem senectutem videtur senioris nomine honorifice a Christianis fuisse appellatus. Quod nomen ille eo minus detrectavit, quo ipsi sui abnegatione, in solius Dei gloriam gerere potuit. Nec obstat 2.) quod hæc epistola nonnullis in locis paulo ferius in canonem librorum N. T. θεοπνεύτων olim fuerit recepta. Nam quia est perbrevis & uni tantum personæ, aut familiæ, inscripta, non statim in omnium notitiam pervenit, & nonnullos nomen presbyterialiquamdiu suspensos tenuisse videtur. Conf. EUSEB. L. III. c. 25. Ab auctore autem
- II. **A**UCTORITAS & γνησιότης hujus epistolæ omnino est Apostolica & speciatim Joannea:
id quod liquet
1. E consensu, seu testimonio, piæ antiquitatis, & in hac nominatim IRENAEI, qui eam bis allegavit in libris adversus hæreses. L. I. c. 13. L. III. 18. CLEMENTIS ALEXANDRINI Strom. 2. p. 381. qui duas posteriores

- riores Joannis epistolas, ut & primam & reliquas catholicas, Eusebio teste L. VI. c. 14. commentariolo aliquo illustravit: TERTULLIANI Lib. de carne Christi c. 24. testimonium Concilii Carthaginensis sub Cypriano habiti. n. 81. nec non ATHANASII, CYRILLI, multorumque aliorum, de quorum, uti & deinceps de universæ ecclesiæ christianæ consensu, videatur CL. MILLIUS. fol. 26, 27.
2. E summa stili & argumenti cum epistola prima convenientia, conf. prolegomena epist. I. n. VII.
 3. E caractere epistolæ tertiæ mere apostolico, qui est, auctoritas in ecclesias Asiæ eorumque episcopos, & speciatim eam, cui præerat Diotrophes: quem, cum in ecclesia sua etiam adversus epistolæ hujus auctorem multa fecisset, munere suo indigna, hic presbyter tanta cum parrhesia redarguere ac reprimere non potuisset, nisi fuisset Apostolus. Jam vero vel ex solo presbyteri nomine manifestum est, epistolæ tertiæ & secundæ unum eundemque esse auctorem. Unde liquet, utramque etiam ejusdem esse auctoritatis. Confer MILLIUM fol. 18, 19.
- III. OBJECTUM, seu persona, cui scripta fuit hæc epistola, non exprimitur nomine proprio, uti nec locus, ubi vixerit. Cum vero eam vocet electam dominam, facile liquet, eam fuisse matronam, non solum ratione christianismi admodum laudabilem, & aliis fœminis singulare virtutum exemplar, sed etiam ratione externæ fortis primariam & illustri genere natam,
- IV. LOCUS. Hic incertus est, sed probabiliter fuit Ephesus.
- V. TEMPUS. Neque hoc definiiri potest. Pluribus videntur posteriores epistolæ paulo post primam eodem tempore scriptæ. MILLIUS eam in annum Christi XCI, aut XCII. refert.
- VI. OCCASIO. Hæc quemadmodum constat e v. 4. fuit cognita filiorum hujus matronæ pietas, quæ, uti Apostolo gaudium excitavit haud exiguum, ita eundem impulit, ut suum amoris affectum litteris erga matrem & filios testificaretur. Huc refer periculum, quod ecclesiæ, in qua hæc fœmina degebat, imminebat a falsis & impiis quibusdam doctoribus, fidelium cœtus passim turbantibus.
- VII. SCOPUS seu argumentum, pro ratione geminæ occasionis adscribendum datæ, est geminum, consistens partim in admonitione ad continuandum christianismi cursum, tam laudabiliter cœptum; partim in præmonitione adversus pseudodidascalos.
- IX. ANALYSIS, seu PARTITIO. Hic adest
Exordium quod continet

Inscri-

Inscriptionem, piæ matronæ &
ejus filiis singulari cum affectu factam v. 1, 2.

Salutationem seu votum v. 3.

Tractatio quæ est bimembris, Ubi
admonitio, quæ

proponitur v. 5.

declaratur v. 6.

Præmonitio adversus falsos & impios doctores; ubi
antecedens occasio; scilicet egressus planorum v. 7.

ipsa præmonitio adversus

jacturam & quidem

tam veræ pietatis v. 8.

quam veræ doctrinæ v. 9.

communione cum impiis & falsis doctoribus;

id quod

proponitur v. 10.

argumento munitur v. 11.

Conclusio hæc duo continet;

adventus promissionem v. 12.

salutationem v. 12.

EPISTOLÆ III. JOANNIS

PROLEGOMENA ET DISPOSITIO.

I. II. III. IV. **A**UCTOR, AUCTORITAS, LOCUS, TEMPUS. De
his vide, quæ ad epistolam secundam dicta sunt; ut-
pote huc etiam omnino pertinentia.

V. **OBJECTUM**, seu persona, cui inscripta est hæc epistola, est GAJUS,
Romane CAJUS. Duorum autem Gajorum in sacris alias fit mentio.
Unus commemoratur in Actis Apostolorum c. XX, 29. XX, 4. qui co-
mes Pauli & Derbensis dicitur. Alter fuit Corinthius, ab isto, uti
probabile est diversus, & Pauli ministerio conversus 1. Cor. I, 14. qui,
singulari hospitalitatis laude celebratus, per Paulum Romanos saluta-
vit Rom. XVI, 23. Tertius Gajus est noster, qui in ecclesia aliqua A-
siatica egregium fuit pietatis exemplar. Sed hic Gajus tertius ille a
secundo illo, seu Corinthio, non videtur differre. Convenit enim elo-
gium *Φιλοξενίας*, quod isti a Paulo, & huic a Joanne datur. Nec re-
pugnat

R r

pugnat ætas. Etsi enim Gajus Corinthius jam tum Pauli tempore ad Christum fuit conversus; tamen qui Joanne esse potuit multo junior, potuit etiam multo magis ejus senectutem attingere, immo ipsi esse superstes. Quod si Joanneus hic Gajus idem fuit, qui Paulinus & per omnem vitam Corinthi permansit, Joannem tertiam hanc epistolam Corinthum misisse, nec obscurum est, nec improbabile.

VI. OCCASIO hanc epistolam scribendi fuit diversa, partim Gaji sinceritas in Christianismo, speciatim in officio hospitalitatis, ab advenis quibusdam fratribus Joanni celebrata: partim fastus & importunitas Diotrephis, apostolicæ Joannis auctoritati renitentis.

VII. ARGUMENTUM, seu scopus epistolæ, e modo dicta occasione gemina emergens, est partim Gajum, elogio, cum singularis gaudii affectu dato, dignum, in bono confirmare & ad perseverantiam excitare; partim Diotrephis scandalum mitigare & ejus medelam promittere adjecto Demetrii encomio.

IX. ANALYSIS. Hic adest

Exordium: quod continet inscriptionem: ubi occurrit
nomen auctoris appellativum. *Senior*
nomen personæ ad quam scribitur, *Gajus*,
significatio amoris, *dilectus*
salutatio, v. 2.

Tractatio: quæ est bimembris: ubi

Elogium Gaji, ejus

occasio; adventus fratrum v. 3.

de Gajo restantium ibid.

Christi causa egressorum v. 6.

causa, quæ est

ambulatio in veritate, illustrata ab effectu,

gaudio Apostoli. v. 3, 4.

hospitalitas erga peregrinos, amore dignos v. 8.

laudatione denuo excitata v. 5, 6.

Correptio Diotrephis: ubi

antecedens occasio, scriptio Apostoli v. 9.

ipsa correptio facta per

conquestionem de ejus contumacia adversas

ipsum Joannem v. 9.

fratres alios v. 10.

comminationem animadversionis, ibid.

adjun.

adjunctum quod, geminum:

dehortatio ab exemplo Diotrephis v. 11.

commendatio Demetrii. v. 12.

CONCLUSIO, quæ continet

Præteritionem scribendorum v. 13.

Promissionem sperati adventus v. 14.

Votum pacis v. 15.

Salutationem, eamque reciprocam, seu passivam & activam ibid.

PARTIS II.

SECTIO II.

exhibens

APHORISMOS HERMENEUTICOS,
epistolarum Paulinarum exemplis
illustratos.

APHORISMVS I. GENERALIS,

de boni interpretis habilitate.

Scripturam sacram dextre interpretaturus vere rege-
nitus sit oportet, & instructus necessariis subsidiis
philologia, nec non historia ac geographia sacra, seu
biblica, imprimis vero archaeologia ac typologia.

Note.

1. Habilitas boni interpretis est vel *spiritualis*, vel *naturalis*. *Spiritualis* sup-
ponit & requirit statum gratiæ. *Naturalis*, non incommode a natura
viribus, quibus acquiri potest, sic dicta, magna ex parte est *littera-
ria*, posita in apparatu necessariorum subsidiariorum, qualia sunt *philo-
logia sacra*, & *historia*, *geographia*, necnon *archæologia*.
2. *Statu* autem gratiæ, qui per regenerationem obrinetur, & in ordine re-
novationis confirmatur, opus esse interpreti *πνευματικῶς* idoneo, ne-
mo negabit, nisi qui ipse istius status plane expertus est. Vel sola af-
fectus ratio, ut de argumentis aliis nunc taceam, de eo nos dubitare

Rr 2

non

non finit. Sine *affectus* enim cognitione practica, qua illum possidemus, seu experimur ipsi, qui textum sacrum interpretatur, mandit cibum sine gustu, inanitate sua ad dignam interpretationem ineptissimus. Jam vero nullus impius aut hypocrita ἀμετανόητος habet affectum spirituales; cum ejusmodi homo totus, quantus est, Φρονήματι τῆς σαρκὸς Rom. VIII, 5. seqq. ducatur. Unde ordinarie hoc, non illo, utitur subsidio in interpretatione.

3. Non tamen negatur, etiam impium, seu extra statum gratiæ positum, interpretem per notitiam litteralem multa assequi de rebus divinis, seu earum cortice litterali, maxime si ampliori subsidiorum apparatu sit instructus, ideoque eundem permulta, quæ vera & præclara sunt, interpretando in medium proferre posse. Quam graviter autem & periculose is subinde cæcutiat, imprimis si in rerum, ad regni Dei interiora & genuinam christianismi praxin pertinentium, tractatione & applicatione versetur, præter rem ipsam satis superque comprobatur experientia. Certe vel solus *affectus*, quem Paulus Φρόνημα τῆς σαρκὸς vocat, in hermeneutica sacra facit *cauponariam*, τὸν λόγον τῆ Θεῶ καπηλεύων: cum e contrario interpres vere regeneratus, & in ordine salutis vere illuminatus, loquatur ἐξ εὐλικρινείας, ὡς ἐκ Θεῶ, κατενωπιον τῆ Θεῶ ἐν Χριστῶ, e sinceritate, tanquam ex Deo, coram Deo in Christo. 2. Cor. II, 17.
4. ἱκανότης litteraria, posita in hermeneutica philologiæ sacræ & reliquorum subsidiorum peritia, quam necessaria hic sit, nemo nescit. Et historiæ quidem, & geographiæ ac chronologiæ sacræ, nec non archæologiæ & typologiæ, notitiam auditoribus meis ipse subministravi in *Historia ecclesiastica Vet. Testamenti*, nec non in *Mysterio Christi ac Christianismi*, in quo, uti & in ipsa Historia, *antiquitates biblicæ* explicantur, addita ad rem christianam applicatione. Nec ignoti sunt alii aliorum auctorum libri, qui de iisdem argumentis prostant, lectu dignissimi.
5. Non vero existimandum est, aditum ad notitiam & praxin hermeneuticam patere nemini, nisi qui subsidia ista litteraria sibi, quantum satis est, jam comparaverit. Hac enim ratione sacrarum litterarum cultores per omne propemodum vitæ academicæ tempus ab ipso usu studii exegetici excluderentur. Sufficit ad hoc non accedere, nisi in conjuncta subsidiorum istorum comparatione: quemadmodum cum eodem conjungi debet nifus magis magisque e statu naturæ corrupto in statum gratiæ emergendi & in eodem proficiendi.

APHO-

APHORISMUS II. GENERALIS,

de practico boni interpretis officio.

Boni interpretis est, præter diligentem axiomatum hermeneuticorum, quæ sequentibus utriusque capituli aphorismis exhibentur, applicationem debitam cum fidelitate veritari in applicatione cuiusvis textus practica, qualem partim scriptoris sacri affectus, partim ipsa substrata materia requirit.

Notæ.

1. Inservit hic aphorismus declarationi antecedentis, inprimis eorum, quæ sub finem observationis ultimæ dicta sunt.
2. Diligens axiomatum hermeneuticorum applicatio requirit studium privatam, quo libri sacri, præcipue epistolæ Pauli, pertractentur, meditatione lectoris propria omnia ad istorum usum revocante. Sic viva docentis institutio, quæ in lectionibus exegeticis datur, non parum promovebitur & acuetur.
3. Quod si unusquisque interpretis, qui secundum legem caritatis aliis interpretando inservire vult, est proximus sibi ipse, semet ipsum debito in ordine diligere iussus, certe ipsum jus naturæ, per revelationem illustratum, postulat, ut quilibet hermeneuta omnia sibi ipsi, tanquam omnium primo, applicet & ipsa praxi in spirituales usus convertat. Hæc enim fidelitas & gignit & auget alitque spirituales *ικανότητα*; utpote quæ habitum habet supernaturalem, & per eum sensus adfert exercitatos *πρός διάκρισιν καλῆτε καὶ κακῆ*, ad bonum a malo recte discernendum. Hebr. V, 14. Hæc est via illa, in qua obtinemus charisma *δοκιμασίας* ad cognoscendum, quæ sit voluntas Dei bona, accepta, & perfecta. Rom. XII, 2. Sin minus cæcus cæcum ducit, exitio cum eodem imminens. Matth. XV, 14. XXIII, 24.

Not. Hæc de ipsius interpretis *habilitate & officio*. Jam in ipsa interpretatione omnia redeunt ad duo hæc capita, primo ut *sensus litteralis* investigetur, deinde ut ejusdem *emphasis* servetur. De utroque in XII. aphorismis hermeneuticis seorsum.

Rr 3

CAPUT

CAPUT I.

De

Sensus ac significationis proprietate litterali.

APHORISMUS I.

de analysi textus interpretandi.

Textus interpretandus ipsaque interpretatio plurimum lucis ac facilitatis accipit ab orthotomia & anatome analytica: utpote quæ non solum sensum litteralem plerumque suppeditat, aut illustrat, sed universam quoque praxin hermeneuticam iusto ordine dirigit, nec exiguo se usu homiletico commendat.

Illustratio.

Rom. VI, 17. Gratia Deo, quod eratis servi peccati, obedivistis vero ex animo typo doctrine, in quem traditi estis. Hic tria sunt membra: primum de statu Romanorum pristino; Eratis servi peccati. Secundum de statu christianismi novo; excusso peccati iugo obedivistis illi doctrine typo, in quem traditi & quasi impressi estis. Tertium: hoc beneficium grato animo agnoscendum est.

- Not. 1. Auditoribus meis hic non opus est exemplis scriptis, cum singulæ lectiones meæ ea suppeditent, neque res ipsa iis illustranda ignota sit; etsi apud inexercitatos in textibus difficilioribus aliquid difficultatis habere soleat. Scripta etiam mea exegetica exemplis abundant.
2. Hoc vero imperitis probe notandum est, quod in constituendis membris non tam grammaticus verborum, quam logicus ipsarum rerum, ordo observandus sit. Non raro enim priora alicujus textus verba ad membrum orthotomiæ logicæ posterius, aut ultimum, pertinent: quemadmodum ex allato exemplo liquet.
3. Quandoquidem singula membra alicujus textus membris, seu momentis, constant subordinatis, hæc etiam iusta analysi dinumeranda sunt. v. g. Membrum loci allegati secundum tria continet momenta, quæ sunt: a) *Objectum*, quod est typus doctrinæ. b) *Actus impressionis* in istum typum, notatus verbo *ω αρεδο θητε, traditi estis.* c) *Actus receptionis*, seu effectus, expressus verbis: *Obedivistis ex corde.* Quæ etiam pro

pro

pro structura grammatica in membro isto sint priora, logice tamen, seu pro natura & ordine ipsarum rerum, locum habent postremum.

4. Ordo analyseos naturalis etiam in ipsa exegefi sequendus est, ita ut, quæ ordine naturæ priora sunt, etiam prius explicentur, etsi in textu secundum syntaxin grammaticam sint postposita.
5. Per textum vero iusta analyti ordinandum hic intelligitur pars, aut particula, sermonis brevior, quæ integrum sensum habet. Quodsi textus aliquis est prolixior, qualis esse solet in pericopis evangelicis & epistolicis, opus est analyfi generali, speciali & specialissima.

APHORISMVS II.

de scopo scriptoris sacri.

Sensui litterali eruendo plurimum inservit consideratio scopi, quem scriptor sacer scripto suo, & cuius ejus parti, vel generatim, vel speciatim, vel specialissime, præfixit, ideoque sermonem suum ad eundem direxit. Solet vero scopus ex indicis suis facile observari.

Illustratio.

Rom. VI, 17. In loco hoc jam per analyfin illustrato scopus *generalis*, qui totius epistolæ, est Romanos in religione christiana confirmare; *specialis*, apud justificatos renovationis negotium urgere; *specialissimus*, refutare errorem, quasi status gratiæ a lege immunis impunitatem & peccandi licentiam adferat, v. 15. notatus.

Tit. II, 11. *Apparuit enim gratia Dei salutaris omnibus hominibus, erudiens nos &c.* Hic scopus Pauli *generalis* est, Titum docere, quomodo se in ecclesiis Creticis, ad quas ordinandas a Paulo in Creta relictus fuerat, gerere debeat; *specialis*, ipsum instruere, quod & quomodo gratia Dei omni impietati opponenda sit; *specialissimus*, probare thesin, seu monitum suum de officiis servorum erga heros suos v. 9. 10.

Not. Scopi consideratio multis occurrit difficultatibus, quæ sine ea lectores & interpretes torquent, patefacta ad saluam interpretationem via, pro qua scopus veram ostendit: v. g.

Rom. IX. Scopus apostoli est, 1. agere de *impedimentis justificationis*, quæ Judæis obstiterint, quo minus Christianam religionem sint amplexi, uti erat præposterum & plane mercenarium justitiæ legalis, seu propriæ, studium, conjunctum cum *ἀπερθεῖα* adversus evangelium: 2. simul docere, Deum

DEum a liberrimo suo & firmissimo proposito homines non ex meritis, sed e sola gratia, salvandi nequaquam dimoveri. Hic scopus Pauli genuinus, qui vel e sola analysi, quæ supra Part. II, Sect. I. Membro VI. data est, abunde cognoscitur, recte consideratus non permittit, ut nonnulla hujus capituli loca de absoluto electionis & reprobationis decreto accipiamus. *Decretum enim Dei liberum*, ex gratia, & non, uti Judæi volebant, ex meritis, salvandi per multum differt a decreto *absoluto*.

1. Cor. VII. Scopus Pauli est, non negata, sed adserta potius, conjugii dignitate, adferere cœlibatus prærogativam, quam is habeat præ conjugio, partim in se, respectu minorum incommodorum; partim respectu gravissimarum afflictionum tunc ecclesiæ imminentium. Ergo ex hoc scopo dijudicandæ sunt locutiones in se aliquanto duriores v. 33. *qui conjugium inii, curat ea, quæ mundi sunt, quomodo uxori placeat.* v. 34. *Virgo autem curat, quæ Dei sunt, ut sit sancta corpore & spiritu.* &c. His enim verbis pro ratione scopi non tribuitur conjugibus amor mundi vitiosus & dominans, nec cœlibibus & virginibus solis adscribitur amor Dei & studium rerum divinarum; sed locutiones istæ tantum comparativæ sunt de eo, quod habetur, seu fit, vel majori vel minori eum impedimento & difficultate. Nec amor mundi hic alius intelligitur, quam qui in cura rei familiaris occupatus est, & id præterea agit, ne qua ratione conjugem offendant, ideoque de amore ejus mutuo alendo sollicitus est & onera conjugii, fœderis & amicitia causa, fert patienter. Eodem modo cognoscitur sensus locutionis: *bonum est homini uxorem haud tangere* v. 1. scilicet rem bonam hic non opponi malæ, quæ vitiosa & prohibita est, quasi conjugium per se esset vitiosum; sed rei incommodæ & difficiliori.

Hebr. VI, & X. scopus Pauli est, illos, qui e Judæis vere ad Christum conversi erant, præmunire adversus ejusmodi relapsum, seu defectionem, qua nonnulli ad blasphemiam usque Christum & totam religionem christianam, satanæ dolis superati, repudiaverant, aut, ne repudiarent, timendum erat. Quare effatum apostoli durius, de iterandæ conversionis *adversariis*, applicandum non est ad peccatores alios, etsi prozreticos, aut e statu gratiæ per peccata atrociora relapsos.

Nota. Scopus considerandus est non tantum in scriptoribus, sed etiam in dictis & factis aliorum, quæ illi recensent. Sic Gal. II, n. seqq. Paulus recenset factum Petri & Barnabæ, iisque tribuit hypocrisin. Hanc vero non fuisse talem proprie dictam, sed tantum *disimulationem imprudentem*, qua a justo libertatis christianæ usu in gratiam infirmorum intempestive abstinuerant, scopus ipsorum sincerus indicat.

APHO.

APHORISMUS III.

de respectu subjecti & prædicati mutuo.

Natura subjecti in verbis latioris significationis saepe declarat naturam prædicati, & vice versa: sive: talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse a suis subjectis, & vice versa.

Illustratio.

§. I. Exempla subjecti prædicatum declarantis.

Rom. VII. sermo est de homine, qui deserto epicureismi statu nondum, transiit in statum gratiæ, sed adhuc hæret *sub lege* circa limen conversionis. Vide B. SCHOMERUM in h.l. Hoc autem supposito locutiones omnes, quæ, de regenitis intellectæ, duriores sunt, sensum accipiunt faciliorem, seu proniorem. Quod si vero tanquam certum supponas, apostolum de regenitis loqui, negationes istæ de negato voluntatis effectu v. 15, 18. intelligendæ sunt de reliquiis peccati adhærescentibus, nequaquam vero de dominio. Eadem est ratio reliquarum locutionum, pro conditione subjecti interpretandarum.

Rom. XII, 15. *Gaudete cum gaudentibus.* Hic gaudii participatio injungitur Romanis, qui vere erant ad Christum conversi, & qui in ordine conversionis & renovationis profana hujus mundi gaudia jam dudum abnegaverant. Ergo hæc subjectorum indoles non permittit, ut prædicatum de gaudio profano intelligatur.

1. Cor. III, 2. *Vos Corinthii adhuc estis carnales.* At Corinthii jam erant conversi. Ergo τὸ *carnalem esse* hic non de statu dominante accipitur, sed de affectu, seu indole adhuc afficiente, qualis erat τῶν *νηπίων* v. 1.

1. Cor. VII, 14. *Liberi vestri sancti sunt.* Quia sermo est de liberis, communi peccati labe infectis, sanctitas hic non potest intelligi alia, quam potentialis & fœderalis, quod liberi ab alterutra conjugum parte christiana, sint in nomine ac timore Dei geniti ac suscepti & Deo in fœdus consecrati, atque ita sancti fœderali sanctimonia, via ad sanctimoniam sic patefacta.

1. Cor. IX, 22. *Paulus omnia factus est omnibus.* Id quod quo minus intelligas de simulatione ac disimulatione politica, quo quis, uti homo est, ita ipsi morem gerit, etiam contra conscientiam; obstat subjecti indoles ab astutia ista versipelli alienissima.

1. Tim. V, 16. dicitur *Timotheus se & auditores suos salvare.* Id quod longe alio sensu intelligi de Timotheo, quam quo de Christo dicitur Matth. I, 21. diver-

Ss

diversissima subjectorum conditio indicat. Christus enim salvat ut causa principalis, Timotheus ut instrumentalis.

§. II. Exempla prædicati subjectum declarantis.

Rom. VII, 14. seqq. *Carnalis sum &c.* Hoc prædicatum cum sequentibus indicat, sermonem hic esse non de regenito, jam tum in libertatem spiritua- lem translato, sed de homine sub lege constituto, seu per legem ad agni- tionem peccatorum adducto. Quod si vero supponas, hæc de regenito di- ci, secundum conditionem ejusmodi subjecti prædicata intelligenda sunt, quemadmodum jam paulo ante indicatum est. An vero satis commoda sit hæc phrasium duriorum emollitio, alii viderint.

Rom. VIII, 8. *Qui sunt in carne, Deo placere non possunt.* Prædicatum hoc prodit, *in carne esse* hic idem esse, ac in carne, seu in corruptione, tan- quam in elemento suo, versari, & carnis ductum dominantem sequi. Qui enim aliter in carne sunt, Deo placere possunt.

Rom. VIII, 14. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, sunt Dei filii.* Prædicatum hoc, esse Dei filium, per se declarat, qualis motus seu impulsus Spiritus Sancti hic intelligatur, scilicet non is, quo homines *ἀμετανόητοι* ad aliquem pœ- nitentiæ sensum perducuntur, Spiritu ad inhabitationem nondum admis- so, sed is, qui est ab inhabitante Spiritu; quemadmodum etiam contextus indicat.

1. Cor. VII, 19. dicitur *circumcisio nihil esse.* Quod prædicatum docet, intel- ligi hic circumcisionem nudam, intellectam sine respectu ad Messiam, im- mo eidem, seu evangelio, oppositam. Etenim circumcisio pro scopo & in usu suo legitimo non fuerat nihil, sed ritus fœderalis & sacramentalis.

1. Cor. XII, 3. *Nemo potest Jesum appellare Dominum, nisi in Spiritu Sancto.* Or- dinata propositio hæc est: Appellatio Christi, ut Domini nostri, non potest fieri nisi ex operatione Spiritus Sancti. Hoc vero prædicatum manifeste declarat naturam subjecti, scilicet non intelligi appellationem qualemcun- que, qualis etiam est hypocritarum, secundum Matth. VII, 22. sed talem, quæ cum fide & cum vera consecratione & adoratione conjuncta est, qua- lis erat Thomæ Jo. XX, 28. Confer omnino Jes. XLIV, 3. & 5.

1. Cor. X, 23. *omnia mihi licent.* Subjectam non esse absolute universalem, sed restrictam ad rerum honestarum & permissarum genus, e prædicato cogno- scitur. Vide ejusmodi locutionem etiam Tit. I, 15. ubi *omnia* dicuntur *pu- ris pura esse.*

Hebr. VII, 4. seqq. *Relapsi non possunt renovari ad pœnitentiam.* Prædicatum hoc indicio est, agi hic de ejusmodi peccatoribus, qui relapsu suo pecca- tum in Spiritum Sanctum commiserint.

APHO.

APHORISMUS IV.

de rei ejusdem declaratione.

Sapissime ea, quæ textus verba, ab interprete jam considerata, sequuntur, non agunt de re alia, seu diversa, sed antecedentem sententiam tantum declarant ac confirmant.

Illustratio.

Rom. V, 16, 16. Hic dicitur, & quidem diversis modis, quod v. 17, 18, 19. pluribus adhuc declaratur, in comparatione & oppositione Adami ac Christi.

Rom. VII, 13. Hic verba: *peccatum ut fieret manifestum peccatum* per verba ultima hujus commatis declarantur: *ut peccatum fieret secundum excessum peccans per præceptum.*

Vide per declarationem uberius tractatam materiam de usu libertatis christianæ. 1. Cor. IX.

De moderato & ad ædificationem directo charismatum usu 1. Cor. XII, & XIV. de resurrectione mortuorum, 1. Cor. XV. præcipue inde a v. 36. usque ad v. 50.

Col. III, 1, 2. Hic phrasis τὰ ἄνω ζητεῖν declaratur per τὰ ἄνω φρονεῖν.

2. Tim. IV, 5. verba: *opus fac evangelistæ*, declarantur per sequentia: *ministerium tuum plene adimple.*

Not. 1. Alia est ταυτολογία inepta & supervacanea, quam aut imperitia, aut rei, de qua dicendum est, inanitas parit: alia est ταυτολογία exegetica & emphatica, quam partim dicentis affectus, partim rei gravitas ac necessitas, partim etiam auditorum, aut lectorum, acedia & negligentia requirunt.

2. Quod si vero non raro res gravissimæ paucioribus verbis dicuntur, illis eo plus ponderis inest. Non raro autem brevitas causa in eo est, quod res istæ non ex instituto, & tanquam in sede sua propria, tractantur, sed tantum occasione alius materiæ attinguntur.

APHORISMUS V.

de antithesi & ejus membris.

Antitheseos membra non raro se mirifice declarant, præcipue in ejusmodi oppositione, quæ secundum notiones verborum grammaticas non est directæ.

Illustratio.

Ss 2

Illustratio.

Rom. I, 21. *Glorificationi & gratiarum actioni*, Deo debitæ, opponitur *lapsus seu profectus ad vanitatem ratiocinationum & ad mentis tenebras*. Unde emegit duplex illustratio: 1. *Prioris membri*: Glorificatio Dei & gratiarum actio obstant mentis vanitati ac tenebris, e contrario statum ejus illuminatum ac rectum promovent. *Posterioris membri*: Mentis vanitas & tenebræ revera continent ac gignunt animum ingratum ac Dei contemptorem, qui honoranti & gratias agenti directe oppositus est.

1 Cor. II, 4. *Persvasoriis humanæ sapientiæ verbis* opponitur *demonstratio Spiritus & potentiæ*. Quæ oppositio has suppeditat observationes, quod persvasoria ista humanæ sapientiæ verba destituta sint vi demonstrativa, & omni spiritu ac virtute: e contrario autem quod demonstratio Spiritus ac potentiæ non curet humanam dicendi artem, & quod utatur verbis divinæ sapientiæ, rerum pondera habentibus. Eadem est ratio oppositionis, quæ v. 5. & 13. sequitur.

1 Cor. XV, 10. *Gratiæ non inani* opponitur *labor abundantior*, cum directa oppositio in posteriori membro postulasset gratiam ipso effectu efficacem. Sed antithesis illa non caret emphasi, sic explicanda: Gratiæ inanitas seu neglectus prodit sese defectu salutiferi laboris, quemadmodum hujus assiduitas & fructus fidelem gratiæ usum supponit ac prodit.

2 Cor. I, 12. *Simplicitati ac sinceritati*, nec non *gratiæ Dei in conversatione*, opponitur *sapientia carnalis*: Unde conficitur, sapientiam hanc carere vera simplicitate, nec non sinceritate ac Dei gratia; e contrario eam esse vane curiosam, dolosam ac fructum corruptæ naturæ, quæ gratiæ opposita est: item in simplicitate, sinceritate ac usura divinæ gratiæ esse veram sapientiam. Eadem est ratio exegetica antitheseos, quæ c. II, 17. occurrit & alias etiam frequentissima est.

APHORISMUS VI.

de verbis actionem notantibus.

Verba actionis & effectus, seu quibus res aliqua fieri dicitur, ipsa materia id exigente sæpe exponenda sunt de rei continuatione, aut de ejusdem restauratione & confirmatione: nec non de permissione, occasione, declaratione & cognitione, item de conatu.

Illustra-

Illustratio.

§. I. Exempla actus de rei continuatione:

Rom. XII, 1, 2. *Ahortor vos, ut corpora vestra fistatis Deo -- -- : ne conformemini mundo, sed renovemini &c.* Cum Romani, tanquam vere ad Deum conversi, se jam dudum Deo consecrassent, ac in renovationis exercitio versarentur, manifestum est, hæc non de primo actu, sed de continuatione & majori incremento intelligi.

Col. III, 1. 2. 5. 8. 9. 10. *Quæ sursum sunt, querite, quæ sursum sunt, sapite: mortificate membra vestra: deponite omnia: ne mentimini: exuite veterem hominem, induite novum.* Hæc & hujus generis plura alia, in singulis epistolis & reliquis libris sacris occurrentia, rei jam cœptæ incrementum commendant. Atque ita in his etiam exemplis valet aphorismus de conditione subjecti prædicatum declarantis.

§. II. Exempla actus de permissione.

1 Cor. VI, 7. *Cur non potius injuria afficimini? cur non potius defraudamini? h. e. cur non potius permittitis, ut hoc fiat?*

Ibid. v. 12. *Omnia mihi licent, sed non redigar in potestatem a re quaquam: h. e. non patiar, me redigi.*

Non incommode in sensu permissivo a Lutero redditur locus Tit. II, 15. *Nemo te contemnat, laß dich niemand verachten* / ita ut nulli occasionem præbeas ad contemptum. Quæ occasionis notione hic locus etiam ad sequens hujus aphorismi membrum pertinet.

Maxime autem huc referenda sunt loca *permissionis Dei judiciaria*, de qua intelligenda sunt verba *tradendi in mentem reprobam & indurandi* Rom. I, 24, 26, 28. Rom. IX, 18. XI, 7. 8. 9. 10.

§. III. Exempla actus de causa aut occasione.

Rom. XIV, 15. *Ne cibo tuo illum perde (ne illi perditionis occasionem præbe) pro quo Christus mortuus est.* Conf. 1 Cor. VIII, 11.

Rom. XIV, 16. *Ne blasphemiam afficiatur bonum vestrum* h. e. nullam ejus rei occasionem præbete.

2 Cor. X, 2. *Oro autem, ne presens confidenter agam* h. e. cavete, ne mihi causam præbeatis coram durius vobiscum agendi. Conf. 2 Cor. XIII, 10.

1 Tim. IV, 12. *Nemo juventutem tuam contemnat* i. e. nemo a te accipiat occasionem contemptus.

§. IV. Exempla actus de declaratione.

Rom. V, 15. *Lex iram operatur* i. e. manifestat & denuntiat.

Rom. VII, 11. *Peccatum me decepit* i. e. deceptum esse manifestavit,

Rom XI, 32. *Conclusit Deus omnes sub infidelitatem* h. e. declaravit, omnes laborare ἀπεθεία & obnoxios esse iudicio condemnationis. Conf Gal. III, 22.

2 Cor. III, 16. *Littera occidit* h. e. ostendit, me occisum esse, seu mortem spirituales manifestat & æternam mihi denuntiat. Conf. Rom. XII, 10. Hof VI, 5.

1 Tim. III, 16. *Deus manifestatus est in carne, ἐδικαίωθη justificatus est in Spiritu* h. e. per divinitatem suam, cujus virtute miracula edidit & se ipsum e morre suscitavit, justus declaratus est, κατ' ἐξοχήν talis. Conf. Rom. I, 4.

Hebr. I, 6. *Cum iterum introduceret primogenitum in mundum &c.* h. e. cum futuram eius introductionem in mundum per novam prophetiam declararet, dixit &c.

Hebr. X, 5. *Ingrediens in mundum*, seu de futuro suo in mundum adventu prophetiam edens, dicit &c.

Huc pertinent exempla verborum actus de cognitione intelligendi.

Rom. III, 19. *Ut omnis mundus Deo fiat ὑπόδικος*, h. e. ut agnoscat, se iusto Dei iudicio esse obnoxium. conf. v. 7. *Veritas Dei mendacio meo exuberavit* h. e. cognita est exuberare.

Rom. V, 20. *Lex subintravit, ut abundaret delictum* i. e. ut cognosceretur abundare. Vide v. 13. & c. III, 20.

1 Cor. III, 18. *Si quis videtur sibi sapiens esse inter vos in hoc seculo, μωρός γενέσθω stultus fiat* h. e. stultitiam suam agnoscat cum abnegatione sapientiae falso creditæ. Vid. Cap. I, 18. seqq.

2 Cor. VII, 14. *Gloriatio nostra de Tito veritas facta* i. e. agnita est, tanquam vera.

1 Thess. I, 8. *In omni loco fides vestra egressa est* h. e. est cognita per εὐωδίαν famæ.

Hebr. VII, 3. *Melchisedecus fuit sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque vitæ finem habens*: scilicet respectu recensitionis & cognitionis.

§. V. Exempla actus & effectus de conatu & voto.

Rom. II, 4. *Dei benignitas ad penitentiam te adducit*: scilicet quantum in ipsa est, h. e. te adducere conatur.

1 Cor. X, 31. *Ego per omnia omnibus placeo* i. e. placere conor per viam caritatis. Conf. Gal. I, 10. 1 Thess. II, 4.

Gal V, 4. *Ex gratia excidistis, qui per legem δικαιώσθε justificamini* h. e. justificari conamini. Conf. c. IV, 21.

Not. Ejusmodi loca non posse aliter intelligi, quam hoc sensu ad conatum relato, res ipsa indicat & parallelismus multiplex confirmat. In hunc vero

vero

vero sensum qui loca de vero actu effectuque agentia vellet torquere, improbam mentem esset proditurus; quemadmodum publice prodidit non nemo in locis, quæ de pietate & perseverantia fidelium agunt v. g. *Zacharia & Elisabetha* Luc. I, 6.

Bene B. SAL. GLASSIUS Philol. Sacra L. III. p. m. 554. Causa actionis in homine duplex est: *Facultas & voluntas*. Et hæc voluntas consideratur vel ratione normæ, sive legis ac debiti, vel ratione sui ipsius, tum ἀπλῶς, quatenus simpliciter vult & optat: tum ἐνεργητικῶς, quatenus operatur: & quidem vel respectu sui, quatenus scilicet vel cum conatu, vel cum consuetudine conjuncta est: vel respectu aliorum, quibus aut occasionem & causam agendi præbet; aut rem certam permittit. Hinc igitur verba quædam, actiones & effectus certos denotantia, sunt intelligenda 1. de potestate & facultate: 2. de jure & debito: 3. de voluntate & voto: 4. de conatu: 5. de consuetudine: 6. de occasione: 7. de permissione.

APHORISMUS VII.

de natura & differentia epithetorum.

Epithetorum alia sunt ἐξηγητικὰ, alia διακριτικὰ. Omne epithetum διακριτικόν, quod rem unam ab altera & plane aliena distinguit, est etiam ἐξηγητικόν, simul aliquam declarandi vim habens; sed non omne ἐξηγητικόν est simul διακριτικόν.

Illustratio.

§. I. Exempla epithetorum exegeticorum.

Rom. I, 11. Hic *charisma*, quod Paulus Romanis erat impertiturus, vocatur πνευματικόν, spirituale ἐξηγητικῶς, cum omne charisma proprie spirituale tantum sit.

1 Cor. IV, 14. Paulus Corinthios vocat *filios dilectos*. Eadem ratione vox ἀγαπητός addi solet voci ἀδελφός. Col. IV, 7. 9. &c.

2 Tim. I, 9. *Vocatio Dei sancta*. Nec enim cuiquam a Deo unquam alia obtingit vocatio, quam sancta.

2 Tim. II, 19. *Fundamentum Dei dicitur firmum*. Etsi hic subsit vis διακριτικῆ, respectu habito ad fundamentum mere humanum; tamen Dei fundamentum omne firmum est sine differentia.

Tit. II, 11. *Gratia Dei dicitur salutaris* per declarationem exegeticam, cum nulla alia sit gratia, proprie dicta, quam salutaris.

§. II.

§. II. Exempla epithetorum diacriticorum, quæ simul declarandi vim habent;

Rom. XII, 1. *Hostia* novi testamenti spiritualis dicitur *viva, sancta & Deo placens*; & *cultus*, qui ea præstatur, *rationalis*. Exempla alia per universum codicem sunt frequentissima.

Interdum vero conjunguntur utriusque generis epitheta v.g. Rom. XII, 2. *Voluntas Dei* vocatur *bona ἐξηγητικῶς*, accepta vero *διακριτικῶς*, ad differentiam voluntatis mala permittentis. *Vox perfecta* videtur aliquod utriusque notionis momentum trahere.

APHORISMUS IIX.

de sede & occasione materiæ.

Probe observandum est, utrum aliquid dicatur ex instituto, & in materiæ istius sede, an vero attingatur tantum occasione alius materiæ ex instituto tractata.

Illustratio.

Rom. III, 21. seqq. Hic ex instituto tractatur doctrina de *justificatione per fidem in Jesum Christum*. Occasione autem hujus doctrinæ fit mentio *legis & prophetarum* v. 21. item *lapsus* v. 23.

1 Cor. XV. traditur doctrina de *resurrectione mortuorum*, sed commemoratis simul multis aliis, ad materiæ istius affinitatem diversa ratione pertinentibus.

Not. 1. Non vero existimandum est, nusquam materiam aliquam tractari, tanquam in propria sede sua, nisi illa tractatio sit proluxior. Non raro enim aliquid dicitur ex instituto, etsi verbis paucioribus, v.g. de *electione*, & in ea speciatim de respectu ad *fidem* in Christum habito, paucis agitur, at in sede tamen propria Eph. 1, 4. 2 Thess. II, 13.

2. Axioma, quod hoc aphorismo proponitur, usum habet amplissimum in probandis doctrinis: ubi ad sedes materiæ præcipue est recurrendum, iis tamen, quæ alibi dicta sunt, non prætermisissis.

APHORISMUS IX.

de contextu & connexionem.

Hæc hætenus de textu ipso. Præter textum vero diligenti connectendi studio conferendus est contextus in

118,

iis, quæ textum antecedunt & sequuntur, & quidem non tantum proxime, sed remote etiam. Maxima enim hinc ipsi textui lux affunditur.

Illustratio.

Rom. III, 19. Quid hic sit *omne os & universus mundus* ostenditur v. 9. ubi *Judæis* junguntur *Græci*, sensu latissimo sic dicti conf. c. I, 14. Quid vero v. 19. porro sit *obstrui & obnoxium fieri iudicio*, itidem ex antecedentibus intelligitur; quandoquidem inde a v. 9. immo a capitis initio, & in ipsis etiam duobus prioribus capitibus, *Judæi & gentiles omnes omni gloriandi materia exuntur*, & in reatu suo ingenti coram Dei tribunali sistuntur. Et cum, quod in antecedentibus prolixius dictum erat, commate 19. brevissimis, at simul gravissimis, dicatur verbis, non immerito hoc ipsum comma dicitur ea declarare. Quod si vero hunc ipsum locum conferas cum consequentibus, manifestum est, eo describi subjectum justificationis, seu hominem justificandum & justificationem ipsam esse actum forensem, cum *ὑπόδικος* proprie notet reum, iudicio obnoxium.

Rom. VIII, 39. *Nulla nos creatura potest disjungere a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu, Domino nostro.* Hic Paulo sermonem esse de caritate Dei passiva, qua nos amamur, præter locutionem, *quæ est in Christo*, patet ex antecedentibus, speciatim v. 37. Et hanc ipsam c. V, 5. dicit in *cordibus nostris esse diffusam per Spiritum Sanctum.*

1 Cor. II, 19. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis venerunt, quæ Deus paravit timentibus ipsum.* Hæc verba non de regno gloriæ, sed de regno gratiæ, hic intelligi, contextus integer, cum antecedens, tum consequens, ostendit.

2 Cor. XII, 5. *Paulus non nisi in infirmitatibus suis vult gloriari* i. e. bono esse animo: quales vero intelligat infirmitates, indicat contextus uterque, cum qui præcedit, & quidem remotius c. XI, 23. seqq. in primis v. 30. tum qui sequitur c. XII, v. 9. 10. scilicet varia afflictionum genera, quibus externus homo magis magisque enervatur.

1 Tim. V, 8. *Qui suis, maxime domesticis suis, non prospicit, fidem abnegavit, & infideli est deterior.* Sermo hic est, non de cura parentum pro liberis, sed liberorum pro parentibus, seu matribus, aut aviis, in viduatu constitutis; quemadmodum ex integro contextu liquet.

2 Tim. I, 13. Hic Paulus Timotheo commendat *hypotyposin salubrium verborum in fide & caritate.* Quod si conferamus ea, quæ proxime antecedunt & sequuntur, videmus hypotyposin egregie declarari per *παράθεσιν* & *παράθεσιν*.

Tt

παράθεσιν

παρὰ καταθήκην, per depositum, per inhabitantem Dei spiritum adservandum.

2 Tim. IV, 6. 7. *Ego jam in libamen offeror & tempus meae dissolutionis instat &c.* Ex hisce Pauli verbis per se consideratis aliquis non immerito colligeret, ipsum, cum hanc epistolam scriberet, morti fuisse proximum, ita ut ab ea vix per aliquot dierum, aut hebdomadam, intervallum abfuerit. At si in consequentibus v. 9. 21. consideres, Timothei, qui in Asia degebat, praesentiam a Paulo adhuc fuisse expectatam, eumque ab illo Roma arcessi, manifestum est, apostolum non intellexisse vitae terminum adeo vicinum, uti ista verba extra contextum considerata indicare videntur.

Not. 1. Curata συνειδήσεως ratio etiam in quolibet textu habenda est, praecipue in longiore. Habet enim omnis textus, nisi aliquis maxime concisus sit, sua membra, quae, si secundum orthotomiam analyticam considerentur, nexum suum mox produunt.

2. Non raro defunt particulae connectendi: ubi, quae sit cohaerentiae ratio, res ipsa ostendere solet.

APHORISMUS X.

de parallelismo.

Nec parum lucis cuilibet textui, praecipue difficiliori, adfert parallelismus sive in rebus tantum ipsis, sive simul in verbis etiam talis, una cum consideratione synonymiae sacrae.

Illustratio.

§. I. Exempla parallelismi synonymi, in rei ipsius convenientia positi:

Rom. V, 2. *Per Christum habemus accessum ad gratiam Dei fide.* Hoc ipsum c. VIII, 15. egregie declaratum videas per Spiritum Christi, Spiritum υιοθεσίας, per quem Patrem adimus identidem ingeminantes illud: *abba Pater.*

Rom. VI, 19. *Sistite membra vestra serva justitiae ad sanctificationem.* c. XII, v. 1. *Adhortor vos, ut corpora vestra sistatis victimam viventem, sanctam & Deo placentem &c.*

Rom. VIII, 23. *Habemus primitias Spiritus:* id quod Hebr. VI, 4. 5. significantissimis verbis, praecipue a gestu desumptis, declaratur.

Ibidem apostolus loquitur de redemptione corporis nostri: & hanc ipsam egregie describit ad Philipp. III, 21. redemptionem istam vocans μετασχηματισμὸν, gloriae

glorix corporis Christi conformem futurum. Ex instituto autem de ea agit 1 Cor. XV. eam vocans *resuscitationem*, & hanc variis figuris modisque adumbrans.

§. II. Exempla parallelismi, qui in iisdem vocibus & locutionibus est, cuius diligentis sacri codicis lectori sunt obvia, & in multis editionibus ad marginem exhiberi solent.

Præstat vero parallelismum biblicum e crebra lectione & collatione sibi reddere familiarem, quam ad codicum margines recurrere. Et cum alius locus alio soleat esse aut brevior, aut copiosior, ita ut alius alium ob additas determinaciones variis modis declaret, insigne hermeneuticæ adminiculum est in usu & applicatione parallelismi.

APHORISMUS XI.

de unitate & electione sensus.

Cum unus tantum cuiuslibet loci sensus sit, a Spiritu Sancto intentus, in dictis, quæ obscuriora, aut ambigua, esse videntur, is eligendus est, qui rei ipsi, secundum analogiam, textum, contextum & parallelismum locorum faciliorem considerata, est convenientissimus.

Illustratio.

Rom. VIII, 19. seqq. Vox *creatura* hic vi textus, contextus, & analogiæ ac parallelismi aliter accipi nequit, nisi de ipso mundi universi systemate & de iis, quæ præter humanum genus in eo sunt; & ita quidem, ut mundi hujus renovatio statuatur.

Rom. IX, 3. Paulus optavit pro *Judæis* fieri *anathema* i. e. tanquam *επιανάθημα* & *επιψευδα* (1 Cor. IV, 13.) ad violentam mortem Christo permittente rapi, si ea *Judæorum* furorem adversus evangelium minuere posset. Vide, quæ de hujus loci sensu genuino & vindiciis differui in Appendice libri *Mittel-Strasse* p. 184. seqq.

Rom. IX, 16. *Quare* (salus) non est *volentis, nec currentis, sed misereantis Dei*. Hic sermonem esse non de volente & currente, qualem ordo salutis requirit, sed qui eidem voluntate & cursu suo electio se opponit, omnia indicant.

Rom. IX, 18. *Quem vult, indurat.* *τὸ indurare* hic intelligendum est de voluntate Dei consequente & judiciaria adversus eos, qui convertenti gratiæ obicem ponunt: quos quod *deserere velit* Deus, abunde testatus est. Hunc esse

T t 2

esse hujus loci sensum, nec eum agere de absoluto reprobationis decreto, manifestum est, præcipue e contextu & parallelismo locorum facilliorum. Rom. XI, 25. Nomine *universi Israelis convertendi* ut his ipsa proprie sic dicta gens judaica intelligatur, eaque dicatur adhuc convertenda, textus, contextus & parallelismi omnisque analogiæ ratio requirunt.

2 Tim. IV, 13. Vocem *Φαλόνην* hic non de pænula, seu pallio, sed de *theca* aliqua *libraria* intelligendam esse, res ipsa ostendit, ut supra pluribus evictum est Part. I. Sect. III. Cap. IV. §. XI.

Not. Non raro loci alicujus obscuritas oritur e præjudicio receptæ hypothesos. Per hanc enim sæpe nodi quærentur in scirpis, uti inter alia liquet e sinistra antecedentium locorum interpretatione.

APHORISMUS XII.

de sensu verborum proprio.

A proprio verborum sensu nunquam est recedendum, nisi id urgeat necessitas, ex absurditate aut difficultate significationis propria insuperabili emergens.

Illustratio.

§. I. Exempla significationis propriæ non deferendæ.

Rom. VIII, 19. 20. 21. Vox *κτίσεως creatura* hic proprie est accipienda de rebus creatis, ad mundi systema pertinentibus, & in quantum illæ ab angelis & humano genere distinctæ sunt. Tantum enim abest, ut vox ista sic accepta sensus difficultatem, aut absurditatem, pariat, ut potius significatio ejus impropria, seu minus usitata, inexplicabiles nodos nectat, utpote scopo, textui & contextui plane contraria.

1 Cor. XV, 30. Hic *infirmi & egrotantes* commode intelliguntur proprie, seu sensu communiore tales, quibus e peculiari Dei judicio *morbi corporis* erant immisfi. *Dormientium* vero nomine ibidem defunctos intelligi, & eos sic appellari improprie, res ipsa indicat.

1 Cor. XV, 50. *Caro & sanguis regnum Dei hereditario jure obtinere non possunt.* Hic ut voces, *caro & sanguis*, de labe peccati accipiamus, nulla nos necessitas cogit; immo significatio hæc impropria scopo & contextui apostoli repugnat; propria autem, de corpore humano, quale id est in hac vita mortali, est convenientissima. Conf. Gal. I, 16. Matth. XVI, 17. Ubi per carnem & sanguinem tota humana natura, seu ipse homo sibi relictus, intelligitur.

1 Cor. II,

2 Theff. II, 3. seqq. Hic describitur *anticristus*, ejusque revelatio & destructio. Et totius textus structura requirit, ut hæc, sensu generaliori non excluso, de certa aliqua persona accipiantur. A qua sermonis istius proprietate ut recedamus, plane nulla nos necessitas, nulla difficultas, cogit. Et si parallelismum respicias apocalypticum, is in persona seu sub figura infamis bestiae eundem sensum habet.

Not. Huc pertinent omnes voces & locutiones *proverbiales, antitypicae & metaphoricae*, e veterum proverbiiis, nec non e typis vet. testamenti sacris explicandæ, & a variis rebus desumptæ: quatum tanta in sacris, etiam in epistolis Paulinis, est copia, ut numerus non facile iniri queat.

§. II. Exempla significationis propriæ deferendæ.

Rom. VIII, 19. Quæ hic de gemitu & expectatione creaturæ maxime anxia dicuntur, improprie accipienda sunt, quemadmodum naturæ subjecti convenit, ita ut hic etiam canon tertius, supra datus, applicari possit. Nec obstat, quod subjectum, uti & ea prædicati pars, quæ in *liberatione* ponitur v. 21. proprie intelligatur. Hic enim res ipsa acceptionem propriam requirit.

Rom. VIII, 23. *Exspectamus corporis nostri redemptionem.* Hic vocem *redemptionis* non accipi proprie de solutione lytri, per Christum facta, sed de liberatione & gloriosa corporis metamorphosi, tanquam redemptionis propriæ dicitæ fructu, res ipsa indicat. Idem comprobatur parallelismus c. VII, 24. Eph. I, 14. c. IV, 30. item Luc. XXI, 28. ubi vox *redemptionis* eodem sensu accipitur. Posset hic etiam quam commodissime applicari Capitis II. aphorismus III. de emphasi *significationis extensivæ*, ubi verbum, quod notionem causæ habet, de effectu intelligendum est.

1 Cor. III, 3. *Quale uniuscujusque opus sit, ignis probabit.* Vocem *ignis*, hic & in sequentibus improprie esse accipiendam, sensus proprii difficultas, immo & absurditas, indicat.

1 Cor. XV, 32. Verbum *ἠρειμαχίαν* hic quam commodissime sensu improprio accipitur, quia Lucas in Actis, ubi satis prolixus est in rebus Pauli Ephesinis recensendis Act. XIX. nullam proprie dicitæ *ἠρειμαχίας* mentionem facit; feroces vero ecclesiæ hostes etiam alibi passim ferarum nomine appellantur.

Note generales.

1. Hæc axiomata XII. aphoristica ita agunt de sensus litteralis evidentia ac proprietate, ut simul nonnulla ad emphasiologiam pertinentia contineant: quemadmodum sequentis posterioris capitis aphorismi emphasio-

phasiologici multa habent, quæ sensus litteralis proprietatem declarant & illustrant.

2. Unus idemque locus biblicus, aut quælibet ejus pars ac particula, in applicatione exegetica, pro diversitate respectuum, plures admittit canones hermeneuticos. Id quod nec ipsis hermeneuticæ sacræ titonibus praxin tentantibus esse potest obscurum.
3. In aphorismis hisce supponitur usus & scrutatio textus authenticici; siquidem versio Lutheri cum aliis ab eo passim ita discrepat, ut integritati sensus partim multum, partim aliquid decedat v. g.

Rom. VIII. 1. Es ist nichts verdammliches / pro: Keine Verdammung.

2. Cor. IX. 6. Haben allein ich und Barnabas nicht Macht solches zu thun / pro: nicht Macht uns der Arbeit zu entschlagen / h. e. von der Hand-Arbeit zu seyn / und dagegen von gemeinem Solde zu leben.

2. Cor. V, 11, 12. Unser Hertz ist getrost / unserthalben dürft ihr euch nicht ängsten / daß ihr euch aber ängset / daß thut ihr aus hertlicher Meinung. pro: Unser Hertz stehet weit offen / ihr findet keine (ausschließende) Enge in uns / ihr aber seyd enges Hertzens (uns außzuschließen)

2. Cor. XII, 20. Aufruhr pro Unordnung / vel Zerrüttung.

CAPUT II.

De

Emphasiologia, seu Emphasi Locutionum ac vocum eruenda.

APHORISMUS I.

de affectu scriptoris sacri emphatico.

Sæpe affectus scriptoris sacri ex indicibus suis recte cognitus indicat, insignem sermoni integro, aut aliquot ejus partibus, emphasin subesse.

Illustratio.

Rom. I. 1-6. Hic Paulus locutiones: *Evangelium Dei -- de Filio ipsius -- JE.*
sa

su Christo Domino nostro singulari fidei & sanctæ admirationis affectu protulit, ideoque ex ejus abundantia, suggerente Spiritu Sancto, earum *δείωσις* in adjectis parenthesisibus declaravit. Etenim sanctus affectus istius motus, ex rei ipsius plenitudine & fecunditate proveniens, non permisit ipsi, ut voces istas ponderosissimas sine parenthetica declaratione nude poneret. Rom. I, 9. seqq. Hic manifestus est in Paulo affectus desiderii & tenerissimi amoris erga Romanos, in ædificationis studium exuberans. Ex hoc igitur affectu, qui in apostolo constans fuit, non solum hæc hujus capituli pars, sed universa etiam epistola est dijudicanda, præcipue in locis ejus severioribus. Sancta enim severitas cum amore intensissimo in Paulo non fuit *ἀσύνετος*, sed evangelica, i. e. caritate temperata.

Rom. I, 23. fin. Hæc omnia affectu sanctæ detestationis scripta esse, res ipsa indicat. Unde eodem legenda & explicanda sunt.

Rom. V, 1. seqq. Hic per integrum caput dominatur affectus scribentis evangelicus, e regni Dei intra animum jam possessi gustu proveniens, & plerophoria fidei ac lætitiæ plenus: qualis ab interprete etiam regenito induendus est, ita ut eodem animatus Pauli mentem, cum interna *αἰσθήσει* præceptam, ad vivum possit exprimere.

Idem affectus conspicuus est in integro capite octavo hujus epistolæ. Salvo tamen hoc animi statu in eodem Paulo simul locum habuit affectus tristitiæ, e forte Judæorum plurimorum miserrima conceptus, & proditus cap. IX, 1, 2. seqq. Quam vario affectu, nunc indignationis ac severitatis, nunc amoris, lenitatis ac spei, epistolæ ad Corinthios & ad Galatas conscriptæ sint, cuivis attento lectori manifestum est.

Eph. I, 3. seqq. Hic affectus, qui e bonorum spiritualium possessione & gustu redundat, structuram sermonis ita dirigit, ut, quod natura posterius est, priori loco exprimatur. Nam naturalis ordo hic est: *antecedens*: Deus nos in Christo multis bonis beavit: *consequens*: ideo celebrandus est. Sed affectus hoc posterius præmittit: *Laudandus est Deus &c. qui &c.* Sic etiam in usu quotidiano res lætæ ac tristes id efficere solent, ut de iis locuturi affectum prius certis signis verbisque prodamus, quam rem ipsam.

Note.

1. Affectus diversi ratio præcipue attendenda est in mentione personarum & factorum, etsi nullum in ea istius vestigium expressum sit.
2. Quanti res sit momenti scriptoris sacri affectum recte habere perspicuum, non solide minus & utiliter, quam fuisse tradidit in *Hermeneutica sacra* collega conjunctissimus, venerandus Profess. AUGUSTUS HERM. FRANCKIUS.

APHO.

APHORISMUS II.

de emphasi verborum notitiæ, memoriæ & sensuum.

Verba ac nomina notitiæ, memoriæ & sensuum, pro natura sermonis cujuslibet, præcipue sacri, de conjuncto affectu, immo non raro etiam de effectu, intelligenda sunt: quo autem, res ipsa indicare solet.

Illustratio.

Rom. I. *Mentionem vestri facio*: scilicet cum affectu lætitiæ, amoris, desiderii & gratiarum actionis, uti contextus habet.

Ibid. *Desidero vos videre* i. e. ad spectu vestro, vestroque statu conspecto, recreari, uti contextus indicat.

Rom. I, 28. *Deum habere in agnitione*, ita ut ipse debite colatur: quod contextus etiam urget.

Rom. III, 17. *Viam pacis ignorant*, & ita quidem, ut eam odio prosequantur & inire detrectent.

Rom. III, 19. *Scimus* (assensu divino, si recta est scientia) quod quæ lex dicit, iis, qui in lege sunt, loquatur.

Ibid. v. 20. *Per legem* (datur) *agnitio peccatorum*, (talibus, quæ cum sensu contritionis & detestationis seriæ conjuncta est.)

Rom. VI, 3. *Nescitis ne h. e. ane probe cognovistis ipsa conversionis experientia*, nos in mortem Christi baptizatos esse.

Rom. VIII, 28. *Novimus* (vera fide, ita ut credamus, & ipsi experiamur) *Deum amantibus omnia in bonum cooperari.*

APHORISMUS III.

de emphasi significationis extensivæ & intensivæ a priori.

Sæpe verbum aut nomen, quod antecedens, aut causam notat, pro natura ipsius rei simul de consequenti & effectu, vel etiam de adjunctis ejus, intelligendum est.

Illustratio.

Rom. I, 1, 6. 2. Hic vox κλητός vocatus, quasi vocatitius, proprie exprimit ante-

antecedens, ipsam vocationem ad communionem gratiæ, Romanis datam: sed omnino simul notatur consequens, seu effectus obsequii in Romanis. In eadem extensione sumtum frequentissimum est verbum *vocandi* v. g. c. VIII, 30. *quos vocavit* (eo cum effectu, ut vocanti obsecuti fuerint) *eos etiam justificavit.*

Rom. I, 8. *Fides vestra* (ex fructibus eam comitantibus & statim sequentibus conspicua, atque ita per consequens etiam vita vestra christiana, plurimis documentis demonstrata omnibus) *annuntiatur in universo mundo.*

Rom. II, 3. *Non effugere iudicium Dei.* Hic iudicii nomine simul omnino intelligitur consequens, seu effectus, qui est æternum exitium, ob quod iudicium reformidari solet. Eadem emphasi accipitur verbum *judicare*, seu *damnare* v. 12. & alias sæpissime.

Rom. VIII, 30. *Quos Deus justificavit* (ita ut justificati illi in vita reliqua se siverint magis magisque renovari) *illos etiam glorificavit.*

APHORISMUS IV.

de emphasi significationis extensivæ & intensivæ a posteriori.

Sæpe verbum, aut nomen, quod consequentis, aut effectus ac signi, nomen habet, pro natura ipsius rei simul de antecedenti & de causa intelligendum est.

Illustratio.

Rom. II, 6. *Deus reddet unicuique secundum opera ipsius.* Operum, tanquam effectus, nomine hic simul notatur causa, seu antecedens, nimirum *fides*, aut *πίστις*, secundum illud Christi: *qui crediderit, salvabitur, qui non crediderit, condemnabitur* Marc. XVI. v. 16.

Rom. III, 19. *Os peccatori obstruere est*, ratione antecedentis, ipsi gloriandi ansam demere, detecta deplorandi causa. Unde oritur silentium, seu defectus gloriationis, quæ alias verbis prodi solet.

Rom. X, 13. *Quicumque invocabit nomen Dei*, (ita ut in ipsum credat & hanc fidem suam invocatione prodat, uti habet v. 14.) *salvabitur.*

APHORISMUS V.

de emphasi significationis extensivæ & intensivæ ab adjunctis.

Sæpe verbum, aut nomen aliquod, pro natura rei sub-

Uu

strate

strata simul intelligendum est de ejusdem adjunctis, seu conjunctis & cognatis.

Illustratio

Rom. I, 16. *Evangelium dicitur potentia Dei ad salutem: ubi salutis nomine intelligitur non solum vita gloriae, sed etiam vita gratiae, & in hac cumulus bonorum evangelicorum omnium, per quæ salus nobis confertur, instaurata in nobis Dei imagine. Sic v. 17. vivendi verbo, quod de justificatis dicitur, continetur, quidquid ad complexum vitæ gratiæ & æternæ gloriæ pertinet.*

Rom. IV, 25. *Christus traditus est propter peccata nostra. Verbo tradendi hic quidem respicitur speciatim ad mortem Christi, sed generatim ad traditionem istam pertinet totus status exinanitionis. Conf. c. VIII, 32.*

Rom. V, 1. *Justificati ex fide pacem habemus apud Deum. Justificatorum nomine hic simul intelligi regenitos, seu eam justificatorum indolem, quam habent ex regeneratione, seu conversione, cognata harum rerum natura docet.*

Rom. VIII, 2. *Lex spiritus vitæ (evangelium) liberavit me a lege peccati & mortis. Hic verbum liberandi notat quidem justificationem, sed ita ut regenerationem omnino includat.*

Rom. X, 13. *Quicumque nomen Domini invocabit, salvabitur, scilicet in regno utroque, & gratiæ & gloriæ; cum utriusque regni salus conjunctissima sit. conf. c. XI, 25.*

Pertinent huc singula decalogi præcepta extensive sumenda omnis generis extensione.

Notæ.

1. *Ad significationem extensivam pertinet ea certorum temporum in verbis emphasis, qua una temporis notio alteram, aut reliquas, includit:*

Rom. I, 8. *Gratias ago Deo meo &c. quemadmodum jam dudum egi, & acturus sum etiam posthac.*

Ibid. v. 9. *Servio Deo in spiritu &c. uti ipsi jam inde a conversione mei servi vi & æternum serviturus ero.*

Ibid. v. 16. *Non erubesco evangelium: quod nec antea, ex quo illud cognovi, unquam erubui, nec erubescam posthac.*

Rom. V, 1. *Per Christum accessum habuimus (adhuc habemus & habituri sumus) fide ad hanc gratiam, in qua stetimus (stamus & staturi sumus.)*

Rom. VI, 2. *Peccato mortui sumus, ita ut eidem adhuc moriamur & morituri simus.*

Not. Triplicem temporum differentiam expressam vide 2 Cor. I, 10. Deus ex tanta morte eripuit nos & eripit, in quem speravimus, quod etiam adhuc liberaturus sit.

2. Cum

2. Cum significatione extensiva sæpe conjunctam esse intensivam, qua externa non sine internis, neque hæc sine illis, accipienda sunt, vel e solis decologi præceptis est manifestum.
3. Ad significationis intensivam speciatim pertinet ea verborum simplicium proprietates, qua interdum pro compositis adhibentur. Sic i Tim, I, 19. *ἔχειν*, habere fidem & bonam conscientiam est *κατέχειν*, retinere ac tueri, uti e re ipsa & ex opposito jacturæ ibidem indicatæ liquet.
4. Qua ratione verbum unum in significatione extensiva non raro, præcipue in Hebræo codice, pro duobus ponatur, vide in GLASSII Philolog. Sacr. p. m. 543. can. II. de verbis.

APHORISMUS VI.

de significatione vocum ac locutionum typicarum & metaphoricorum extensiva.

Voces ac locutiones typicæ ac metaphoricæ insignem habere solent emphasin, qua evolutione metaphoricæ & typicæ extensiva eruenda est.

Illustratio.

§. I. Exempla vocum ac locutionum typicarum:

Rom. III, 25. Deus nobis proposuit Christum *ἰλασθριον* per fidem in ipsius sanguine.

Rom. V, 2. Per Christum habemus accessum fide ad gratiam.

Ibid. v. 9. 10. Justificati sumus per sanguinem Christi. Deo reconciliati sumus per sanguinem filii sui.

Rom. VIII, 3. Deus peccatum sustulit per peccatum (sacrificium pro peccato) in carne.

Ibid. v. 9. Dei Spiritus vos inhabitat.

Ibid. v. 17. Sumus heredes & cohæredes Christi.

Ibid. v. 23. Primitias Spiritus accepimus.

Ibid. v. 29. Ut Christus esset primogenitus, in multis fratribus. Conf. c. XI, 16.

Rom. XII, 1. Adhortor vos, fratres, per misericordiam Dei, ut corpora vestra sistatis victimam viventem, acceptam Deo, rationalem cultum vestrum. Conf. c. XV, 16.

Not. Hæ & aliæ quam plurimæ locutiones typicæ quanta significationis intensivæ & extensionis explicandæ sint, ex instituto docui in libro, qui *Bezaleel*, seu *Mysterium Christi ac christianismi in fasciis antiquitatum biblicarum typicis*, inscribitur.

Uu 2

§. II.

§. II. Exempla vocum ac locutionum comparativarum e
metaphora sua ad allegoriam nativam transferendarum.

Rom. I, 1. Paulus vocatur *apostolus* h. e. legatus & ibidem doctrina de Christo
vocatur *evangelium*.

Rom. III, 13. *Sepulcrum apertum guttur eorum. Venenum aspidum sub labiis
eorum.*

Ibid. v. 19. *Universus mundus Deo est ὑποδίκος, iudicio ejus obnoxius.*

Ibid. v. 24. *Justificamur per redemptionem, quæ est in Christo.*

Rom. IV, 5. *Fides imputatur ad justitiam. v. 8. Peccatum non imputatur.*

Ibid. v. 21. Pauli fidei tribuitur *plerophoria*, locutione a re nautica desumpta.

Rom. V, 5. *Charitas Dei dicitur effusa, seu diffusa in cordibus nostris.*

Ibid. v. 14. *Mors dicitur regnasse, scilicet ut tyrannus. Idem v. 21. tribuitur
peccato & gratiæ.*

Rom. VI, 5. *Fideles dicuntur cum Christo plantati, seu eidem insiti.*

Ibid. v. 17. *Fideles dicuntur traditi in typum doctrinæ.*

APHORISMUS VII.

de emphasi affirmationis & negationis inclusivæ.

*Negatio, deficiente antithesi expressa, quam sapissime
simul per rei contrariæ affirmationem explicanda est, caus-
sa negativæ locutionis indicata.*

Illustratio.

Rom. I, 16. *Non erubescio evangelium Dei (ut in afflictionibus mihi relictus
ignorato crucis mysterio facere poteram) immo illud singulari mihi gloriæ
duco. Vide omnino Act. V, 41. Conf. v. 13. Nolo vos ignorare.*

Rom. V, 3. *Spes non pudefacit (uti existimat humana ratio) sed potius animum
erigit & corroborat.*

Rom. VIII, 1. *Nulla condemnatio illis, qui in Christo Jesu sunt (ut iidem in statu
tentationis existimare solent) sed potius certa absolutio & multa salus.*

Ibid. v. 8. *Illi qui in carne (corruptione, tanquam in elemento) sunt, Deo pla-
cere nequeunt (ut ipsi solent arbitrari) sed illi potius vehementer displicent.*

Rom. X, 33. *Qui credit in Christum, non pudefiet, (secundum sensum animi ten-
tati) sed potius multa parrhesia & gloria afficietur. Conf. c. X. v. 11.*

APHO-

APHORISMUS VIII.

de emphasi synonymiæ sacræ.

Sape alicujus rei ἐμφασις, seu δεινότης, pro ejusdem gravitate ac magnitudine, aut plenitudine ac fecunditate, & pro ratione affectus, quo scriptor sacer præditus est, pluribus verbis exprimitur: quæ quidem idem significare solent, sed diverso tamen respectu.

Illustratio.

- Rom. II, 4. *An divitias bonitatis ejus & patientia & longanimitatis contemnis?*
 Sic v. 7. *Gloria & honor.* v. 8. *indignatio & ira, afflictio & angustia.*
 Rom. VII, 12. *Præceptum est sanctum, & justum & bonum.*
 Rom. VIII, 35. *Afflictione? an angustia, an persecutio?*
 1 Cor. I, 2. *Sanctificatis in Christo & vocatis sanctis.*
 1 Cor. V, 8. *Fermentum malitia & nequitia: azymi sinceritatis & veritatis.*

APHORISMUS IX.

de emphasi quarandum vocum simplicium.

Multæ voces simplices magnam habent embhasin, non tam pro notione sua grammatica, quam pro indole sua theologia & sacra.

Illustratio.

Tales voces sunt, quæ integram doctrinam, aut rem maximi momenti, significant v. g.

In materia de statu institutionis: *Imago, creatio, conformitas, justitia, veritas, agnitio, sapientia, libertas &c.*

In materiis de statu detritutionis: *Lapsus, inobedientia, peccatum, reatus, mors, tenebra, infidelitas, Græcis ἀπειθεῖα seu ἀπιστία, mendacium &c.*

In materiis de statu restitutionis: *Gratia, evangelium, redemptio, vocatio, regeneratio, conversio, penitentia, justificatio, renovatio, fides, spes, caritas, pax, libertas &c.*

Quantæ emphaseos sint voces: *Deus, Christus, Jesus, Dominus, &c.* ne tionibus quidem hermeneuticæ sacræ est ignotum,

U u 3

APHO-

APHORISMUS X.

de emphasi vocum compositarum.

Saepe voces compositae praeter elegantiam suam magnam habent emphasin, curate enucleandam.

Illustratio.

- Rom. I, 10. εὐδοκῶν, *prosperum iter*, seu occasionem impedimentorum exper-
tem, habeo.
- Ibid. v. 30. Θεοσυγεῖς, ὑπερήφανοι, ἐφθυρετὰ κακῶν, *Dei osiores, elati, prompti*
& *ingeniosi malorum inventores.*
- Rom. II, 5. δικαιοκρισία, *justum judicium Dei.* sic v. 11. προσωποληψία, *perso-*
nae acceptio. v. 22. ἱεροσυλεῖν, *sacra violare.*
- Rom. IV, 21. πληροφροῦσθαι, *plenis fidei velis ferri.*
- Rom. VIII, 19. συκληρονόμοι χριστοῦ, *coheredes Christi.*
- Ibid. v. 19. ἀποκαταδοκία τῆς κτίσεως, *expectatio creaturae maxime sollicita,* qua-
lis fieri solet exerto capite.
- Ibid. v. 37. In his omnibus ὑπερνικῶμεν, *abunde vincimus,* ita ut adhuc major
ad pugnam & victoriam facultas superfit.
- Rom. XVI, 18. Ubi verbum ἐξαπατάω est ita *decipio,* ut animum a centro suo
quasi abductum in transversum agam

APHORISMUS XI.

de emphasi particularum.

Non raro minimae etiam particulae permagnam habent emphasin, ob vocularum istarum tenuitatem nequaquam praeteundam.

Illustratio.

- Rom. VIII, 34. Hic emphatica est repetitio articuli relativi ὅς & particulae
ἧς. Multo magis vero *etiam suscitatus, qui etiam est in dextra patris, qui etiam*
intercedit pro nobis. Vide eandem c. IX, 4.
- Rom. IX, 33. c. X, 11. Hic praepositio ἐπί, tanquam particula quietis, in locu-
tione de fide cum ablativo & dativo constructa, notat eam fidei proprietatem,
quam praeter nisum & modum ad objectum suum habet in recumbendo &
acquiescendo, Christo ipsi fundamentum & elementum praebente.

1 Cor. I,

1. Cor. I, 5. *In omni ditati estis in ipsos.* Hic præpositio *ἐν* non solum notat causam efficientem, uti LUTHERUS reddidit *durch ihn* / sed simul, & præcipue, ordinem, quo Corinthiis spirituales divitiæ obvenerint, scilicet communionem cum Christo.

Tit. I, 1. ubi articulus relativus *τῆς* voci *ἀληθείας* postpositus, eam, uti & ipsam cognitionem veritatis, ita explicat, ut inserviat declarationi, scilicet sermonem esse de ejusmodi veritate ejusque cognitione, quæ pietatem non solum habeat pro scopo suo, sed etiam pro indole.

APHORISMUS XII.

de emphasi structuræ in sermone.

Quam sapissime ipsa etiam sermonis structura est emphatica, respectu ordinis, aut alius qualitatis in sermone aliquo conspicua.

Illustratio.

§. I. Exempla structuræ emphaticæ in ordine sermonis, respectu ad res ipsas habito.

Rom. I, 7. & in aliis epistolis occurrit formula salutationis, in qua gratia præmittitur paci, tanquam causa effectui. Non enim gratia, aut ejus usura, genuina est, nisi se pace prober: nec pax alia est vera, nisi quæ e gratiæ fonte promanat.

Rom. V, 3, 4, 5. *Scimus, quod operetur afflictio patientiam, patientia probationem, probatio spem; spes vero non pudefacit.* Conf. 1. Petr. I, 5, 6, 7.

Rom. VIII, 28, 29, 30. Hic *πρόθεσις, πρόγνωσις, προορισμός*, ab æterno facta sunt, & tria reliqua momenta in tempore fiunt, ita ut se ad æternitatem extendant, nimirum: *κλήσις, δικαίωσις, δόξα*.

Rom. XIV, 17. *Regnum Dei est in justitia, in pace & in gaudio in Spiritu Sancto.* Justitia enim Christi fide applicata gignit pacem, & hæc gaudium.

§. II. Exempla structuræ emphaticæ in alia sermonis qualitate.

Rom. II, 21. *Qui alterum doces, temet ipsum non doces: qui predicas, non furandum esse, furaris: v. 22. qui dicis, non esse adulterium committendum, adulterium committis; qui abominaris idola, sacrilegus es. v. 23. qui in lege gloriaris, per transgressionem legis Deum ignominia afficis.*

Rom. VIII, 19. *Solicita expectatio creature expectat.*

Ibid. v. 23. *καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς, Et nos ipsi in nobis ipsis gemitu expetimus adoptionem.*

2. Cor.

2. Cor. IV, 16. *Nam momentanea levitas afflictionis nostrae secundum excellentiam in excellentiam aeternum pondus gloriae operatur nobis.*

Eph. I, 18. *Divitiae gloriae vocationis.*

Ibid. v. 19, 20. *Excellentis magnitudo potentiae ipsius erga nos, qui credimus secundum efficaciam roboris virtutis ejus, quam operatus est in Christo &c.* Conf. c. III, 16, 18. IV, 16. Col. II, 7.

§. III. *Exempla structurae sermonis emphaticae in apostrophe, interrogationibus & exclamationibus, ex affectu scribentis & rei magnitudine profectis.*

Rom. II, 1, 2, 4. c. VI, 1, 3, 15. VIII, 33. seqq. XI, 33. seqq. 2. Cor. VI, 11. Gal. III, 1, 2, 3, 4, 5. IV, 15, 16, 21. κ. τ. λ.

SECTIONIS II.
APPENDIX
De
CHARACTERIBUS SERMONIS
PAULINI PRÆCIPUIS.

APHORISMUS I.

de usu vocum, JESUS Christus.

CUM JESUS CHRISTUS Paulo esset omnia in omnibus, nomina haec adhibuit quam frequentissime, omnia, quae ad salutis restituenda negotium ac ordinem pertinent, ex eo derivans, per eum digrens, & ad eum, ut scopum, referens: qui character sermonis Pauli primus est.

Illustratio.

Vocabulum JESUS legitur ducenties & decies septies: in epist. ad Roman. 38. 1. ad Corinth. 27. 2. ad Corinth. 21. ad Gal. 17. ad Ephes. 21. ad Philipp. 22. 1. Theff. 7. ad Theffal. 12. 1. ad Tim. 14. 2. ad Tim. 14. Tit. 4. Pailem. 7. Hebr. 13.

Voca-

Vocabulum CHRISTUS legitur *quadringenties decies novies*: in epist. ad Rom. 68. 1. ad Corinth. 68. 2. ad Corinth. 49. ad Gal. 40. ad Ephes. 45. ad Philipp. 38. ad Coloss. 26. 1. ad Theff. 13. 2. ad Theff. 12. 1. ad Tim. 15. 2. ad Tim. 15. Tit. 4. Philem. 13. ad Hebr. 13. Quæ vocabula cum animæ mellea sint, suavissimum illa nutrimentum, & gratisimum condimentum vel in sola vocum harum salutiferarum lectione habet: quemadmodum in Paulo ex abundantia cordis os locutum est, seu calamus expresit eodem gustu. Materiam, quibus adduntur hæc nomina, per se jam cibus sunt saluberrimus: cui cum accedat dulcissimum ac fragrantissimum hoc nominis utriusque condimentum, eo gratior is est animæ.

APHORISMUS II.

de usu vocis *Dominus*.

Vocabulum *κύριος*, DOMINUS, quod Hebræorum יהוה exprimit & certissimus divinitatis character est, de Jesu Christo in Pauli epistolis trecenties circiter legitur: quæ secunda est stili Paulini proprietates.

Illustratio.

Loca videantur in libris, quos vulgo concordantias adpellamus. Quantum vero universæ doctrinæ de Christo hinc accedat ponderis in toties confirmata ejus divinitate, quis non videt & admiratur? Quod si in probanda thesi de divinitate Christi colligimus loca, ubi vox *Deus* legitur, certe hæc minime prætereunda, saltem semper supponenda sunt.

APHORISMUS III.

de locutionibus in Domino, vel in Christo.

Tertius stili Paulini character est in frequentissimo usu locutionis *ἐν κυρίῳ*, seu *ἐν Χριστῷ*, qua apostolus arctissimam Christi ac fidelium unionem ac communionem exprimit, eo loquendi modo simul indicans fidei ac timoris affectum, quo omnes actiones fieri debeant.

XX

Illustratio.

Illustratio.

Hunc loquendi modum esse frequentissimum in Pauli epistolis, ex eo manifestum est, quod centies quadragesies quater legatur: Rom. III, 24. V, 11. VII, 11, 23. VIII, 1, 2, 39. IX, 1. XIV, 14. XV, 17. XVI, 2, 3, 7, 8, 9, 10, 11, 12. (bis) 13, 22. 1. Cor. I, 2, 4, 5, 30, 31. III, 1. IV, 10, 15. (bis) 17. (bis) V, 4. VI, 11. VII, 22, 39. IX, 1, 2. XI, 11. XV, 18, 19, 22, 51, 58. XVI, 19, 24. 2. Cor. II, 12, 14, 17. III, 14. V, 17. X, 17. XII, 2, 19. XIII, 4. Gal. I, 22. II, 4, 17. III, 14, 26, 28. V, 6, 10. VI, 15. Ephes. I, 1, 3, 4, 6, 7, 9, 10, 11, 12, 13, 15, 20. II, 6, 7, 10, 13, 21. III, 6, 11, 21. IV, 1, 17, 21, 32. V, 8. VI, 1, 21. Philipp. I, 1, 13, 14, 26. II, 1, 10, 19, 24, 29. III, 1, 3, 9, 14. IV, 1, 2, 4, 7, 10, 19, 21. Col. I, 2, 4, 28. III, 3, 17, 18. IV, 7, 17. 1. Thess. II, 2, 14. III, 8. IV, 1, 16. V, 12, 18. 2. Thess. III, 4, 6. 1. Tim. I, 14. II, 7. III, 13. 2. Tim. I, 1, 9, 13. II, 1, 9, 10. III, 12, 15. Philem. v. 8, 16, 20. (bis) 23. Huc pertinent permulta loca, ubi post vocem *Christi* vel *Domini* præmissam eodem sensu ponitur pronomen relativum, *ἐν ᾧ*, *in quo*. Indicatur vero usu pronominis *ἐν*, *in*, frequentissimo non solum *caussa efficiens*, sed etiam *ordo*, salutis nostræ, scilicet nos ita accipere omnia a Christo, ut ea habeamus *in ipso*, seu in arctissima cum ipso unione & communione. Hæc de applicatione vocum JESUS CHRISTUS Dominus. Plura dabunt aphorismi sequentes.

APHORISMUS IV.

de conformitate fidelium cum Christo.

Quartus stili Paulini character est in vocibus, & præcipue in verbis compositis, qua conformitatem christianorum, tanquam membrorum & corporis mystici, cum Christo capite suo, secundum utrumque statum, exinanitionis & exaltationis, magna cum emphasi declarant.

Illustratio.

§. I. Loca de conformitate & communione cum statu exinanitionis.

Rom. VIII, 17. *συνπάσχειν una pati*, nempe cum Christo. Sic Hebr. IV, 15.
2. Tim. I, 8. *συνκακοπαθεῖν, simul adversa pati.*
Phil. III, 10. *συνμορφῆσθαι τῷ θανάτῳ τῆς Χρῆστῆς, conformari morti Christi.*
Rom. VI, 6. Gal. II, 20. *συνταυρῆσθαι una cruci affigi.*

Rom.

Rom. VI, 5. σύμφυτον γίνεσθαι τῷ ὁμοιώματι τῆ θανάτου αὐτοῦ, simul plantari ad similitudinem mortis ejus.

Rom. VI, 8. 2. Tim. II, 11. συναποθνήσκειν simul mori cum Christo; item Col. II, 20. mori cum Christo elementis mundi.

Rom. VI, 4. Col. II, 12. συντάπτεσθαι simul sepeliri, consepeliri.

Huc refer alia loca, quæ de communione cum afflictione, cruce & morte Christi agunt, etiam sine verbis compositis, aut sine præpositione communionis σύν v. g.

Rom. VI, 3. In mortem Christi mergi.

2. Cor. I, 5. Afflictiones Christi redundant in nos.

2. Cor. IV, 10. Ubique mortificationem Domini nostri Jesu Christi in corpore circumferimus.

Gal. VI, 14. Per crucem Christi mundus mihi cruci est affixus & ego mundo.

Gal. VI, 17. Stigmata Christi gero.

Philipp. III, 10. Agnoscere communionem afflictionum Christi.

Huc etiam pertinent loca illa, ubi Christus dicitur mortuus pro nobis, seu pro peccatis nostris, & sanguinem effudisse pro nobis, sedulis lectoribus non ignota.

§. II. Loca de conformitate cum statu exaltationis.

Eph. II, 5. Col. II, 18. σύζωποιεῖσθαι simul in vitam restitui.

Eph. II, 6. Col. II, 12. III, 1. συνεγείρεσθαι, simul suscitari.

Rom. VI, 5. εἶναι σύμφυτον ὁμοιώματι τῆς ἀναστάσεως τῆ χειρῶ: simul plantatum esse ad similitudinem resurrectionis Christi.

Rom. VI, 8. συζῆν simul vivere cum Christo.

Philipp. III, 21. γίνεσθαι σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης ἰῆ Χριστοῦ, fieri conformem corpori gloriae Christi.

Rom. VIII, 17. συνδιδοῦσθαι simul gloria affici.

Ibid. συγκαληρονόμον εἶναι, coheredem esse gloriae.

2. Tim. II, 11. συμβασιλεύειν simul regnare.

Eph. II, 6. συγκαθίζεσθαι ἐν τοῖς ἐπερραίνουσιν, simul collocari in supracælestibus.

Huc refer loca cognata v. g. Rom. IV, ult. Christus propter justificationem nostram est resuscitatus.

2. Cor. IV, 10. Vita Christi in corpore nostro manifestata est. κ. τ. λ.

Ceterum de conformitate status utriusque vide locum

Rom. VIII, 29. σύμμορφοι τῆς εἰκόνος τῆ χειρῶ, conformes imagini Christi. Conf.

Philipp. II, 5 seqq. III, 16. 1. Cor. XI, 1. Apoc. I, 9.

XX 2

APHO-

APHORISMVS V.

de unione & communione fidelium cum Christo.

Quintus sermonis Paulini character est, unionem ac communionem, quam fideles cum Christo habent, præter modos jam commemoratos, etiam aliis figuris & imaginibus adumbrare, ac commendare, præcipue iis, quæ a corpore humano, nec non ab architectura & a conjugio desumptæ sunt.

Illustratio.

§. I. Modi loquendi ab imagine capitis & membrorum desumpti.

Rom. XII, 4. seqq. I. Cor. XII, 4. seqq. 27. Eph. I, 22, 23. IV. 4, 12, 15, 16, 25. V, 23, 30. Col. II, 19.

§. II. Modi loquendi desumpti ab imagine architecturæ & in-
habitationis:

Rom. VIII, 9, 11. I. Cor. III, 9, 11, 16, 17. VI, 19. 2. Cor. VI, 16. Eph. II, 19, 20, 21. III, 17, 18. IV, 21. Col. II, 7. I. Tim. IV, 15. Hebr. III, 6.

§. III. Modi loquendi ab imagine conjugii desumpti:

Rom. VI, 1-6. I. Cor. VI, 17. 2. Cor. XI, 2. Eph. V, 23, 24, 25. seqq. 32.

Huc pertinent imagines aliæ v.g. e regno vegetabili a plantis & arboribus desumptæ Rom. VI, 5. XI, 17. seqq. Col. II, 7. &c. conf. Jo. XV, 1. seqq. Quæ omnia cum Paulus scripserit e sua ipsius experientia, cuius etiam lectori eandem ἀποδείξω commendat.

APHORISMUS VI.

de justificationis & sanctificationis nexu.

Sextus sermonis Paulini character est in conjuncto utroque beneficio, quo fideles in unione ac communione cum Christo perfruuntur, justificatione & sanctificatione,
seu



seu renovatione, atque ita etiam gratia justificante & renovante commemorato simul ejus fundamento, quod est in satisfactione seu redemptione Christi, per fidem applicanda.

Illustratio.

Manifestius hoc est, quam ut demonstratione aliqua egeat. Cum Paulo negotium esset cum justificatis, maxime quidem occupatus est in urgendis sanctimoniarum officiis & partibus, e gratiæ renovantis beneficio derivandis, omnia tamen identidem revocat ad fontem fidei & justificationis, eum vel ex instituto commendans, uti ad Rom. III. & IV. ad Gal. II. III. IV, Hebr. IX. X, vel brevius, non obiter tamen, sed verbis gravissimis quam significantissime attingens, tanquam nervum doctrinæ christianæ præcipuum & principium omnis renovationis uberrimum v. g. 1 Cor. I, 30. 31. III, II. VII, II. XV, 3. 4. 2 Cor. V, 15. seqq. Eph. I, 7. II, 8. 9. 20. Phil. III, 8. 9. Col. I, 14. 22. II, II. seqq. 1 Thess. V, 9. 10. 1 Tim. I, 14. 15. 16. II, 4. 5. 2 Tim. I, 10. Tit. I, 14. Hebr. II, 14. 15. In summa: Paulus gratiam justificantem & sanctificantem ita refert ad renovationis officia & sanctimoniarum praxin, ut coram Deo ambulemus, ipsique serviamus *fidenter & sincere: fidenter* secundum gratiam justificantem e præscripto evangelii: *sincere, & sancte* secundum gratiam sanctificantem e præscripto & ad normam legis. In quo *fiduciam & sinceritatis* temperamento totius christianismi *θεῖον* est. Praxin vero renovationis quod apostolus locutionibus a *via & ambulatione*, nec non a *regno & servitute*, & a *militia & certaminibus bellicis*, apte desumptis maxime urgeat, cuivis lectori est obvium.

APHORISMUS VII,

de affectu amoris.

Septimus sermonis Paulini character est in affectu amoris tenerrimo, qui tamen pro renata etiam moderata justa indignationis severitate, temperatus est; & uti ab amore incipit, sic semper in eodem desinit.

Illustratio.

Vide Rom. I, 9. seqq. cujus affectus significationem Paulus convenienter ab eucharistia erga Deum inchoat. Idem affectus conspicitur in multis

Xx 3

aliis

aliis hujus epistolæ locis, nec non in omnibus aliis epistolis, præcipue in posteriore ad Corinthios & in ea ad Philippenses, nec non in utraque ad Thessalonicenses, e luculentis indiciis passim conspicuus. In epistola vero ad Corinthios priore, uti & in ea ad Galatas, pro statu auditorum, affectum amoris decenti severitate prudenter temperatum videas.

APHORISMUS VIII.

de cura Pauli sancte sollicita.

Octavus sermonis Paulini character est in cura pro ecclesiis, & singulis ejus ordinibus ac membris, maxime, & simul fidenter ac sancte, sollicita; qua ductus pastoris patrisque ac matris, nec non boni agricola & hortulani instar omnium ac singulorum commodis pro tenerrimi amoris affectu invigilat.

Illustratio.

Exempla videantur passim in singulis epistolis, præcipue in iis ad Corinthios & ad Galatas. Maxime autem Paulus commendat vinculum concordie & studium caritatis, præcipue in ferendis infirmis, in iis etiam rebus, quæ minoris sunt momenti, non raro valde sollicitus, inprimis ut omnis offensio evitetur.

APHORISMUS IX.

de emphatica vocum congerie & tractatione materiarum copiosiore.

Nonus sermonis Paulini character est in synonymica, & diversa etiam, atque emphatica vocum ac locutionum congerie, qualem partim affectus, partim etiam res ipsa & lectorum indoles requisiverunt. Immo nonnulla etiam materia, que cum aliis collata minoris momenti esse videntur, pro statu temporum & ecclesiarum hodie nobis non satis cognito, uberius tractantur.

Illustratio

Illustratio.

Exempla congeriei vocum ac locutionum ephaticæ vide supra Sect. II. Cap. II. aphor. VIII. Confer inter alia Rom. I, 29. seqq. Gal. V, 29. seqq. Eph. I, 19. Exempla materiæ secundariarum & tamen copiosius tractatarum vide inter alia I Cor. VII. de statu conjugum ac cælibum c. VIII, IX. & X. 23.-fin. de idolothytis & usu libertatis in externis per caritatem prudenter moderando. c. XII. & XIV. de usu charismatum decenti. 2 Cor. VIII. IX. de collectione stipis. c. X, XI. & XII. de innocentia & integritate muneris apostolici adversus pseudapostolos adserta.

APHORISMUS X.

de zelo antijudaico.

Decimus sermonis Paulini character est in zelo isto pro doctrina evangelica antijudaico, quo, pro indole evangelii, Judaismi typici complementum habentis, non solum Judaismo, sed iis etiam, qui ad eum inclinabant, seu ejus reliquias in præjudicium evangelii tuebantur, graviter se opponit; ea tamen cum moderatione, ut Judaismum ipsum, respectu divinæ institutionis admodum reverenter habeat, erga Judæos benignus & optime affectus.

Illustratio.

Comprobant hoc omnes Pauli epistolæ; quemadmodum unicuique, qui eas vel semel atque iterum legit, est manifestum. Et in epistola ad Hebræos hoc ipsum eundem ex instituto prosequi, nemo nescit. Ex epistolis reliquis huc præcipue pertinent illa loca, quæ supra in analysi earundem notata sunt.

APHORISMUS XI.

de idiotismo phraseologico.

Undecimus sermonis Paulini character est in idiotismis quibusdam, speciatim illo, quo partim de labe peccati, partim

partim in elencho adversus Judæos & judaizantes carnis vocabulo utitur, respectu habito ad circumcissionem & ritus externos externasque prærogativas.

Illustratio.

§. I. De corruptione naturali cum oppositione ad Spiritum & gratiam vox *caro* usurpatur:

Rom. VI, 29. VII, 5. 18. 25. VIII, 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 14. 13. 1 Cor. I, 26. 2 Cor. I, 17. c. X, 2. 3. Gal. V, 13. 16. 17. 19. 24. VI, 8. Eph. II, 3. Col. II, 11. 13. 18.

§. II. De circumcissione & externis ac judaicis prærogativis vocabulum *caro* adhibetur sequentibus locis:

Rom. IV, 1. *Quid dicemus Abrahamum, patrem nostrum, invenisse secundum carnem? h. e. circumcissionem aliasque prærogativas externas.*

1 Cor. IX, 18. *Videte Israelem secundum carnem.*

2 Cor. V, 16. *Ab hoc tempore neminem agnoscimus secundum carnem: & quamvis etiam Christum cognoverimus secundum carnem, tamen nunc non amplius agnoscimus.*

Gal. III, 3. *Qui incepistis spiritu, nunc in carne (in judaismo, suscepta circumcissione) perficietis? Conf. eodem fere sensu c. VI, 12. 13.*

Phil. III, 3. 4. *Gloriamur in Christo & non in carne confidimus: quamvis ego haberem confidentiam in carne etiam. Si quis alius sibi videtur confidere in carne, ego magis &c. Conf. Col. II, 18.*

Huc denique refer illa Hebr. IX, 10. de δίκουμάσσι σαρκός & v. 13. Sanguis taurorum & hircorum sanctificat ad *carnis puritatem*: in primis c. VII, 16. *lex præcepti carnalis.*

Not. 1. Vocem *caro* etiam usurpari de humano corpore, immo de tota humana natura, aliasque cognatas notiones habere, philologiæ sacræ peritis non est ignotum. Quando autem voci *caro* additur vox *sanguis*, locutio ista notat *hominem sibi relictum* v. g. Gal. I, 16. Eph. VI, 12. Conf. Matth. XVI, 17.

2. Philologiæ sacræ cultoribus e frequenti epistolarum Pauli lectione facile innotescunt alii sermonis Paulini idiotismi, aut locutiones ipsi familiariores, nec sine emphasi positæ v. g. πιστός, πιστός ὁ θεός 1 Cor. I, 9. X, 13. 2 Cor. I, 18. 1 Thess. V, 24. 2 Thess. III, 3. 2 Tim. II, 13. Hebr. X, 23. πιστός ὁ λόγος, 1 Tim. I, 15, III, 1. IV, 9. 2 Tim. II, 11. III, 7.

Item Paulus in sensu parrhesiæ & plerophoriæ crebro utitur vocibus καυχάομαι, καύχημα, καύχησις: utpote quæ, teste indice Schmidiano, sexagies semel leguntur.

APHO.

APHORISMUS XII.

de modo scribendi parenthetico.

Duodecimus sermonis Paulini character est in modo scribendi parenthetico, quem partim affectus, partim rei substrata plenitudo subministravit.

Illustratio.

Rom. I, 1--7. Totius sermonis hujus hæc est summa: *Paulus Romanis salutem dicit plurimam.* Reliqua omnia pendent a subjecto. Cum enim Paulus se vocasset *servum Jesu Christi & Apostolum separatim ad evangelium Dei*, indicaturus objectum seu nucleum evangelii, scilicet illud agere *de Filio Dei, Jesu Christo, Domino nostro*, præmissa parenthesi de evangelio, voces istas sermone parenthetico duplici declarat, affectu in filium Dei abundans.

Rom. II, 12. Hic verba ultima: *per legem judicabuntur*, recte conjunguntur cum commate 16. *In die quando judicabit Deus &c.* reliquis parenthesi inclusis. Id quod etiam de v. 24. valet.

Eph. I, 19. Hic voces *εἰς ἡμᾶς* cohærent cum initio v. 1. c. II. *καὶ (εἰς) ὑμᾶς*: nisi hoc *ὑμᾶς* referre velis ad v. 5. c. II.

Eph. III. Hic comma primum cohæret cum commate 14. reliquis parenthesi inclusis, & de officio Pauli apostolico commodissime agentibus.

Phil. I, 27. Hic fit parenthesi de eo, quomodo Philippenses se gerere debeant usque ad promissum adventum: & ea clauditur demum c. II. v. 16. ita ut v. 17. cap. II. cohæreat cum v. 26. c. I. & sperato, sed dubio, adventui ex altera parte respondeat expectatio, seu eventus, obitus.

Hebr. III, 7--12. Hic initium commatis 7. *διὸ* referendum est ad comma 13. *βλέπετε &c.* reliquis ad parenthesin relatis.

Hebr. XII, 19--22. Hic parenthesi habet comma 20. & 21. Alia parentheseos exempla, præcipue minoris, seu brevioris, nunc prætereo.

Ad Lectorem.

Exhibui supra Part. II. Sect. I. analyses in singulas novi testamenti epistolas. Illis nunc sub libri finem non incommode, quod opinor, e *Sciagraphia* mea *Sacra* addo analysin in *Matthæum, Joannem & Acta Apostolorum*, ut ad manum statim sit, quod librorum historicorum lectio- nem in codice novi testamenti, & in ea memoriam, possit adjuvare. Ana- lysin *Actorum* huc pertinere, res ipsa indicat. *Marsum vero & Lucam* ne in *Sciagra-*

Y y

Sciagraphia quidem analytice partitus sum. Sufficit enim, si hi ad *Mattheum* & *Joannem*, quorum tractatio maxime discrepat, ἀναλόγως referantur, ne memoria nimia analyseos multitudine obruatur.

MATTHÆUS.

Hic Christi vita describitur, & quidem 1) in *Ingressu* C. I.-IV. 2) in *Progressu* C. V.-XVI. 3) in *Egressu* C. XVII.-fin.

I. INGRESSUS.

GENEALOGIA c. I.

ab Abrah. ad David. v. 1-6.

a Dav. ad Jechoniam v. 7--11.

a Jech. ad Christum v. 12--17.

NATIVITAS: ubi

Mariæ conceptio v. 18.

Josephi suspicio, suscepta v. 19. dimissa, v. 20--24.

Nascendi ratio. v. 25.

CULTUS exhibitus a Magis: ejus

Antecedens iter ex oriente c. II. v. 1-10.

Modus, in adoratione & donatione v. 11.

Consequens ex parte

Magorum, reditus in orientem v. 12.

Christi cum Josepho & Maria:

fuga in Ægyptum v. 13--18.

reditus in Judæam speciatim Galilæam v. 19--fin.

INAUGURATIO: c. III. ejus

Minister, Joannes, pœnitentiæ præco v. 1-12.

Modus per

Baptismum publicum v. 13-15.

Apparitionem Spiritus v. 16.

Proclamationem Patris v. 17.

Huc. ref. *Johannis ultima*, c. XIV. v. 1--12.

TENTATIO c. IV. ejus

Occasio v. 1-2.

Modus, respectu

Diffidentiae v. 3-4.

Temeritatis v. 5-7.

Ambitionis & avaritiæ v. 8-10.

Exitus

Exitus victrix in cultu angelorum v. 11.

MINISTERII INCHOATIO, ubi

pœnitentiæ concio v. 12--17.

Apostolorum vocatio v. 18--22.

morborum sanatio v. 23--fin.

II. PROGRESSUS in Ministerio: ubi,

I. CONCIO MONTANA c. V. VI. VII. ejus

EXORDIUM, de piorum beatitate c. V. v. 1--12. & ejus doctoribus
v. 13--16.

in qua latet *Propositio de vera sanctimonia.*

TRACTATIO, ubi pietatis

Norma, seu lex moralis ejusque

insolubilitas v. 13--19.

genuinus sensus, & quidem

generatim v. 20. it. 43--fin.

speciatim, respectu præcepti

quinti v. 21--26. it. 38--42. sexti v. 27--32.

secundi v. 33--37.

Regula, ubi diriguntur

eleemosynæ c. VI. v. 1--4.

preces ratione loci ac formæ v. 5--15. huc ref. c. VII. v. 7--11.

jejunia v. 16--18.

cura summi boni, seu thesaurorum, vanæ sollicitudini opposi-
ta v. 19--fin.

Judicia temeraria de proximo c. VII. v. 1--5.

Administratio sacrorum v. 6.

Officia caritatis in genere v. 12.

Via salutis arcta v. 13. 14.

Pseudoprophetarum fuga v. 15--23.

CONCLUSIO pædeutica de

obsequentium commodo v. 24. 25.

inobsequentium damno v. 26. 27.

accedit Evangelistæ *clausula* de concionis effectu v. 28. 29.

II. CUMULUS MIRACULORUM circa, seu cis & trans mare Tyberiadis.
c. VIII. & IX.

Cis mare ubi curatur

Leprosus c. VIII. v. 1--4.

Paralyticus, centurionis servus v. 5--13.

Y y 2

Socrus

Socrus Petri a febre v. 14, 15.

Consequ. expulsio dæmonum v. 16. 17.

Trans mare : ubi

ipsa trajectio

decreta v. 18.

retardata colloquio cum duobus tergiversantibus v. 19 -- 22.
effecta cum periculo suborto & sublato v. 23 -- 27.

Dæmonum ejectio & immisio v. 28 -- 32.

Consequ. honesta Christi relegatio v. 33, 34.

Cis mare ubi Christus

paralyticum curat c. IX. v. 1 -- 8.

Matthæum vocat, ac Phariseos reprimit v. 9 -- 13.

Joannis discipulos de jejunio informat v. 14 -- 17.

Sanata hæmorrhousa, Jairi filiam resuscitat v. 18 -- 26.

cæcos restituit v. 27 -- 31.

obsessum liberat v. 32 -- 34.

varios sanat v. 35. cum affectu misericordiæ v. 36 -- 38.

III. INSTRUCTIO ac DEFENSIO DISCIPULORUM INSTRUCTIO

ablegandorum a Christo, facta informatione & præmunitione c. X.

ablegatorum a Johanne c. XI. v. 1 -- 6.

Consequens :

Johannis elogium v. 7 -- 15.

Vehemens objurgatio

gentis Jud: per simile v. 16 -- 19.

trium urbium Chor. Beths. Cap. v. 20 -- 24.

Eucharistia cum suavi invitatione v. 25 -- fin.

DEFENSIO (a crimine violati sabbathi.)

Discipulorum, avellentium spicas c. XII. v. 1 -- 8.

Miraculi, in sanata manu arida v. 9 -- 13.

Consequens :

Hostium insidiæ ac Christi discessus occultus v. 14 -- 21.

Christi apologia, pro liberatione obsessi adversus
calumniatores miraculi v. 22 -- 37.

tentatores signi v. 38 -- 45.

intempestiva cognatorum sollicitudo v. 46 -- fin.

IV. CONCIO PARABOLICA c. XIII. quæ

Publice enarrata de

Diverso

Diverso verbi effectu: ubi similitudinis de semine

propositio v. 1--9.

vindicatio v. 10--17.

explicatio. v. 18--23.

Externo ecclesie statu, ubi utriusque seminis

ortus v. 24--26.

duratio. v. 27--29.

fnis v. 30.

Virtute verbi ac fidei, sub imagine

grani sinapi v. 31, 32.

fermenti v. 33--35.

Privatim Discipulis partim

explicata, de zizaniis v. 36--43.

continuata de regni divini

præstantia, sub imagine

thesauri. v. 44.

margaritæ v. 45, 46.

externa sorte, sub imagine lagenæ v. 47--50.

Consequens: discipulorum profectus v. 51, 52.

Christi discessus in patriam, ipso offensam v. 53--fin.

V. SENARIUS MIRACULORUM c. XIV. XV. XVI.

1. *Cibatio in deserto c. XIV. v. 14--21. de Joanne v. 1--13, vide supra.*

2. *Ambulatio per undas, æmulante Petro v. 22--31.*

3. *Curatio per fimbriam, v. 32--fin.*

(inferitur παρρησιασθέντων Pharisaicorum reprehensio data c. XV.

v. 1--9. explicata v. 10--20.)

4. *Liberatio obsessæ, quæ sita, negata, concessa v. 21--28.*

5. *Sanatio variorum v. 29--31.*

6. *Cibatio auditorum iterata v. 32--fin.*

Consequens: Discipulorum informatio de

Pharif. ac Sadd. corruptelis c. XVI. ubi

Occasio, ipsorum tentatio v. 1--4.

Ipsa informatio Christi. v. 5--12. de

Sua Persona & passione

Sui imitatione v. 24--fin.

III. EGRESSUS.

ANTECEDENTIA

Transformatio c. XVII. ejus

Yy 3

Modus

Modus v. 1--9.

Consequens

informatio de Elia v. 10--13.

restitutio lunatici v. 14--21.

iterata passionis prædictio v. 22--23.

didrachmatis solutio v. 24--27.

Aretologia c. XVIII. XIX. XX. ubi commendatur

Humilitas ac fuga scandali c. XVIII. v. 1--14.

Correptio fraterna sub promissione v. 15--20.

Condonatio offensarum, parabola illustrata v. 21--fin.

Vinculum conjugale c. XIX. v. 1--12.

Officium parentum erga liberos v. 13--15.

Fuga fastus ac meriti hypocritici, quod Christus

Diviti applicat v. 16--22.

Discipulis explicat v. 23--fin.

Parabola de vinea illustrat c. XX. v. 1--16.

Consequens:

tertia passionis prædictio, v. 17--19.

humilitatis commendatio occasione *Filiorum Zebedæi*.
v. 20--28.

cæcorum restitutio v. 29--fin.

Ingressus in urbem solennis: ejus

circumstantia. c. XXI. v. 1--11.

Consequens:

Templi repurgatio v. 12. 13.

Celebrata cæcorum ac claudorum sanatio v. 14--16.

Ficus in via imprecatio v. 17--22.

Ingratitudinis in Templo exprobratio, ejus

occafio v. 23--27.

modus per geminam parabolam v. 28, fin.

Commoratio in urbe: ubi

adversarios redarguit

in parabola de nuptiis regiis c. XXII. v. 1--14.

in responsione de

Censu v. 15 22.

Resurrectione mortuorum v. 23--33.

Præcepto præcipuo v. 34--40.

in

in quaestione de sua persona v. 41. fin.

in gravissima invectiva c. XXIII. quæ

dehortoria v. 1-12.

comminatoria v. 13--fin.

discipulos de novissimis instruit: c. XXIV. & XXV. ubi

Notat rationem & signa

Consummationis seculi. c. XXIV. v. 4--14.

Excidii Hierosolymitani v. 15--20.

quod illius typum gerit v. 21, 22.

Christi seu sui venturi v. 23--41.

Commendat fidelitatem & vigilantiam,

parabola

fidelis & prudentis œconom. v. 42--fin.

decem virginum c. XXV. v. 1--13.

trium servorum. v. 14--30.

Describit iudicium. v. 31--fin.

MODUS per passionem descriptam c. XXVI. & XXVII. ubi partitio facile erui potest. Vide analysin evangelii *Joannis*.

CONSEQUENS, *Resurrectio*, manifestata per Angelum, Christum ipsum, ac custodes c. XXVIII.

JOANNES.

Hic vita Christi, tanquam solis justitiæ, describitur secundum ortum, cursum, & terminum.

I. ORTUS.

DIVINUS, manifestatus a Johanne

Evangelista c. I. v. 1--5.

Baptista cum eventu dispari v. 6--13.

HUMANUS ac mediatorius v. 14. declaratus per

Baptistam

generatim erga omnes v. 15--18.

speciatim erga

sacerdotes & Levitas v. 19--28.

populum circa Jordanem v. 29--34.

discipulos v. 35--42.

Christum ipsum, vocatione Philippi ac Nathan. v. 43--fin.

Consequens: miraculum in nuptiis c. II. v. 1--11.

II. CUR-

II, CURSUS in MINISTERIO

secundum IV. Paschata.

PRIMA PERIODUS a Paschate I, ad II, c. II, III, IV.

Repurgatio templi c. II.

suscepta v. 12-17.

defensa. v. 18-22.

Consequ. fides in καρδιογνώσιν v. 23--25.

Privata & publica informatio:

Privata Christi, respectu Nicodemi c. III, v. 1.-21.

Publica Joannis, respectu discipulorum & Judæorum de baptismo
v. 22.-fin.*Colloquium cum Samaritana* c. IV. ejus,*Occasio*, iter per Sam. & mulieris occursum v. 1-7*Initium*, petitio potus v. 8,9.*Progressus* de

aqua mystica v. 10--15.

mulieris vita v. 16--19.

cultu DEI & Messia v. 20--27.

Effectus in muliere & civibus v. 28--30, 39-42.*Incidens*: Colloquium cum discipulis de cibo ac messe v. 31-38.*Consequens*:

Discessus in Galilæam v. 43-46.

Curatio filii regii in Capern. v. 47. fin.

SECUNDA PERIODUS a Pasch. II, ad III. c. V. ubi;

Curatio morbi chronici 38. ann. ejus

Tempus, Pascha, & locus, piscina v. 1-4.

Subjectum v. 5. & modus cum effectu v. 6-9.

Consequens: Judæorum

Expostulatio cum sanato, per Christum admonito v. 10-15.

Persecutio adversus Christum

prodita ab hostibus v. 16-18.

excepta a Christo apologia

Elenctica, pro Deitate sua; probata

ab operibus resurrectionis & judicii v. 19-29.

a testimonio

Patris sui v. 30-32. 37. 38.

Baptistæ v. 31--35.

Scripturæ Sacræ v. 39.

Epanorthotica sub reprehensione & comminatione.

TER.

TERTIA PERIODUS a Paschate III. (c. VI, v. 4.) ad IV. c. VI. - XII. ubi
CIBUS CORPORIS & ANIMÆ c. VI,

Corporis, per miraculum: ejus

Occasio v. 1-4.

Modus v. 5-13.

Consequens:

fuga honoris v. 14, 15.

ambulatio super undis v. 16-21.

Anima, per fidem: ubi doctrinæ

Occasio, inquisitio populi. v. 22-25.

Tractatio pædeutico-elenctica v. 26-28.

Effectus diversus in auditoribus v. 59. fin.

VISITATIO FESTI TABERNACULORUM c. VII,

Suscepta & diverse excepta. v. 1-13.

Illustrata concionibus, circa festi

medium v. 14-36.

finem v. 37. fin.

DISCEPTATIO CUM JUDÆIS. c. VIII. ejus

Initium insidiosum per adulteram v. 1-11.

Progressus elencticus per Judæorum objectiones: ubi

prima de testimonio Christi v. 12-18.

secunda de Patre Christi. v. 19-21.

tertia cum perversione verborum Christi v. 22-24.

quarta de persona Christi v. 25-32.

quinta de vera libertate v. 33-38.

sexta de *visio* *seria* Abrahami v. 39, 40.

septima de *visio* *seria* DEI v. 41-47.

octava & nona cum blasphemis. v. 48-56.

decima cum illusione v. 57, 58.

Egressus hostilis v. 59.

CURATIO CAECI c. IX. ejus

Antecedens: Discip. quæstio, Christi responso v. 1-5.

Modus, per sputum & lutum v. 6, 7.

Consequens:

Pharisaorum inquisitio

delata a vicinis v. 8-14.

suscepta a Pharisæis per

ipsum sanatum v. 15-17.

ZZ

ejus

ejus parentes v. 18 - 23.
iterum per sanatum. v. 24 - 34.

Christi informatio.

didascalica ad cæcum v. 35 - 38.

epanorthotica ad Phariseos: ejus.

initium de hostium cæcitate v. 39 - fin.

progressus de vero ac falsis pastoribus

recte c. X. v. 1-6.

aperte v. 7 - 18.

eventus disfidium Judæorum v. 19 - 21.

Iterata Christi informatio: ubi

Tempus, in encæniis. v. 22, 23.

Occasio: Judæorum quæstio de persona v. 24.

Modus, per disceptationem, interruptam hostium injuriis v.
25 - 39.

Eventus, Christi abitus ad Jordanem v. 40. - 42.

RESUSCITATIO LAZARI c. XI.

Antecedens:

morbis ac mors cum reditu in Judæam v. 1-9.

exceptio in Bethania a

Martha v. 20. - 27.

Maria, cum affectu Christi v. 28-38.

Modus v. 39-44.

Consequens:

fides multorum v. 45.

proditio nonnullorum; & hinc odium sanguinarium, suafore Cai-
pha v. 46 - fin.

gratitudo Bethaniensium c. XII. testata

convivio v. 1, 2.

unctione Mariæ. v. 3-8.

insidiæ hostium v. 9 - 11.

ULTIMUS CHRISTI ADVENTUS cum comitatu Bethaniensi v. 12-19.

Consequens: Christi concio de sua morte: ejus

ocasio: desiderium videndi Christum in Græcis, v. 20-22.

propositio: mors instat, v. 23.

expositio, cum applicat. ad abnegat. v. 24-27. interrupta.
voce de cælo v. 28-33.

populi objectione v. 34. - 36.

eventus ἀπίστια v. 37 - 41. fides trepida v. 42, 43.

decla.

declaratio de

fidei præstantia v. 44-46.

ἀπιστίας damno & gravitate v. 47. fin.

SERMO VALEDICTORIUS c. XIII. - XVII. ejus

Antecedens:

lotio pedum, facta c. XIII, v. 1-11. applicata v. 12-20.

manifestatio proditoris v. 21-30.

Sermonis partes, ubi

Christi glorificatio & amor mutuus v. 31-35.

incidens: correptio Petri v. 36. fin.

Discipulorum consolatio c. XIV, v. 1-4. interrupta interpellatione

Thomæ de via Christi v. 5-7.

Philippi de Patre Christi v. 8-21.

Judæ de revelatione Christi v. 22. fin.

Unio mystica c. XV, ejus

indoles ac fructus v. 1-8.

conservatio in amore v. 9-17.

Patientia sub instanti cruce v. 18. fin. c. XVI, v. 1-4.

Passionis fructus & officium Spiritus S. imprimis in consolatione tri-

stium v. 5-22.

Indoles & fructus precum v. 23. fin.

Consequens: Preces Christi sacerdotales c. XVII, pro

se ipso, & sui glorificatione v. 1-5.

suis discipulis v. 6-19.

tota ecclesia, ipsiusque

unione v. 20-23.

beatitate v. 24. fin.

III. TERMINUS in PASSIONE

Inchoata c. XVIII. in

Horto per prodicionem & captivationem v. 1-12.

Judicio ecclesiastico, ubi Christo examinatus & verberatus abnegatur

v. 13-37.

Judicio politico, ubi injuste accusatur v. 28. - fin.

Continuata, ibidem per flagellationem, ejus

actus c. XIX, v. 1.

adjuncta: coronatio, illusio v. 2, 3.

scopus, Christi liberatio

quæ sita ipsius productione v. 4, 5.

negata per

Z z 2

cru-

crucifixionis postulationem v. 6. - 11.
odii Cæsaris comminationem v. 12.

Consequens condemnatio v. 13-16.

Consummata per crucifixionem: ubi

Antecedens: eductio v. 16, 17.

Aëtus v. 18.

Consequens:

ante mortem

crucis inscriptio v. 19. 22.

vestium partitio, v. 23, 24.

Mariæ & Joannis commendatio v. 25-27.

Christi fitis v. 28, 29.

ipsa mors v. 30.

post mortem.

lateris apertio v. 31.-37

sepultura v. 38. fin.

CONSEQUENS GENERALE, RESURRECTIO,
manifestata

IN JUDÆA VERSANTIBUS

Maria Magdalena, & quidem

obscure in comitatu *Petri ac Joannis* c. XX, v. 1--10.

clare in solitudine cum *Angelis & Jesu* v. 11-18.

Discipulis, Thoma

absente v. 19. - 23.

præsente v. 24. - 29

accedit clausula de libri scopo v. 30, 31.

IN GALILÆAM REVERGIS, per

Miraculum

capturæ piscium c. XXI, v. 1-8.

prandii v. 9--14.

Colloquium cum

Petro v. 15--19.

Johanne v. 20--23.

Conclusio de libri auctore & brevitate v. 24, 25.

ACTA APOSTOLORUM.

Hic liber continet ecclesiæ propagationem, factam per ministerium
Apostolorum in genere C. I. XII. in specie Pauli C. XIII. fin.

I. MINI.

I. MINISTERIUM APOSTOLORUM IN GENERE,
I. ANTE DISPERSIONEM C. I--VII.

1. CHRISTI ADSCENSIO c. I. ejus

Antecedens: discipulorum instructio v. 1--8.

Actus & ἀγγελοφάνεια v. 9--11.

Consequens:

reditus in urbem & preces v. 12--14.

electio Matthiæ, quæ

a Petro suasa v. 15--22.

ab omnibus suscepta v. 23--25.

a Deo facta v. 26.

2. SPIRITUS S. EFFUSIO c. II. quæ

facta, secundum tempus & modum v. 1--3.

confirmata, miraculo linguarum v. 4--13.

defensa oratione Petri apologetica: ejus

summa de effusione Spiritus S. & Christo, v. 14--36.

effectus hom. 3000. conversio, ejus

modus v. 37--41.

fructus v. 42--fin.

3. CLAUDI SANATIO c. III. quæ

facta cum effectu in sanato & populo v. 1--11.

illustrata concione Petri de

miraculi causa v. 12--16.

vera pœnitentia v. 17--fin.

defensa a Petro c. IV. ubi apologiæ

antecedens: captio & actio forensis v. 1--7.

forma de salutis causa v. 8--12.

effectus in hostibus: admiratio & dimissio v. 13--22.

Consequens: Ecclesiæ preces eucharisticæ; earum

causa: Apostolorum relatio v. 23.

forma v. 24--30.

effectus:

loci commotio v. 31.

ecclesiæ ædificatio v. 32--fin.

4. VARIA ECCLESIE FATA c. V.

tristia in sacrilegio funesto v. 1--11.

prospera in miraculoso incremento. v. 12--16.

Zz 3

adver-

adversa in Apostolorum divexatione, facta

conjectione in carcerem v. 17. 18.

consequ. liberatio, facta & divulgata v. 19. - 25.

deductione in iudicium v. 24. - 27. ubi

Pontificis objurgatio v. 28.

Petri defensio v. 29. - 32.

Effectus:

consilium occidendi conceptum v. 33. sed

a Gamaliele impeditum v. 34. - 40.

Apostoli cæsi, sed lætati v. 40. - 42.

5. COLLEGIUM VII. DIACONORUM c. VI. & VII.

constitutum c. VI. v. 1. - 7.

nobilitatum a protomartyre *Stephano*, qui virtutem ac
parrhesiam demonstrat

opere ac ore v. 8. - 10. 15.

oratione apologetica, ejus

occafio, falsa accusatio v. 11. - 14.

tractatio: qua se purgat a blasphemia contra legem
& templum, suamque declarat orthodoxiam e
consensu cum

Abrahamo c. VII. v. 1. - 7.

Jacobo, *Isaaco*, *Josepho* v. 8. - 16.

Mose v. 17. - 44.

Josua, *Davide*, *Salomone* v. 45. - 50.

conclusio epanorthotica v. 51. - 53.

morte læta ac animosa v. 54. - fin.

Consequens: fidelium dispersio, furente Saulo c. VIII. v. 1. 4.

II. POST DISPERSIONEM.

1. ECCLESIA SAMARITANA

plantata miraculose a Philippo Diac. v. 5. - 8.

connexum: Conversio Simonis magi v. 9. - 13.

Rigata per Petrum & Joannem v. 14. - 17.

connexum: Simonis sacrilega perversio v. 18. - 25.

2. CONVERSIO TRINA

ÆTHIOPIS: ejus

instrumentum, Philippus obvius, v. 26. - 32.

excitatio per Evangelium v. 32. - 35.

confir-

confirmatio per baptismum v. 36 -38.
consequens: utriusque discessus v. 39, 40.

PAULI c. IX. ubi

antecedens: furor adversus fideles v. 1, 2.

modus per

lucem & vocem v. 3--9.

Ananiam v. 10--19.

effectus: Confessio & persecutio v. 20--25.

consequens:

iter Hierosolymitanum ad Apost. v. 26--30.

Ecclesiae tranquillitas v. 31

incidens: PETRUS

Aeneam paralyticum sanat v. 32--35.

Tabeam in Joppe refuscitat v. 36--fin.

CORNELII: ubi conversionis

Subjectum, Cornelius c. X. v. 1--8.

Minister, Petrus: qui

instruitur per ecstasin v. 9--16.

arcesitur per legatos v. 17--22.

proficiscitur & excipitur a Cornelio v. 23--33.

Medium

operationis: praedicationis verbi v. 34--46.

confirmationis: collatio baptismi v. 47, 48.

Consequens: Petri apologia c. XI. v. 1--18.

3. FATA ECCLESIAE

Prospera in

propagatione per dispersos v. 19--21.

confirmatione per Barnabam & Paulum v. 22--26.

Adversa in gravissima

fame v. 27--fin.

persecutione Herodiana c. XII. adversus

Christianos in genere v. 1.

Jacobum, qui necatur inspecie v. 2. &

Petrum, qui

conjicitur in carcerem v. 3--6.

liberatur, quae liberatio

petita ab Ecclesia v. 5.

prestata per Angelum v. 6--10.

agnita

*agnita & patefacta a Petro v. 11--17,
vindicata in custodibus v. 18. 19.*

Consequens :

Vindicta in superbum Herodem v. 10--23.

Incrementum Ecclesiae v. 24.

Barnabæ & Sauli reditus ad Antioch. v. 25.

II. MINISTERIUM PAULI IN SPECIE: ubi

I. ITINERA PAULI.

I. Ab ANTIOCHIA PER ASIAM MINOREM cum Barnaba XIII. & XIV. id quod

Mandatum c. XIII. v. 1--3.

Susceptum per Seleuciam in Cyprum v. 4, 5. ubi

Salamine verbum prædicatur v. 5.

Paphi

Magus, Barjesu seu Elymas, excæcatur v. 6--11.

Proconsul, Sergius Paulus, convertitur v. 7--12.

Continuatum versus

Pergam Pamphiliæ, discedente Joanne v. 13.

Antiochiam Pisidiæ: ubi Paulus concionatur

Judæis seorsum: ubi

locus, tempus & occasio v. 14, 15.

ipsa concio de Christo, Davidis semine v. 16--41.

*effectus, gentilium desiderium, Judæorum conversio
v. 42, 43.*

Judæis & Gentilibus simul: ubi

tempus & auditorum frequentia v. 44.

effectus:

Judæorum contradictio improbata v. 45--47.

Gentilium conversio v. 48.

Verbi divulgatio v. 49.

Pauli ac Barnabæ ejectio v. 50, 51.

Discipulorum incrementum in spiritu v. 52.

Iconium: ubi Judæorum conversio ac turbæ c. XIV. v. 1--7.

Lystram & Derbam Lycaoniæ; ubi

Lystræ sanato claudo v. 8-10. Paulus

nimiam venerationem repudiat v. 11--18.

lapidatus ejicitur v. 19, 20.

Derbe verbum DEI prædicatur v. 21.

Rele-

Relectum cum confirmatione Ecclesiarum per eadem loca ad *Antiochiam*
Syria v. 21--26.

Consequens : gestorum enarratio, ac commemoratio v. 27, 28.

II. AB ANTIOCHIA CUM BARNABA AD HIERSOLYMAM
 c. XV. ejus

ocasio cum *scopo* : dissensiones in doctrina tollendæ. v. 1, 2.

profectio per Phœniciam & Samariam v. 3.

exceptio in Jerusalem v. 4.

contentio nova, quæ cum Antiochena dirimitur in CONCILIO (v. 5, 6.)
 ubi

dicuntur sententiæ

Petri v. 7--12.

Jacobi v. 13--21.

transmittitur decretum in comitatu Judæ & Silæ v. 12--29. ac redditur
 cum gaudio & confirmatione ecclesiæ v. 30--35.

III. AB ANTIOCHIA cum Sila IN ASIAM ET GRÆCIAM c. XVI.
 XVII. XVIII.

quod iter *deliberatum* cum *Barnaba*, factaque scissione c. XV. v. 36--fin.
susceptum, versus

Lystram & loca alia : ubi

assumitur comes *Timotheus* c. XVI. v. 1--3.

commendatur decretum Apostolicum v. 4, 5.

Phrygiam &c. ubi inhibetur prædicatio Evangelii v. 6, 7.

Troada : unde Paulus per visionem vocatur in *Macedoniam* v. 8--10.

Philippos v. 11--12. ubi

convertitur *Lydia* v. 13--15.

expellitur spiritus *Pythonis* v. 16--18.

consequens : persecutio *Pauli* & *Sila*, qui

accusati cæque in carcerem conjiciuntur v. 19--24.

inde liberantur

miraculose a DEO, per terræ motum v. 25--26.

consequ. δεσμοφύλακος conversio v. 27--34.

officiose a magistratu. v. 35--fin.

Thessalonicam : ubi

prædicatur verbum cum fructu c. XVII. v. 1--4.

excitatur, sed mox sedatur, seditio v. 5--9.

Beroeam; ubi itidem

A a a

prædi-

prædicatur verbum cum fructu v. 10--22.
excitatur, sed mox sedatur, seditio v. 13--14.

Athenas v. 15. ubi Paulus concionatur in
Synagoga & foro v. 16--18.
Areopago de DEO ignoto v. 19--31. cum effectu
Contemptus in empæctis v. 32. 33.
Conversionis in Dionysio & Damari v. 34.

Corinthum c. XVIII. ubi

Hospitium apud Aquilam & Priscillam v. 1--3.
Negotium prædicationis

susceptum cum fructu, imprimis in fam. Crispi v. 4--8.
continuatum DEI hortatu, per annum & sex menses
v. 9--11.
interruptum per seditionem, sub Gallione, cæso Sosthene.
v. 12--17.

Ephesum v. 18. unde raso capite, institutis Judæis, & promisso reditu, repetit *Antiochiam* v. 18--22.

IV. AB ANTIOCHIA HIÉROSOLYMAM AD VINCULA: quod iter

Susceptum per

Galatiam & *Phrygiam* v. 23.
incidens: historia *Apollinis*. v. 24--fin.

Ephesum c. XIX. ubi

Collatio donorum Spir. S. per verbum & baptismum v. 1--7.
Prædicatio Evangelii miraculis confirmata v. 8--12.
Exorcistæ vindicati v. 13--16.
Consequens: regni divini incrementum in
timore & gloria Domini v. 17.
evangelizantium opere & relatione v. 18.
librorum magicorum combustione v. 19--20.

Incidens:

consilium itineris Hierosolymitani v. 21--22.
gravissima seditio

excitata a Demetrio & οὐνοτόχους. v. 23--28.
continuata per duas horas. v. 29--34.
sedata a præfide v. 35--40.

Conti.

Continuatum per

Macedoniam bis, cum comitatu c. XX. v. 1--5.

*Troada v. 6. ubi sub concione miraculum in restituto Eutycho
v. 7--12.*

Affon, Mytilenen &c. v. 13--16.

Miletum, ubi Paulus habet orationem valedictoriam, ejus

Auditores: Seniores Ephesini. v. 17.

Contenta de statu & officio

*suo, gesto fideliter & sub cruce, quæ præterita & instans
v. 18 - 27.*

seniorum, gerendo vigilanter & fideliter v. 28--35.

Consequ. preces, valedictio, dimissio v. 36--fin.

Coum. Rhodum, Patzaram, c. XXI. v. 1--3.

Tyrum, ubi iter disuasum v. 4--6. Ptolemaida v. 7.

Cæsaream ubi

ad ædes Philippi diaconi divertitur v. 8. 9.

iter ex indicio Agabi frustra disuadetur v. 10--14.

Absolutum Hierosolymæ cum salutatione & relatione v. 15--19.

II. VINCULA PAULI,

sustenta

I. HIEROSOLYMÆ c. XXI. v. 20--fin. 22--23. ubi Pauli

LIGATIO: ejus

Antecedens:

*purificatio, suasa & suscepta v. 20 -26. & inde ortus
tumultus ingens intra & extra templum v. 27--32.*

Actus v. 33.

deducitur in castra v. 34--36.

interrogatur de persona sua v. 37--39.

permittitur apologia v. 40.

APOLOGIA ad

POPULUM c. XXII. quæ

inchoata cum conciliatione attentionis v. 1, 2.

continuata per narrationem suæ

conversionis, in via Damascena. v. 3--19.

ecstaseos, in templo, cum visione & mandato v. 17-21.

A a a 2

inter.

interrupta per tumultum, qui
excitatur clamore ac gestu terribili v. 22 - 23.
sedatur per abductionem Pauli ad flagellationem & exa-
 men v. 24 - fin.

SYNEDRIUM c. XXIII. ubi oratio

inchoata, de bona conscientia v. 1.
interrupta, per injuriam Ananiae v. 2-5.
continuata, accommodate ad diversos auditores v. 6.
abrupta per scissionem auditorum v. 7-9.
Consequens:

abductio Pauli in castra v. 10.

Corroboratio facta a Domino v. 11.

Conjuratio quorundam in Pauli necem

facta v. 12-15.

detecta Paulo & tribuno, Claudio Lysia, v. 16-22.

elusa transmissione Pauli ad Felicem Caesarem ver-
 sus v. 22-25.

II. CAESAREÆ: ubi actio,

Coram FELICA praefide, Pauli

Publica: ubi Pauli

Accusatio, de crimine seditionis, haereseos & profanati templi,
 interprete Tertullo c. XXIV. v. 1-9.

Apologia qua post exordium, v. 10. Paulus negat se esse

seditiosum v. 11-13.

haereticum v. 14-16.

profanatorem templi v. 17-21.

Exitus, rei dilatio & custodiae relaxatio v. 22-23.

Privata, praesente Drusilla: ubi

Pauli parrhesia v. 24-25.

Felicis impietas & injustitia v. 26.

Consequens: Successio Portii Festi v. 27.

Coram FESTO c. XXV. ubi actio

a Judæis subdole expetita v. 1-3.

a Festo negata Hierosolymis v. 4-5.

instituta Caesareæ v. 6, ubi

Judæo

Judæorum accusatio cum apologia Pauli v. 7. 8.

Festi iniquitas v. 9.

Pauli provocatio ad Cæsarem v. 10--12.

Coram AGRIPPA & Bernice & Festo simul: ubi

Festi relatio v. 13--21.

Agrippa desiderium audiendi Paulum v. 22.

Pauli

productio, cum compellatione Festi ad Agrippam v. 23-- fin.
apologia c. XXVI. qua is post exordium v. 1--3. probat innocen-
centiam suam

vita integritate v. 4. 5.

capite doctrinae de resurrectione v. 6--8.

miraculosa vocatione v. 9--18.

muneris functione v. 19--23.

effectus

in Festo, ironica admiratio, refutata. v. 24--26.

in Agrippa, amor christianismi v. 27--29.

in omnibus, convictio & testimonium de innocentia Pau-
li v. 30-- fin.

III. IN ITINERE ROMANO c. XXVII. XXVIII. quod

susceptum, Julio, centurione, comite, *navigatione*

tolerabili juxta Sidonem, Cyprum, Cretam &c. c. XXVII. v. 1--8.

periculosa: ubi

praedictio Pauli, sed spreta v. 9--13.

immisio periculi

magni, cum fluctuatione incerta v. 14. 15.

majoris, cum mercium jactura v. 16--19.

maximi, cum desperatione salutis v. 20. quam

DEUS per Paulum promittit v. 21--26.

nautæ intempestiva fuga quærunt v. 27--32.

post sumtum cibum, hortante Paulo, expectant

v. 33--38.

in insula Melite cum jactura navis obtinent

v. 39-- fin.

consequens:

Aaa 3

fatiga-

fatigatorum refectio c. XXVIII. v. 1, 2, 10.

incidens : innoxia viperæ inuasio v. 3--6.

ægrotorum sanatio v. 7--9.

continuum & absolutum

mari a Milete ad Syracusam, Rhegium, Puteolos v. 1--13.

terra ab Appii foro & Tribus Tabernis ad ROMAM; v. 14--16.
ubi Pauli

libera & laxa custodia v. 16. conf. v. 30, 31.

collatio cum Judæis & prædicatio Evangelii v. 17--23, 30, 31.

effectus diversus v. 24--29.

F I N I S.



IN-

I N D E X

Locorum ex Actis & Epistolis explicato- rum, aut illustratorum,

Actor.			Rom.		
Cap.	vers.	pag.	Cap.	vers.	pag.
II.	9. 10.	2	XIII.	1.	126
V.	38. 39.	10	XV.	19.	81. 114
IX.		15--45		22. 23.	124
X.		45--103		31	126
XI.	25--fin.	46	XVI.	1. 2. 3. 4--15. 23.	126 seq.
XII.	25.	46		1. Cor.	
XIII.		48--55	I.	1.	95
XIV.		55--57		8.	121
XV.		57--67		14.	95. 97
XVI.		68--80	II.	3.	96
XVII.		81--88	III.	1. 2.	96
		6	IV.	6. 17. 18. 19.	96
XVIII.	28.	89--113	V.	1. 9. 11.	96
		7	VI.	9. 10. 13. seqq.	96
XIX.	3	113. 120	VII.	1.	101
XX.		127--129		2. seqq.	96
		113		7. 25	12
XXI.	31.	129--132	IX.	5.	12. seq.
XXII.		132. seqq.		24. seqq.	96
		7	X.	8.	95
	3.	19	XI.	2.	96
	9.	43		14.	99
	17--21.	2		23.	97
	28.	133--135	XV.	32.	118
XXIII.		11		23.	6
	1.	135--137	XVI.	1.	113. 121. 122
XXIV.		137--139		5. 6.	118
XXV.		139--140		12.	117
XXVI.		141--145		19.	118
XXVII.		145--148		2. Cor.	
XXVIII.			I.	1.	98
I.	9. seqq.	124		15. 16.	118. 121
					Cap.

Cap.	verf.	pag.	Cap.	verf.	pag.
	2. Cor.				
I.	17.	121		13.	8
VII.	4-7. 13. 15.	120	IV.	18.	69
VIII.	1. seqq.	120. 121	VI.	14.	69
X.	10.	4		12.	69
XI.	23. seqq.	122. 123		2. Tim.	
	32. 33.	42	I.	3.	11
XII.	1. seqq.	48. seqq.	IV.	6.	69
	Gal.			10. 11.	178
I.	15.	6		14. 16. 17. 21.	179
	16.	19		Tit.	
	21.	45	I.	12.	6
II.	1.	58		Phil.	
	1-10.	64	I.		151
	10.	120		Ebr.	
	11. seqq.	65	III.	I.	25
VI.	10.	119		Matth.	
	Phil.		XVI.	19.	30. seqq.
I.	1. 3. 5. 6.	79	XXIII.	14.	29
	26. 28. 29. 30.	80	XXVIII.	19.	78
II.	16. 25. seqq.	80		Marc.	
	19.	79	III.	32.	8
III.	2. seqq. 18. 19.	80		Luc.	
	5.	3. seqq. 9	X.	39.	8
IV.	2. 3. 9. 15. 16.	80		Joan.	
	3.	11. seqq.	V.	18.	29
	1. Theff.		VII.	23.	29
I.	1. 2. 3. 6. 7. 8. 9.	83. 94		39.	114
II.	9.	94	X.	35.	29
III.	6.	94		Jac.	
	2. Theff.		I.	1.	2. 107
I.	1.	83. 94		1. Petr.	
III.	1. 2. 8. 17.	94. 95			
	1. Tim.		I.	1.	2
I.	3.	163			

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

12. Feb. 1996

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0282123

3 A 10185

